BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

TH 631/305

Digitized by Google

M. Humpf

Digitized by Google


T. 117.

QUIS EST PETRUS? SEU QUALIS PETRI PRIMATUS?

LIBER

THEOLOGICO-CANONICO CATHOLICUS.

a P. Wolfango Froelich



EDITIO SECUNDA CORRECTIOR ET EMENDATIOR.

Cum Approbatione.

RATISBONÆ, 1791.

Digitized by Google

Quis eſt Aaron, ut murmuretis contra eum? Num. XVI, 11.

Digitized by Google

SANCTO PETRO
APOSTOLORUM PRINCIPI,
ECCLESIÆ FUNDAMENTO,
REGNI COELESTIS CLAVIGERO,
FIDELIUM OMNIUM PASTORI,
CHRISTI DOMINI VICARIO,
IN TERRA PLENIPOTENTIARIO.

Digitized by Google

PIO VI.
S. PETRI VICARIO,
ET IN ROMANA CATHEDRA SUCCESSORI
HOC OPUS JUDICANDUM

SUBMITTIT
DEVOTISSIMUS AUTHOR.

Digitized by Google

CONSPECTUS TOTIUS OPERIS.

PARS I. pag. 3.

Fundamenta ex divinis Scripturis.

* * *

ARTICULUS I. pag. 3.

Chriſti Domini Promiſſio.

ARTICULUS II.

Chriſti Domini inſtitutio. pag. 17.

ARTICULUS III.

Petri actuale exercitium. pag. 27.

APPENDIX. pag. 44.

Alia Petri geſta ex Documentis Eccleſiaſticis antiquiſſimis æque, ac genuinis.

* * *

PARS II. pag. 58.

Reflexio critica in formam Regiminis divinitus inſtitutam.

* * *

Oſtenditur

Regimen Eccleſiæ ex Chriſti inſtitutione Monarchicum. pag. 58.

EXCURSUS I.

In Doctrinam Gallicanam de ſuperioritate Conciliorum, & Libertatibus particularibus.

EXCURSUS II.

In Doctrinam hodiernam Germanorum de Concordatis, forma Regiminis Ariſtocratica, & falſo axiomate Neo-Canoniſtarum. pag. 84.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX. pag. 101.

De Authore libri, cui titulus: Defenſio Cleri Gallicani.

* * *

PARS III. pag 166

Corollaria ex Divina inſtitutione Primatus Monarchici factis hiſtoricis primævæ antiquitatis illuſtrata.

* * *

COROLLARIUM I. pag. 167.

De Jure leges univerſales ſtatuendi, & obedientia Papæ debita.

COROLLARIUM II. pag. 192.

De Jure cauſſas majores ad ſe vocandi, in ſpecie de cauſſis fidei, & Epiſcoporum.

COROLLARIUM III. pag. 211.

De Jure diſpenſandi in legibus univerſalibus, in ſpecie Matrimonii impedimentis.

COROLLARIUM IV. pag. 248.

De Jure Adpellationum ad Papam, non a Papa.

COROLLARIUM V. pag. 347.

De Jure Legatos, eosque ſtabiles mittendi.

APPENDIX.

De Iſidori, vulgo Mercatoris Decretalibus. pag. 403.

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Liber hic, quem oculis coram aſpicis, manibusque tenes, benevole Lector! duobus typo commiſſis conſpectibus Colonienſi uno, altero Monacenſi anno abhinc jam annuntiatus, nunc demum in lucem editur multorum votis, prout adhuc boni ſunt animi, ardenter exoptatus, ſed & quorumdam conatibus, quod noſtra ætate haud mirandum, jam graviter infeſtatus, multumque retardatus.

Ut nihil de ſyſtematico nexu totius dicam, qui ſatis perſpicue omnibus apparet; argumenta ſingularum partium non quidem a me inventa, attamen vel ex divinis fontibus tam manifeſta ſunt, vel ex hiſtoricis factis tam notoria, ut absque gloriandi formidine (niſi gloriatio in veritate, hoc eſt, in Deo ſit) aſſerere palam non dubitem, invincibilia; quod vero dixi, iterum iterumque dico, non eſſe mea, ſed Catholica.

Cum ſingulæ partes, partiumque diviſiones totidem ſint veluti Diſſertationes, quæ pro ſe ipſis unum integrum conſtituere videantur; ea de Boſſueto Diſſertatio jam ante annum ſingulariter impreſſa, nunc Parti ſecundæ per modum Adpendicis fuit noviter adjecta. Eruditorum litteræ, quorum nomina orbi Catholico jam publicis monumentis probata ſunt, mihi conteſtantur *), quæſtionem de Authore famoſi libri, Defenſio Declarationis Gallicanæ non ita pridem Moguntiæ ad tantæ Sedis dedecus recuſi, demum eſſe confectam uſque adeo, ut detracta

larva


*) Unicus, isque Monachus ad me reſcripſit epiſtolam (Deus tu ſcis, quanto meo dolore lectam!) contradictionibus, & ſchiſmaticis principiis, & forte ſuperbis non vacuam.

Digitized by Google

larva impoſtoris facies apertum gerat Queſnellianæ factionis ſtigma. Sic nempe ſeculum noſtrum XVIII, quod excurrimus, a poſteritate ſera, ſi qua adhuc ſupereſt, infamiam feret, & execrationem perpetuam. Non unus hodie falſarum mercium fabricator datur, qui Iſidorus audiat; ſed Bonnenſium ex fabrica, aut fœdere mille jam dicas prodiiſſe impoſtores Hedderichianos. Lege, ſi placet, Colloquia Ingolſtadienſis Doctoris, *Düſſeldorpii edita an.* 1789.

Propter rerum, quæ hoc opere tractantur, ſummam gravitatem, materiarum Indicem ſatis curatum in fine imprimi feci, & cum nunc in hac ſecunda editione Errores graviores ſint correcti, leviores præcipue interpunctionum tute B. L. facili negotio corriges.

Digitized by Google



INTRODUCTIO.

Opera Dei omni ſuo modo eſſe quam perfectiſſima, quibus cogitari melius nihil poſſit, ſeu *optima*, dubitare nos ſane vel ipſa non ſinit notio, quam de Divinitate poſſumus nobis comparare. Hinc ſapienter Lactantius ſcripſit *): „Conſiderans conditionem rerum intelligo, nihil fieri aliter debuiſſe, „ut non dicam potuiſſe, quia Deus poteſt omnia: ſed neceſſe eſt, ut provi„dentiſſima illa Majeſtas id effecerit, quod erat melius, & rectius." Non diſſentit a Lactantio M. Auguſtinus, cujus in eo libro, quem *contra Adverſarium legis, & Prophetarum* conſcripſit, ea eſt ſententia **): „Uſque adeo „deſipiendum eſt, ut homo videat melius aliquid fieri debuiſſe, & hoc Deum „vidiſſe non putet? aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe? aut voluiſſe „quidem, ſed minime potuiſſe? Avertat hoc Deus a cordibus piorum!

§. 2.

Quam ob rem extra omnem controverſiam eſt, miſſum a Deo Filium, æque Deum, & Patri Conſubſtantialem in ſua, quam fundavit Eccleſia ſacri Regiminis formam *talem* inſtituiſſe, quæ ſibi propoſito fini quam optime conveniret, id eſt *optimam*. Una quidem vox omnium eſt, quotquot catholicam profitentur fidem, a Chriſto Petrum fuiſſe inſtitutum ceu univerſi gregis ſui Primatem, debitaque in hunc finem juriſdictione inſtructum, quidquid contra Febronius obloquatur ab Eccleſia, eaque vel Germanica jam condemnatus ***). Attamen, quod graviter dolendum, hac ſpecioſa fidei profeſſione, ſine qua nemo catholicus eſſe poteſt, multi noſtris, ah quantum excæcatis temporibus tam ſibi illudunt, quam aliis. Quælibet ſacri hujus Primatus jura

*) De opificio Dei cap. 3. **) Lib. 4. cap. 14. ***) *De ſtatu Eccleſiæ* 1763.

Digitized by Google

jura ita ſingillatim conſtringere, aut verius reſecare nituntur, ut demum tota ejusdem jurisdictio inani tantum nomine relicto evaneſcat, & pereat. Malum paucis abhinc ſeculis ex Gallia ortum, quod non ſine dedecore hujus Eccleſiæ, alias meritiſſimæ dici poteſt, animis, prout fieri ſolet, plus æquo exacerbatis, & fictitiæ libertatis, quæ aliud, idque gravius onus impoſuit, ultra, quam par erat, ſtudioſis. Ibi contra antiquam Patrum fidem, ut erudite Dom. Petididier demonſtravit *), ſupremi Pontificis jura unanimi antea conſenſu agnita primum fuerunt reſtricta, negataque.

§. 3.

Priſtinæ fidelitatis laus Germaniæ noſtræ fere uſque ad hujus ſeculi lapſum conſtitit: ab annis haud ita multis diſceptari inter nos ſerio cæptum de Papæ ſuprema authoritate, & infallibilitate. Cum nondum de dogmate manifeſte definito lis eſſet; veteris fidei, ſed & fraternæ caritatis tenaces animi recentem tolerarunt non ſine dolore quidem doctrinam adeo, ut jam plerique veritatem ſibi notam, aliis vero inviſam prudenti, ut putabant, ſilentio apud ſe retinerent. At vero hac tolerantia more ſuo ſic abuſus eſt error, ut priſtina illa fides jam aperta fronte falſitatis argueretur, imo & convitiis quaſi ultramontana inſipientia, vel mala fraus proſcinderetur. Hinc factum, ut impetu ſemel facto, ruptis jam antiquitatis repagulis temere in ſanctiſſima, divinaque Sedis apoſtolicæ jura involaretur, Gallia caute quidem pedem retrahente, ſed oſtenſa jam improvide erroris via.

§. 4.

Quod hodiernis diebus deplorandum maxime eſt, cum altiſſima Religionis divinæ dogmata plerumque jam ſermone vernaculo tractentur, accedente ſeculi noſtri libidine ad ſcribendum ex plurimorum otio nata; ſcribilatores noſtri haud raro theologicarum rerum, imo & principiorum catecheticorum oppido ignari ſunt, qui tamen aliqua eccleſiaſticæ materiæ lectione ſane haud ſatis decocta jam animantur ad calamum imperita licet manu arripiendum, quo graviſſimos contra fidem chriſtianam errores vel inſcii per orbem ſpargunt. Inde enimvero noſtra ætate juri eccleſiaſtico tam lethale vulnus infligi manifeſtum eſt, quod Atheologi plerique ſint, qui Eccleſiæ ſacerrima jura nihilominus audent cenſorio naſo diſcutere. Siqui alii ex noſtris Cisalpinis, ut nominari amant, & reformatis Canoniſtis Theologiæ operam dederint; hujus tamen aut deſpectu, aut ſaltem neglectu divini eloquii authoritatem ex oculis plerumque dimittunt, inſuper venerandæ antiquitatis documenta ſeu parum æſtimant, ſeu in alienum planſe ſenſum pro more Advocatorum, quod venale eſt hominum genus,

*) Traité theologique ſur l'Authorité, & infallibilité des Papes. 1724.

Digitized by Google

nus, detorquent, ampliorem ſibi præ veteribus peritiam, juris vel ideo arrogantes, eo quod hiſtorica facta ſaniore, ut ajunt, criſi ad inſtabilis ſuæ rationis, ſæpe præjudiciis, & ſiniſtra affectione captæ regulam, normamque exigant. Igitur legitima ſummi Pontificis jura dignoſcere, & æqua lance expendere volenti neceſſe eſt ante omnia animum ſerio ad ea attendere, quæ divinæ Scripturæ eloquia de primatu Petri nos docent. Hinc ſit

PARS I.

FUNDAMENTA EX DIVINIS SCRIPTURIS.

ARTICULUS I.

Chriſti promiſſio.

§. 1.

Cum Dominus, & Redemtor una cum diſcipulis ſuis in partes Cæſareæ Philippi veniſſet, illorum de ſe fidem quaſi exploraturus, verius autem eosdem in fide inſtructurus, quid de ipſo homines ſentirent, interrogavit: *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?* Illi quidem varias, quas audierant, retulerunt hominum opiniones, prædicantem ſibi hominem Chriſtum, ceu miſſum a Deo Prophetam habentium: dicebant enim alii Joannem Baptiſtam, alii Eliam, item alii Jeremiam, aut unum ex Prophetis. Hæc hominum de Chriſto fides ut homine. Quam porro Apoſtoli de ſe fidem haberent, inſtitit Chriſtus ex ipſis quærere: *Vos vero quem me eſſe dicitis?* Præ reliquis inſpiratus a Deo Petrus, quam humano lumine agnoſcere non poterat, divinitatem Chriſti, quippe qui verus eſſet, & per naturam Dei Filius, profeſſus eſt. *Tu es Chriſtus, Filius Dei vivi.* Hanc Petri confeſſionem adprobavit divinus Magiſter, promiſſo inſuper in tantæ fidei remunerationem adjuncto, Petrum fore ædificandæ Eccleſiæ, contra quam nullæ diaboli vires prævalerent, fundamentum, eidemque regni cœlorum claves tradendas, ut quidquid Petrus ſolverit, aut ligaverit in terra, id in cœlo quoque ſolutum ſit, ligatumve. „Beatus es, Simon Barjona, quia „caro, & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui in cœlis eſt; & „ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & „in cœlis." Matth. XVI. Verba Salvatoris tam magnifica non fuiſſe in ventum, & inaniter ad Petrum dicta fidelium quisque mihi neceſſario dabit: imo quis iſtorum ſenſus ſit verborum, notione ſua tam ſimplicium, &

 energia

Digitized by Google

energia tam potentium indagare ſuperfluum forſitan, niſi neceſſitas cogeret, videri poſſet: haud enim diſquiſitionem requirunt, ſed attentionem.

§. 2.

Notum eſt hanc veteribus præcipue in Oriente conſuetudinem fuiſſe, ut novum nomen hominibus inderent ex quodam ſingulari, ad memoriam conſervando eventu. Hujus rei in V. T. ipſe Deus exempla inſtituit Abram, & Jacob nomina in Abraham, & Iſrael immutando, quorum illud Patrem magnæ multitudinis, hoc vero potentem erga Deum ſignificabat, non vano utique & inani ſigno, ſed vere, & realiter efficaci. Cum igitur Dei Filius Simoni, Jonæ filio nomen immutat, & vocari Kepham, ſeu Petram jubet, rationem quoque indicans, eo quod ſupra hanc Petram ædificaturus ſit Eccleſiam ſuam, *ſupra hanc Petram*, ut ait, non ſupra quamcunque, quæ alia forſitan eſſe poſſet, Petram; quis eſt inter fideles, qui adverſus Dei Filium blasphemare, eumque vaniloquii, quin & deceptionis arguere audeat, quaſi magna promiſſione, nominisque immutatione nihil ſingulare Petro dare voluiſſet ille, cujus verbum omnipotens eſt, & quod ſonat, efficit? Petrus Eccleſiæ fundamentum, hoc immutabile Dei effatum eſt, quod non præteribit, etſi cœlum & terra prætereant. Senſus hic verborum Chriſti litteralis eſt, & plane naturalis, atque (cum neceſſe ſit ad mentem SS. Patrum divinas interpretari ſcripturas) unanimis omnium omnino, ne unico quidem contrario, Eccleſiæ Patrum, vel ipſo adeo fatente Febronio, *non obſcure indicari aliquid præcipuum in Petro præ reliquis Apoſtolis* *). Poſſem inter Græcos Origenem appellare, Athanaſium, Gregorium Naziancenum, Epiphanium, Chryſoſtomum, Cyrillum, Theophilactum, aliosque: inter Latinos Tertullianum, Cyprianum, Hilarium, Hyeronimum, ſed unum audiamus nunc Auguſtinum de Petro ſcribentem **). „Solus inter Apoſtolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu „es Petrus: dignus certe, qui ædificandis in domo Dei populis eſſet lapis „ad fundamentum.

§. 3.

Quod itaque Chriſtus tam aperte dixit, non negavit Auguſtinus, dum alibi quodammodo diverſam, haud tamen contrariam textui S. Matthæi dedit explanationem, aſſerens in Petro toti Eccleſiæ datas fuiſſe claves, ut oſtenderet, eas non cum Petro ceſſaſſe, ſed in Eccleſia remanſiſſe. Quod verum eſt: non enim pro Petri perſona, ſed pro totius Eccleſiæ bono promiſſæ, ac datæ ſunt claves regni cœlorum. Enimvero quod capitis eſt, cum id cum reliquo corpore unum conſtituat, hoc totius corporis eſſe, utique per communicationem intelligitur. Eſt autem iſtud toti corpori com-

*) Cap. 2, §. 1, n. 1. **) Serm. 203, in append. nov. edit. T. 5. Col. 338.

Digitized by Google

commune *utilitatis influxu*, non *poteſtatis exercitio*, quæ in capite reſidet. Ita e. g. viſio toti corpori per influxum prodeſt, etſi a ſolo capite ope oculorum exerceri poſſit. Idem de morali quoque corpore ſentiendum, e. g. de perfecto Statu politico, in quo ſuprema jus dicendi poteſtas ita invenitur, ut ad ſolum quidem Principem *uſus* hujus poteſtatis, ad totam vero ſocietatem ejusdem *utilitas* pertineat. Hoc utroque ſenſu cum S. Matthæi textus explicari merito poſſit, aut de *ſolo* Petro, ut capite, aut de *tota* Eccleſia, ut ex capite participante; prout e re viſum fuerit, lectori liberam electionem cum S. Auguſtino velim relictam: etſi enim quoad concipiendi modum diverſitas ſit; una eſt tamen in rei veritate ſententia effato Chriſti innixa, ſoli Petro pro totius Eccleſiæ bono adminiſtrandas cœleſtis regni claves fuiſſe promiſſas: *Tibi dabo claves regni cælorum.*

§. 4.

Cum S. Cyprianum quoque mihi opponas, ita loquentem *): *Hoc erant & ceteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis;* eumdem S. Cyprianum juvat audire fidem catholicam ita profitentem **): *Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam.* Non ergo mihi, ſed ſibimet ipſi S. Patrem opponis. Credas, ſi velis, Patrem hunc ſecum pugnare, mihi non perſuadebis, nec quidquam hac, ſi qua foret, contradictione adverſus Eccleſiæ univerſalis doctrinam evinces. Cyprianum autem facile ſecum, uti & mecum reconciliare mihi videor aſſerendo, omnes Apoſtolos in munere Evangelium prædicandi cum virtute divina miraculorum, ſeu in ipſo *Apoſtolatu*, & miſſionis ſuæ conſortio aliquo modo pares fuiſſe, ſecus vero in regimine ſacro, ſive *Hierarchia* divinitus inſtituta, in qua primum locum, ceu omnium Princeps, præ reliquis Apoſtolis ſolus Petrus cum ſuprema clavium poteſtate accepit. Et hoc quidem ad mentem S. Cypriani, qui totus in eo eſt, ut doceat, ad unitatem in Eccleſia ſervandam a Chriſto *unum caput* fuiſſe inſtitutum. Tolle caput, ut omnes Eccleſiæ Prælatos poteſtate regiminis æquales facias, & cum Febronio unitatem ſuſtuliſti.

§. 5.

Ad divinam vero Scripturam ut redeamus; quid ſibi velint claves regni cœlorum ſoli Petro promiſſæ, amplius diſcutiendum eſt. Supremam regiminis poteſtatem per *claves* indigitari ſat omnibus hodiedum conſtat, quæ ipſa jam conſuetudo Judæorum fuit. Multa congerie locorum ex judaicis libris Ligfood oſtendit ***), verba iſta *ſolvere* vel *ligare* in Hebræorum lingua ſignificaſſe permittere, vel prohibere, id eſt, authoritate ſua

 aliquid

*) Lib. de unitate Eccleſiæ. **) Epiſt. 71. ***) Horæ Talmud. ad Matth. 16.

aliquid licitum, vel illicitum declarare. Suprema Filii Dei poteſtas ita in Apocalypſi deſcribitur *): *Qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Eamdem, ſed tamen pro ratione miniſteriali, poteſtatem in Eccleſiam ſuam Chriſtus Petro pollicetur: *Tibi dabo claves regni cœlorum* Tu portabis claves Eccleſiæ meæ, tu aperies, aut claudes pro Authoritatis tuæ eminentia, nulli hominum rationem redditurus, niſi mihi Domino tuo, & Judici. Tu Curator, & Præfectus regni mei eſto, tu Vicarius meus. Hoc jure nititur Petro, ejusque Succeſſoribus inditus a majoribus noſtris honoris titulus: *Vicarius Chriſti*, & *Apoſtolorum Princeps*.

§. 6.

Nec ſupremam tantum, ſed & illimitatam in terris jurisdictionem Chriſtus Petro pollicitus eſt. „Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit liga„tum & in cœlis; & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in „cœlis." *Quodcunque* dixit, nihil rei excipiendo, *in terra*, qua late patet, univerſa nullum excipiendo locum. Quidquid igitur rei, & ubivis terrarum Petrus aut ſolverit, aut ligaverit, jure ſuo poteſt, illimitata jurisdictione poteſt, ſine cujuscunque Apoſtoli injuria, aut præjudicio poteſt: nullum enim Apoſtolis eſt jus datum, quod Petro ſit negatum, immo quod Petro non ſit ſingulariter, & absque ulla limitatione commiſſum: *quodcunque ligaveris*, *quodcunque ſolveris.*

§. 7.

Nec eſt, quod dicas, ſi omnia ſoli Petro ſunt commiſſa, ergo fruſtra reliquis Apoſtolis jurisdictio, & quidem æque a Chriſto data eſt. Facile enim per te ipſum, ſi velis, perſpicies, in regno bene ordinato ſupremam, eamque illimitatam omnia regendi *poteſtatem* penes Principem reipublicæ eſſe, haud tamen humanam omnia per ſe præſtandi *poſſibilitatem*: hæc utique in homine non datur, ſed illa tamen in Principe. Oportet itaque præter ſupremum Principem, cui plenitudo poteſtatis commiſſa eſt, & alios dari judices, præpoſitosque, illi tamen uni ſubordinatos, qui ſingulas, inter ſe diviſas regiminis partes teneant ad bonum univerſi regimen, ceu ad unitatis ſuæ centrum collimantes. Ita ſane regnum ſuum ſpirituale Chriſtus in terra pro hominibus inſtituere voluit, modo, qui ipſis conveniret, *optimo*, ut uno omnium ſupremo Capite cum plenitudine poteſtatis conſtituto regimen ſingularum partium, etſi plures inter Rectores diviſum ad univerſi tamen utilitatem conſpiraret. Atque hoc ipſum eſt, quod S. Cyprianus ſcripſit: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*

*) Cap. 3. V. 7.

Digitized by Google

tenetur. Certe a ſingulis Epiſcopis pars tenetur propterea, quod ſuum quisque gregem ſingularem regat; in ſolidum vero, ſeu in unum totum, eo quod Epiſcopi legem habeant Eccleſiæ unitatem ſervandi ſub uno ſupremo Capite, quod univerſo Chriſtianorum corpori præeſt. Ergo unus eſt Epiſcopatus in toto conſideratus, unus totius Epiſcopus; ſed & partium dantur Epiſcopi, attamen cum illo uno quaſi membra cum capite, quaſi radii cum ſole, quaſi rivuli cum fonte, quaſi muri cum fundamento *inſeparabiliter* juncti. *Tu es Petrus, & ſupra hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

§. 8.

Sane cum Apoſtoli orbem univerſum inter ſe partirentur prædicatione ſua convertendum, niſi omnes ſub uno ſupremo capite, Petro fuiſſent dependentiæ vinculo conjuncti, etſi eamdem ubique fidem prædicaſſent; ex diverſis tamen regionibus, quæ cuique in ſuam partem ceſſerant, unam haud collegiſſent Eccleſiam, ſed ſinguli ſingulas ſe ſe inter nullo ſocietatis, ſed tantum caritatis vinculo ad tempus, donec caritas refrigeſceret, conjunctas, quippe quarum capita nullam habuiſſent a ſe mutuo dependentiam, e. g. Bartholomæo erga Philippum nulla utique jurisdictione regiminis prædito. Id vero neutiquam ſapientiſſimo Chriſti conſilio erat conveniens, qui in hanc terram advenerat, ut ex multis populis unum ſibi regnum, perpetuo duraturum, conſtitueret; hinc unum elegit poſt ſuum inde diſceſſum loco ſui Vicarium, ſcilicet Petrum ſumma rerum eidem commiſſa: *Tibi dabo claves regni cælorum.*

§. 9.

Erunt forſitan, qui §. 7 offendantur paritate ſupremi in regno Principis, aliorumque Rectorum, eidem tamen ſubditorum, quaſi ſicut hi non niſi Principis vices gerunt, ita Apoſtoli tantummodo Petri, non vero ipſius Chriſti Vicarii fuiſſent. Quodſi hanc ſimilitudinem (non equidem perfectam) indigne ferant; certe haud in me, ſed in Chriſtum ipſum indignatio recidat neceſſe eſt, qui ſupremam, eamque pleniſſimam, quippe illimitatam regiminis poteſtatem apertis adeo verbis, atque energicis Petro promiſit, *Tibi dabo claves regni cælorum, quodcunque ligaveris, aut ſolveris in terra, erit & in cælo ligatum, aut ſolutum.* Quidquid ligaveris, ergo & in tuis, ſi opus fuerit, Coapoſtolis; in terra, ergo & in locis aliorum Apoſtolorum prædicatione converſis, eorumque curæ immediate ſubditis. Hanc univerſalis jurisdictionis plenitudinem in Petro tu forte poteſtatem dices *mediatam*, & *extraordinariam?* Si de prudenti œconomia *uſus* id intelligas, manus tibi meas do; ſi de *jure* vero, Chriſto contradicis, qui Petro, ceu univerſali ſui Vicario, hanc *illimitatam* poteſtatem proprio ore

con-

Digitized by Google

contulit, hinc ſane *ordinariam*, & *immediatam.* Epiſcopus imprudenter ſua uteretur, vel potius *abuteretur* jurisdictione, ſi Parochis inſuperhabitis pleraque, & more ſolito per ſe ipſum ordinaret; poteſtas tamen jurisdictionis quoad ſingulas Parochias ordinaria, & immediata in Epiſcopo reſidet, quam etiam *jure* exercere poteſt gravi ratione id exigente. Hinc certos caſus, aut certas perſonas, e. g. Moniales merito Epiſcopus ſuis in Parochiis reſervat. Adplicationem penes te ipſum æqua lance pondera, mi optime Lector! Ceterum ex illa ſupremi Principis paritate nondum ſequitur, quod ad invidiam conflandam quidam extrahunt: non enim ſicut mundi Principes *proprio Nomine*, ita Petrus in Eccleſia principatum tenet, ſed & ille, & ceteri Apoſtoli ſunt Chriſti, qui proprie Princeps eſt, *Vicarii*, hoc tamen diſcrimine, ut Principi-Vicario, id eſt Petro, ſubditi ſint reliqui omnes Apoſtoli. Vin tibi rem denuo exemplo illuſtrari? Quilibet inferioris ordinis curatus ſacerdos jurisdictione divina eſt Chriſti Vicarius ad ſuam plebem, nihilominus jurisdictioni ſuperioris Vicarii, qualis Epiſcopus eſt, ſubjectus.

§. 10.

Nonne vero *eamdem*, quam Petro promiſſam legimus Matth. XVI. poteſtatis plenitudinem, clavesque cœlorum Chriſtus omnibus dedit Apoſtolis Matth. XVIII. „Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper ter„ram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt „ſoluta & in cœlo"? Nonne & reliquos Apoſtolos S. Paulus vocat fundamenta Eccleſiæ Epheſ. II. „Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolo„rum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu"? Nonne in Actis Apoſtolorum XX. ſcriptum eſt: „Spiritus ſanctus poſuit Epiſco„pos regere Eccleſiam Dei"?

§. 11.

Hæc quidem, & ſimilia contra S. Petri primatum, ſed & contra ipſius Chriſti clariſſimum effatum a viris Acatholicis opponi ſatis omnibus notum eſt. Res mira vero, & dolenda merito videtur, ſi ſimile quid ex ore Catholicorum reſonat, queis Papæ primatus in univerſum orbem cum jurisdictionis plenitudine a Chriſto inſtitutus ſanctiſſimum dogma, in Conciliis Lateranenſi IV, & Florentino jam definitum, fide divina credendum eſſe debet. Itane vero, qui Catholicos ſe dicunt, Dei Filium inanis eloquii, quin & falſi arguere non verentur, ut dum magno apparatu, & nominis immutatione ſingulare privilegium *ſoli* Petro promiſerit, idem poſtea dans reliquis Apoſtolis, revera nihil *ſingulare* Petro dederit? Conſilia Dei absque pœnitentia ſunt: Si cœlum & terra prætereant, ut M. Boſſuetus dixit, verbum Domini ad Petrum non præteribit inane. Dicant ergo illi,

Digitized by Google

ubinam Chriſtus Andreæ, aut Jacobo, aut Joanni, aut cuicunque Apoſtolorum *in ſingulari*, æque illimitatam dederit, ſicut Petro promiſit, regiminis poteſtatem? Cuinam ex Apoſtolis præter *ſolum* Petrum concreditæ ſunt claves regni cœlorum? Ligandi, ſolvendive poteſtas Apoſtolis data, inquies, eſt ipſa jam clavium poteſtas. En! quanto tibi ex fundamento id negem: per illam clavium Matth. XVI. ſupremam regiminis poteſtatem denotari jam ſupra §. 5. oſtenſum a me eſt. Chriſtum vero Matth. XVIII. Apoſtolis non illam ſupremi *regiminis*, ſed aliam *ſacerdotii* poteſtatem omnia peccata remittendi, aut retinendi promiſiſſe vel ex ipſo contextu colligitur, ubi expreſſe de peccatis commiſſis, & apud Deum ſolvendis, ligandisve ſermo eſt. Hoc ſuo promiſſo Chriſtus ſtetit, dum Joan. XX. ſacerdotalem ordinis poteſtatem *pro foro interno* peccata remittendi, & retinendi Apoſtolis contulit. Solvere, & ligare omnia peccata poſſe communis eſt ergo ſacerdotii poteſtas, *vi ordinis* omnibus etiam ſecundi gradus ſacerdotibus competens, qui hac in re Apoſtolorum Succeſſores ſunt, & in hoc ſacro tribunali Chriſti Vicarii. Hujus tamen poteſtatis uſum in regno Chriſti haut eſſe illimitatum, ſed a ſuperiore e. g. Epiſcopo in Presbyteris reſtringi poſſe, aut ampliari Catholicorum nemo inficias iverit. Niſi hac reſponſione contentus ſis, dicas mihi, obſecro, ubinam promiſſum ſuum Matth. XVIII. præterquam Joan. XX. Chriſtus impleverit?

§. 12

Si vero nihilominus obſcuri textus aliam præoptes explicationem, eamque de regiminis poteſtate; neque me etiam invitum habebis. Memineris tantum non *ſingulis* Apoſtolis, ſed *omnibus* a Chriſto promiſſam fuiſſe quæcumque ligandi, aut ſolvendi poteſtatem. Apoſtolis, immo toti Eccleſiæ *in corpore* id promittitur, utique a ſuo *capite* non disjuncto; igitur in promiſſione Apoſtolis data haudquaquam excluditur, ſed enimvero includitur Petrus, neque *disjunctim* a Petro Apoſtolis, ſed tantum *conjunctim* cum Petro Apoſtolis convenire promiſſio poteſt. Senſus eſt, illimitatam regiminis ſpiritualis poteſtatem in Eccleſia reſidere, ſicut ſi tibi diceremus, in perfecto Statu politico illimitatam dari regendi poteſtatem. Quid inde? an quia in toto ſtatu ſuprema poteſtas; hinc minus in ſolo Principe, ceu corporis politici capite ſupremæ poteſtatis exercendæ jus reſidet? an poteſtas totius politici ſtatus illi capitis poteſtati opponitur? an non in hac potius illa collecta invenitur, & ab hac in alia quoque membra, quaſi in ramos dilatatur? Ita ſane! quæcumque ſolvendi, & ligandi poteſtas in corpore Paſtorum cum ſuo capite conjunctorum ineſt; hoc tamen neutiquam obſtat, quo minus in capite ſolo omnis eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudo reſideat, in alios, prout e re fuerit, communicanda, id quod divi-

Digitized by Google

nus Inſtitutor Chriſtus apertiſſimis verbis Petro promiſit: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris, quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ligatum, ſolutumve in cœlo.* Qui Patrum quorumdam voce mutuata ex illo textu: *Quæcunque ligaveritis, quæcunque ſolveritis*, dicunt omnibus Apoſtolis regni cœlorum claves fuiſſe datas; noverint ſibi integrum ex SS. Patribus ſenſum eſſe proferendum, addendumque claves fuiſſe ceteris per Petrum communicandas, hoc eſt, regiminis poteſtatem in Apoſtolis ſaltem ab illa Petri fuiſſe dependentem. Ita Optatus Milevitanus *): „Bono unitatis B. Petrus & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni „cœlorum communicandas ceteris *ſolus* accepit."

Eadem quoque reſponſio ad alterum textum §. 10. quadraret, ſi tamen ibi ratione *regiminis*, & non potius *doctrinæ* Apoſtoli, quemadmodum & Prophetæ fundamentum Eccleſiæ vocarentur.

§. 13.

Quod vero ad tertium jam ſpectat textum, *Epiſcopos eſſe poſitos ad regendam Dei Eccleſiam;* nihil plane frequentius, quam hæc vetus cantilena in ore hodiernorum ex Febronii ſchola hominum reſonat; eadem ſiquidem chorda plerique oberrant. Hic ipſe locus vero inſigne teſtimonium eſt contra theologos pleroſque, prout noſtra ætas fert, Juriſconſultos, quantum inſcitia ſua abripiantur; adeo ut proprio ſe ſe gladio incauti confodiant: non enim, niſi ſolum nomen *Epiſcoporum* eſt, quod cauſæ ſuæ poſſit patrocinari, ſenſus vero ipſe allegati textus Act. XX. quam maxime poteſtatis *epiſcopalis*, prout hodie extenditur, amplitudini adverſatur. Res quippe comperta eſt, quod primis Apoſtolorum temporibus appellatio *Epiſcopi*, ſicut & *Presbyteri* omnibus ſeu primi, ſeu ſecundi ordinis ſacerdotibus communis fuerit, ita, ut vel nota critica erudito ſit Baſnagio **), documentum apoſtolica ætate recentius eſſe, ſi in eo jam non promiſcue, ſed cum diſcrimine ad noſtrum ſenſum nomina illa *Epiſcopus*, & *Presbyter* occurrunt. Hinc S. Paulus, ubi Epiſcoporum officia deſcribit 1. Timoth. III, & Tit. I, aut ubi ſalutem Epiſcopis dicit, ut Philippenſibus I. eoſdem nullibi a Presbyteris diſtinguit, ſed tantum a Diaconis. Inſuper autem id allegato ex loco eo clarius elucet, quod iidem, qui nunc v. 28. Epiſcopi, & Eccleſiæ Rectores dicuntur, ſupra v. 17. Presbyteri, id eſt, Majores natu Eccleſiæ vocantur. Certe Eccleſiam regere cujuslibet ſacerdotis eſt, qui hodiedum in ipſa ordinatione ſua *præeſſe* jubetur. Quid ergo? Presbyter, ut gregem ſibi commiſſum regeret, divina jurisdictione præditus ab Epiſcopo non dependeat, ejusdem mandatis, prout viſum fuerit,

*) Lib. 1. contra Parmenianum. **) Contra Epiſt. S. M. Ignatii.

rit, refragari queat, *ordinariam*, & *immediatam*, ſeu ſi fas eſt, invidioſa hac voce uti, *concurrentem* poteſtatem ſuo Superiori, hoc eſt, Epiſcopo, in oviculas ſibi demandatas abneget? Væ Epiſcopis, ſi clamore noſtrorum Reformatorum excitati Presbyteri ad vindicanda ſua jure divinitus conceſſa, & antiquitus habita (injuſte quidem id fieret) evigilarent! Jam nihil illis poteſtatis propriæ præter ſolam ordinationem, nihil autem jurisdictionis propriæ forſitan remaneret, & hoc quidem ex primævis Juribus: *Quid facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?* quærit S. Hieronymus. Sane quisquis in antiquitate eccleſiaſtica totus non eſt peregrinus, facile animadvertat, ſi compilatis veterum teſtimoniis in priſtina ſua jura reſtitui contra Epiſcopos Presbyteri poſtularent, ſicut hodie contra ſummum Pontificem quorumdam Epiſcoporum advocati clamitant, (ut nihil de Archiepiſcopis dicam, qui aliunde divinæ inſtitutionis non ſunt, ſed tantum ab hominum voluntate ſuam habent exiſtentiam) multo pejorem cauſam Epiſcoporum fore, quam nunc Papæ cauſa undique aſſurgentibus adverſariis eſſe videatur. Diſcant ergo intempeſtivi noſtrorum Epiſcoporum contra Pontificia jura advocati cautius ad priſci ævi jura provocare, & in ſpecie ab illo textu Act. XX, quo tam frequenter abutuntur, ſibi cavere, *Epiſcopos eſſe poſitos, ut regerent Eccleſiam Dei:* quippe quo textu, niſi ſalvis ſuperioris ſedis juribus, & quoad partem regiminis ſuæ curæ commiſſam explicetur, Epiſcopi ſua ſuperioritate erga Presbyteros exciderent. *). Æqua lance ponderantur ſicut Presbyterorum jura, & Epiſcoporum; ita quoque Epiſcoporum, & ſupremi Pontificis. Filii hominum juſte judicate!

§. 14.

Incaſſum aliqui prætendunt nullam Presbyteris jurisdictionem *externam* competere, nec proinde illos Epiſcopis, ſicut hos Papæ opponere ſe poſſe. Facile enim erit Presbyteris, ſi volupe fuerit, hujus aſſerti falſitatem vel ex antiqua praxi, vel ex ipſis divinis Scripturis oſtendere.

*) In originali græco textu non tantum vox *regere*, ſed magis propria *paſcere ποιμαίνειν* legitur. Impleri ſcripturam oportet. Ego autem experientiam teſtem invoco, quinam ſunt chriſtianæ plebis Paſtores, certe a Deo ad hoc poſiti, qui verbo tum privato, tum publico, in rebus arduis conſilio, in afflictis ſolatio, in periculis animæ ſubſidio, in ipſa demum morte aſſiſtentia, & ordinaria Sacramentorum miniſtratione ſinguli quidem oves Chriſti ſingulares, univerſim autem gregem univerſum paſcunt; an potius primi ordinis Sacerdotes ſunt, an ſecundi? Certe inquam, a Deo poſiti ſunt, qui etiamnum hodie populum Dei non ſine propriæ vitæ diſcrimine paſcendi officium exercent. In his ergo S. Scriptura hodiedum ſingulari quodam modo impletur: his, id eſt, Presbyteris æque, ac Epiſcopis S. Petrus ſcripſit: *Paſcite*, ſeu regite, *qui in vobis eſt, gregem Dei.* I. Pet. V. 2.

Unde enim Epiſcopi ſuam, quam habent externam jurisdictionem, clarius ex SS. Litteris probabunt, quam ex memorato textu, *Epiſcopos eſſe poſitos, ut regerent Dei Eccleſiam?* Atqui cum certum ſit ex Scripturis Presbyteros quoque Epiſcoporum nomine deſignari; vel hoc fortiſſimo argumento adverſus Epiſcopos illi roborabuntur, externum regimen, quo ab initio gaudebant adeo, ut etiam excommunicare poſſent, & in conciliis decidere, ſibi revindicaturi. Vide doctiſs. Selvaggium *). Utquid vero ad extrema deviandum, media via, in qua veritas, & pax ambulant, ſeque mutuo oſculantur, relicta? Ita enimvero! Epiſcopi, nec non & Presbyteri a Spiritu ſancto poſiti ſunt, ut regerent Eccleſiam Dei, *ſed ordine ſuo*, ſicut in corpore bene ordinato, quale Corpus Chriſti myſticum, ſeu Eccleſia eſt, diverſa membra diverſis præſunt officiis, ſed omnia tamen ab uno, eoque ſupremo Capite dependentia. Presbyteri in portionem aſſignati ſibi gregis regimen tenent, ſubordinatum tamen ſuo Superiori, id eſt Epiſcopo, cui & ipſi obedire tenentur, a quo ipſorum etiam poteſtas, etſi juris divini ſit, nec fixis a Chriſto limitibus circumſcripta, quoad actuale exercitium vel reſtringi, vel ampliari, vel etiam *concurrenter* adjuvari, emendarive, atque ſuſpendi poteſt, prout aut utilitas exigit, aut neceſſitas. Et hæc quidem eadem juſta proportione dicta ſint Epiſcopis, qui & ipſi clavibus Petri, ceu ſupremi Capitis, & univerſalis in terra Chriſti Vicarii ſubjecti ſunt. Ita Eccleſia tam in gregariis militibus ſuis, quam in ipſis Ducibus ſub uno ſupremo Imperante bene ordinata eſt acies. Sicut in exercitu *generatim* Ducibus ſuprema imperandi poteſtas eſt, *ſingillatim* autem uni omnium Principi; ita omnibus Apoſtolis generatim data eſt Eccleſiam regendi illimitata poteſtas, *quidquid ligaveritis, quidquid ſolveritis, ligatum ſit, ſolutumve*: ſingulariter vero ſoli Petro, omnium Apoſtolorum Principi, cui dictum eſt: *Quidquid tu ligaveris, aut ſolveris, ligatum ſit, aut ſolutum* Itaque in omnibus Apoſtolis illimitata poteſtas ſacra eſt, ſed non in ſingulis, præterquam in ſolo Petro. Quodſi Petrum excipias, truncatum corpus Eccleſiæ eſt absque capite, cui ſi membra reſiſtant, ſchiſma faciunt, ordinem a Chriſto inſtitutum turbant, & a capite ſe ſeparando in proprium ruunt exitium. De membris *quibusdam* id dico, quæ capiti repugnant: numquam enim *in omnibus*, ſeu toto in corpore id continget ex divina promiſſione, quæ Eccleſiam *inſeparabiliter* ſuo fundamento, quod Petrus eſt, conjunctam uſque ad finem mundi ſtabilem conſervabit. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* En manifeſtam, & infallibilem veræ Eccleſiæ notam pro perturbato ſchismatis tempore! *Verum eſt Chriſti corpus, quod cum Capite Petro conjunctum.*

§. 15.

*) Antiq. Chriſt. tom. 2. cap. 1, §. 2.

Digitized by Google

§. 15.

Falſum autem inſuper eſt illud inter ſeculi noſtri Canoniſtas ſat commune præjudicium, Epiſcopos nullo cum diſcrimine, ſed eadem poteſtatis amplitudine Apoſtolorum eſſe Succeſſores. Haud ita ſane! Epiſcopi quidem *generatim* in Apoſtolici Corporis jura perpetuo duratura ſubintrarunt, non tamen *ſinguli* in jura ſingulorum. Hanc a Chriſto poteſtatem Apoſtoli ſingillatim acceperunt, ut cuilibet ſua jurisdictio per orbem extenderetur univerſum, id quod pro temporis illius circumſtantiis neceſſarium fuerat mundo nondum ad fidem Chriſti converſo, ſed primum per paucos homines convertendo. Verum hæc apoſtolicæ Miſſionis pro toto orbe illimitata poteſtas in Eccleſiarum particularium, ubi ſemel erectæ erant, Rectores, ſeu Epiſcopos ab Apoſtolis conſtitutos jam tunc transfuſa non fuit: Apoſtoli enim cum aſſignata gregis portione, ſicque conſtricta jam regiminis poteſtate Epiſcopos inſtituerunt, uti S. Paulus ſuum diſcipulum Titum Cretæ reliquit, Tit. I. Etiam Apocal. I. legimus in ſeptem Eccleſias Aſiam fuiſſe diviſam, & ſeptem Epiſcopis, ſeu Angelis ſuum cuique candelabrum concreditum. Neque quoad *ſubjecta* tantum, verum etiam quoad *objecta* ab Apoſtolis reſtricta fuit particularium Paſtorum, quos inſtituerant, poteſtas. Sic apud Corinthios diſciplinam ordinare ſibi ipſi Paulus reſervaverat: *Cetera, cum venero, diſponam*, 1. Cor. XI. Hinc falſo laborant præjudicio, qui, ut illam Apoſtolorum, ita hanc Epiſcoporum jurisdictionem æque illimitatam eſſe ſibi perſuadent. Sua cuique Epiſcopo jurisdictionis portio primitus aut ab Apoſtolo quodam, aut prout nunc ſunt Epiſcopi, a Petri Vicario, id eſt, Romano Pontifice fuit conceſſa. Illa igitur apoſtolicæ Miſſionis ampliſſima, atque illimitata jurisdictio neutiquam in Epiſcopos noſtros tranſiit, quippe cum nulli jam illorum ſint in Apoſtolatu ſucceſſores. Solius jam nunc apoſtolicæ Sedis hæc prærogativa eſt, ut cum eadem poteſtatis plenitudine Petrus adhuc in ſuo Vicario, ſeu Succeſſore toti chriſtiano orbi præſideat. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.*

§. 16.

Non contemnenda eſt, etſi haud ita evidens ſit, S. Matthæi cap. XVII. narratio de didrachmate, quod Chriſtus pro ſe tantum, & pro Petro ſolvit, quo facto privilegium Petri præ reliquis Apoſtolis præſignaſſe videtur. Dignum eſt, ut in hunc locum S. Joannis Chryſoſtomi expoſitionem audiamus *): „Humanum quidpiam paſſi diſcipuli ſunt, quod & „Evangeliſta ſignificat, dicens: *In illa hora*, quando plus, quam ceteros „omnes

*) Homil. 58. in Matth.

Digitized by Google

„omnes illum (Petrum Chriſtus) honoraret. — Hinc pudore affecti animi „ſui commotionem confeſſi ſunt, neque aperte dicunt, cur Petrum nobis „prætuliſti? Num ille major nobis eſt? Non audebant enim; ſed indefinite „interrogant: Quis major eſt? Nam cum tres viderunt præferri ceteris, nihil ſimile paſſi ſunt: cum autem unus tantum honorem tulit, tunc dolo„re ſunt affecti." Animadvertebant igitur Apoſtoli magnum Petro honorem a Domino fuiſſe delatum, cum pro ſe, & ſolo Petro didrachma ſolvi juſſerit, quaſi jam appropinquante regno ſuo Petrum ſui Vicarium deſignare voluiſſet. Hinc ſine limitatione dici non poteſt, omnes Apoſtolos pari honore cum Petro fuiſſe a Chriſto honoratos.

§. 17.

Aliud inſigne promiſſum præ reliquis Apoſtolis Petro, & quidem, ut cum ſchola loquar, *excluſive*, ſeu *ſoli* datum habetur Luc. XXII. Orta enim contentione inter Apoſtolos, *quis eorum videretur eſſe major*, optimus Salvator dominandi ſuperbam ambitionem, quæ in illis erat, pro ſua manſuetudine redarguens, non ſic eos, uti mundi Principes, faſtu ſcilicet externo, & cum tyrannide in regno ſuo dominaturos docuit, ſed cum humilitate, & beneficentia, qua major debeat minori inſervire, ſui ipſius exemplo propoſito, utpote qui illis ad menſam recumbentibus miniſtraverit. Etſi itaque faſtuoſum illum dominatum cum inani pompa, & tyrannidis horrore conjunctum Chriſtus in ſuis diſcipulis reprobaverit; haud tamen omnem vel inter ipſos diſcipulos dominatum abſtulit, ſed potius inſinuando confirmavit illi, qui ceteris dominaretur, humilem, & mitem poteſtatis uſum exemplo ſuo commendans: *Qui major eſt in vobis*, *fiat ſicut minor.* Porro Chriſtus omnibus Apoſtolis propter fidelitatem in tentationibus ſibi præſtitam in regno ſuo, quod diſpoſuerat, primas ſedes promiſit unacum judicandi alios poteſtate: *Sedebitis ſuper thronos judicantes duodecim tribus Iſrael*, prævidens autem diaboli conatus, & vehementiam perſecutionum, queis vexandi eſſent Apoſtoli, ad *unum* Petrum converſus, quem iterato nomine ad majorem ſermonis energiam compellat, quaſi in hunc *unum* totius ſuæ erga omnes ſollicitudinis onus effundens ait: *Simon! ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum.* Ita cum Apoſtolis omnibus, quas a dæmone experturi eſſent, tentationes prædixiſſet; illorum tamen inſuperabilem ſtabilitatem in Petro fundandam pollicitus eſt divinus Magiſter, ſermonem cum Petro, veluti totum cum eo negotium perficiens: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hæc Petri fides a Chriſto ſtabilita, quæ poſt lapſum ſuum numquam amplius defectura eſſet, ceu quædam petra eſt, qua ceterorum omnium Apoſtolorum fides firma teneretur: *Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

§. 18.

§. 18.

Præclare in hunc locum noſter Eckius commentatur *): „Arrige aures, „quæſo, ſincere Lector! & perpende, quoniam aliis Apoſtolis præſentibus „ad ſolum Petrum dixit Chriſtus: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* „& hoc perpenſo, quod alii Apoſtoli fuerunt præſentes, ſtatim invincibi-„liter concludes, Petrum primatum omnium habuiſſe, cui ſpecialiter hoc „dixit. Expendas, quæſo, quod primo nominatim eum adpellat, *Simon!* „quaſi ex aliis eum vocando, & diſcretim alloquendo, *Simon*, ait. Dein „quod communem futuram prædixit eorum tentationem, *Satanas expetivit* „*vos* Dein tertio revertitur ſpecialiter dicendo, *ego rogavi pro te*, non „dixit *pro vobis*: & iterum, *ut non deficiat fides tua. Tua* dixit, non *veſtra.* „Et ne aliquid dubitationis ſubeſſet, addit, *& tu* in præſentia aliorum „Apoſtolorum. Et ut indubitatiſſime ab aliis eſſet diſtinctus, addit, *con-„firma fratres tuos*, qui erant diſcipuli, & Apoſtoli. Acſi apertiſſime di-„ceret Chriſtus: *Ego tui, tu aliorum curam habeas* " Si ergo Apoſtoli adhuc in Epiſcopis vivunt, ſi Petrus adhuc in ſuo vivit Succeſſore, vivit autem certe, eoquod fundamentum eſt Chriſti Eccleſiæ, quæ interire non poteſt; noverint Epiſcopi unicam ſuæ fidei firmitatem in Petri fide, ceu Petra ſtabiliri, timeant ab hac alienari, ſecus fundamento deſtituendi, & inſtante diaboli tentatione haud perſtituri, niſi a Petro confirmentur. Si-quis tranquilla mente, & præjudicio, aut malevola adfectione non corrup-ta hunc S. Scripturæ locum apud ſe perpenderit; ſane is de Sedis apoſto-licæ inerrantia, pro qua ſingulariter Chriſtus patrem rogavit, neceſſario convincetur. Inde etiam perſpicitur, non *ſingulis* tantum Apoſtolis, ſed *univerſim* omnibus congregatis Petrum fuiſſe præhabitum, pro quo ſolo, non pro reliquis perſeverantiam in fide Chriſtus a Patre non ſolum roga-vit, ſed quam certiſſime etiam impetravit. Demum ex eo apparet, quam neceſſaria ſit ſingulorum Paſtorum a Petro dependentia, a quo in arduis rebus, ne a dæmone in errorem inducantur, & a fide recta deficiant, illos confirmari neceſſe eſt. Nugas loquuntur contra divini eloquii expreſſam veritatem, qui plenam Eccleſiæ ſuæ ſollicitudinem cuilibet Epiſcopo attri-buunt, illam *concurrentem* Papæ, eamque ſuperioris ordinis everſuri.

§. 19.

Chriſtus, inquies, etiam omnibus Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, id eſt, Epiſcopis ſuam promiſit aſſiſtentiam, ne a fide aberrent: *Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſecul.* Matth. XXVIII. Bene dicis id omnibus Apoſtolis fuiſſe promiſſum. At cogita, non *ſingu-lis*,

*) Contra Lutherum de Primatu Petri Lib. 1. cap. 45.

lis, ſed *omnibus*, utique in univerſitate Petro, ſeu Capite incluſo. Quod totius per communicationem privilegium eſt, id enimvero unius ſingularitati non derogat. Sic ipſa æterna Veritas totum hominis corpus *lucidum* dixit, etſi luminis ſedes, ſeu oculus, in ſolo capite fixa ſit. Igitur Paſtores Eccleſiæ errare non poſſunt *in corpore* cum ſuo Capite, quod Petrus eſt, conjuncti, unde indefectibilis fides Chriſti precibus impetrata illis communicanda eſt. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fratres tuos.*

§. 20.

Sunt inter hodiernos quidam, qui improvide contendant, id privilegii ſcilicet indefectibilitatis in fide ita *ſoli* Petro fuiſſe promiſſum, ut in Succeſſores non tranſierit. Hi improvide inquam in ſcyllam incidunt, dum vitare carybdin volunt; ſiquidem infirmo licet hoc effugio cauſam Epiſcoporum non meliorem faciunt, ſed deteriorem. Si enim vel ipſis adeo Apoſtolis, ne in fide deficerent, neceſſaria fuit a Petro dependentia, a quo in fidei firmitate tenerentur; quanto amplius ſequioris ævi Epiſcopos nullo jam (ſicut de Apoſtolis ab Eccleſia creditur, quorum ſinguli proprio Chriſti ore inſtructi, & Spiritu ſancto perfuſi, ac in gratia fuerant confirmati) quanto amplius Epiſcopos nullo jam *perſonali* inerrantiæ privilegio præditos, ne a fide aberrent, ſupremo Eccleſiæ Capiti ſubeſſe oportebit? Si vel toti apoſtolico Corpori ita præpoſitus fuit Petrus, ut omnes, non ſinguli tantum ab eo debuerint confirmari, in quo uno *ſingulariter* inerrantiæ donum fuit collocatum; quis hodierno Epiſcoporum cœtui ampliorem tribuat authoritatem, aut fidei infallibilitatem? Verbo quis neget Petri Vicarium & Succeſſorem id hodie adhuc ſupra omnes eſſe Epiſcopos, quod Petrus ſupra Apoſtolos fuit univerſos, eumque etiam in concilio *ſupremam* habere in omnes authoritatem, & extra concilium in ſe ipſo, ceu fidelium Chriſti Capite *fidei infallibilitatem?* Gallicana, inquies, Eccleſia id negat. Neget pace mea, ſed quisquis neget, contra divini eloquii veritatem negat. Tantum tolerata eſt, ſeu nondum eccleſiaſtico fulmine condemnata hæc opinio, ab ipſis Gallis ſolidiſſime jam impugnata, atque etiam confutata. Heu quam miſerum ſolatium *tolerari*, nondum *condemnari!* Sancta, & optima Mater Eccleſia non vult infligere vulnera, niſi ex neceſſitate.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Chriſti collatio.

§. 1.

Sed & promiſſis ſuis fideliter ſtetit veraciſſimus, quippe divinus Eccleſiæ fundator, Deus-homo, Jeſus Chriſtus. Cum enim optimus Paſtor, qui animam ſuam pro ſuis ovibus tradiderat, a morte redivivus jam tertio Apoſtolis ſe manifeſtaſſet; Simonem, quem antea Petrum vocaverat, interrogavit, num aliis diſcipulis, quos ad litus properando fide prævenerat, etiam caritate erga ſe præcelleret. *Simon Joannis diligis me plus his?* Joan. XXI. Petro amorem ſuum ex ipſius divini Magiſtri ſcientia conteſtante: *Domine! tu ſcis, quia amo te*, eidem paſcendos ſuos agnos tradidit: *Paſce agnos meos.* Hac quæſtione repetita Chriſtus idem reſpondenti Petro paſcendos agnos iterato commiſit. Cum autem tertio Chriſtus eadem quæſtione inſtaret; tum vero contriſtatus eſt Petrus, haud dubie in memoriam revocans trinam Magiſtri ſui negationem poſt illam fidei præſumtionem, qua omnes alios ſibi poſtpoſuerat: *Si omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Ergo jam in ſe diffidens, nec amoris prærogativam præ ceteris ſibi arrogans, cum animi dolore omniſcio Magiſtro ſui amoris conſcientiam reſignat: *Domine! tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te.* Chriſtus vero nunc jam tertio totum gregem ſuum Petro paſcendum committit, *paſce oves meas*: ita diſcipuli hujus ampliorem præ reliquis caritatem remunerans, univerſi gregis Paſtorem inſtituendo; ſicut antea ſublimiorem præ aliis fidem remuneratus, eundem totius Eccleſiæ fundamentum conſtituendo. Quæ duæ ſunt ſupremi Paſtoris præcipuæ dotes, excelſior fides, & uberior caritas, eas in Petro ambas videmus, hinc Petrum ſupremo Paſtoratu totius gregis donatum.

§. 2.

Certum eſt usque adeo, ut evidens ſit ſoli, & ut ajunt, *individuo* Petro cum aliorum omnium excluſione id officii, *Paſtoris univerſalis* fuiſſe commiſſum, utpote quem ſolum in præſentia aliorum Apoſtolorum rigoroſo adeo examine Chriſtus probaverat, an præ reliquis ſe plus diligeret: *Diligis me plus his?* & ait Petro, *paſce agnos meos paſce oves meas.* Hæc immediata & univerſalis Chriſti miſſio eſt ſoli Petro propria, nec alteri cuicunque Apoſtolo, nec univerſo Apoſtolorum collegio communis, niſi ut ſub Petro & ipſi paſcant. Non *ſuprema* tantum hæc jurisdictionis poteſtas eſt, ſed & *univerſalis*, quippe in totum gregem. Nullus hic diſtinctioni

ſcholaſticæ locus in jurisdictionem *immediatam*, & *mediatam*: una enim Chriſti voce totus grex paſcendus Petro immediate fuit traditus: *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*. Non paſtores magis, quam grex, non minus agni, quam oves, ſed & matres, & filiæ, id eſt, fideles ſinguli, & univerſi uni Paſtori omnium, Petro fuerunt & *immediate* quidem a Chriſto ſubjecti. Deus locutus eſt, ſi cœlum, & terra prætereant, hæc filii Dei verba non præteribunt: *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*. Sileant ranæ, dum cœlum tonat!

§. 3.

Ita Patres noſtri crediderunt, hoc eodem ſenſu textum Joannis XXI. intellexerunt, quo ſenſu Catholicos oportet S. Scripturam interpretari. Origenes nullo facto diſcrimine inter agnos, & oves ita pronunciat *): „Petro cum ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſupra ipſum „velut petram fundaretur Eccleſia; nullius confeſſio alterius virtutis ab eo, „niſi caritatis exigitur." S. Chryſoſtomus de Petro ait *2): „Sic abluit il„lam abnegationem, ut primus Apoſtolorum factus ſit, eique totus terra„rum orbis commiſſus fuerit." S. Epiphanius totum Chriſti ovile Petro fuiſſe creditum teſtatur *3): „Hic eſt, qui audivit, paſce agnos meos, cui „creditum eſt ovile." S. Ambroſius Petrum vocat propter præcipui amoris ſui confeſſionem ipſius ſummi Paſtoris, Chriſti Vicarium *4): „Quem „elevatus in cœlum amoris ſui Vicarium relinquebat, — quia ſolus profi„tetur, ex omnibus antefertur." S. Auguſtinus ita loquitur *5): „Quid „incongruum, ſi Petrus poſt peccatum factus eſt Paſtor Eccleſiæ, ſicut „Moyſes poſt perculſum Ægyptium factus eſt Rector Synagogæ?" An Moyſes forte nonniſi *mediatam* in populum habuit jurisdictionem? aut minus forte, quam Moyſes in Synagogam, Petrus in Eccleſiam potuit, cui voce dominica æque ac illi totus grex fuit concreditus? S. Leo M. hæc ſcribit *6): „De toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum „gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus „præponeretur, ut, quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multi„que Paſtores, omnes tamen *propriæ* regat Petrus, quos principaliter regit „& Chriſtus." Theophilactus ait *7): „Finito prandio præfecturam ovium „totius mundi Petro commendabat, non autem aliis, ſed huic tradidit." S. Eucherius Lugdunenſis in l. c. ſic commentatur *8): „Dicit ei Jeſus, „*paſce*

*) In cap. 6. epiſt. ad Rom. *2) Orat. 8. adverſ. Judæos. *3) In Ancorat.
*4) In cap. ult. Lucæ. *5) Contra Fauſtum lib. 22, cap. 70.
*6) Serm. 3. de aſſumtione ſua ad Pontific. *7) In cap. ult. Joan.
*8) Serm. in vigil. SS. Apoſt.

„*paſce oves meas*, prius agnos, deinde oves commiſit ei, quia non ſolum „Paſtorem, ſed Paſtorum Paſtorem eum conſtituit. Paſcit igitur Petrus „agnos, paſcit & oves, paſcit filios, paſcit & matres, regit ſubditos, re- „git & Prælatos. Omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos, & oves „in Eccleſia nihil eſt." S. Gregorius M. ceu de re omnibus fidelibus ex- „plorata ſcribit *): „Cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quod beatiſſimo „omnium Apoſtolorum Principi Petro dominica voce *totius* Eccleſiæ cura „commiſſa eſt." Demum S. Bernardus agmen claudat illa Chriſti verba expendens, *paſce oves meas* **): „Cui, non dico, Epiſcoporum, ſed etiam „Apoſtolorum ſic *abſolute*, & *indiſcrete* totæ commiſſæ ſunt oves? Si me „amas, Petre! paſce oves meas. Quas? illius, vel illius populos civitatis, „aut regionis, aut certi regni? oves meas inquit. Cui non planum, non „deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes? Nihil excipitur, ubi diſtinguitur „nihil." Quis ergo fidelium audeat exceptionem, diſtinctionem, reſtrictionem facere, ubi Chriſtus nihil excepit, nihil diſtinxit, nihil reſtrinxit, ſed totum quantum gregem immediata & illimitatâ poteſtate Petro paſcendum dedit: *Paſce agnos meos*, *paſce oves meas*? Sicut unus grex Chriſti, ita Petrus totius gregis unus Paſtor, ſub quo plures quidem diviſarum inter ſe portionum Paſtores ſunt, iique vel ſuperioris Ordinis, vel inferioris, quorum illos nunc Epiſcopos, hos vero Presbyteros vocamus, quibus omnibus a Petro illud dictum eſt: *Paſcite*, *qui in vobis eſt*, *gregem Dei*. 1. Pet. V. Hæc optimi Paſtoris, Chriſti *optima* inſtitutio eſt, qua per unum, & univerſalem ſui Vicarium totum ovile, id eſt, unacum ovibus ipſos etiam Paſtores regit, & gubernat. Væ Paſtoribus, qui ſubordinationis a *Chriſto* inſtitutæ everſo ordine non jam ad Chriſtum, ſed ad ſe tantum oviculas trahunt! de his M. Auguſtinus ſcribit ***). „Qui hoc animo paſ„cunt oves Chriſti, ut ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe convincuntur ama„re, non Chriſtum, vel gloriandi, vel acquirendi cupiditate, non obedien„di, & ſubveniendi, & Deo placendi caritate.

§. 4.

Inſanit recentior quidam anonymus Scriptor ****), qui novam ſane, & inauditam verbis Chriſti, *paſce oves meas*, affinxit expoſitionem. Verba illa non vult de omnibus ubique terrarum gentibus, quæ fidem chriſtianam amplecterentur, ſed de ſolis Judæis, ad quas miſſus erat Meſſias, intel-

*) Lib. 4, epiſt. 32. **) De conſid. l. 2, c. 8. ***) In Joan. Tract. 123.

****) De Primatu Rom. Pontificis. Opus, cujus Scopus eſt demonſtrare primatum Rom. Epiſcopi inter alios Epiſcopos nullum, niſi honorificum eſſe, nec divinum, nec juriſdictionis. Londini 1770.

intelligenda. Movetur autem *I.* ex eo, quod ipſe Chriſtus dixit Matth. XV. 24. *Non ſum miſſus niſi ad oves, quæ perierunt, domus Iſrael.* Idcirco tantum Judæos ſuas oves vocat inquiens Joan. X. 14: *Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ.* Ergo oves, quas Chriſtus Petro paſcendas tradidit, non niſi Judæi fuerant. *II.* Idem probatur ex præcepto paullo poſteriori, quod Chriſtus omnibus Apoſtolis, conſequenter & Petro dedit, ut irent, docerent omnes gentes, iisque Evangelium prædicarent. Ut quid idem mandatum paucos ante dies Petro dediſſet, ſi oves ejus alii quoque fuiſſent, quam Judæi? Ergo ſolos Judæos voluit Chriſtus Petro commendare his verbis: *paſce oves meas. III.* Ab Apoſtolo Paulo diſcimus Judæorum Apoſtolum modo ſpeciali fuiſſe Petrum, ſicut & ipſe Gentilium fuerat; ita enim ſcribit Galat. II. 8: *Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes.* Item verſ. ſuper. *Creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis.* Ergo Petrus tantummodo paſcendarum ovium domus Iſrael peculiare mandatum a Chriſto acceperat hiſce verbis: *paſce oves meas.*

§. 5.

Hæc quidem ſcriptor ille, ſi fides titulo libri eſt, Anglus, cujus inſaniam doctiſs. Lupoli Juris Eccleſiaſtici Profeſſor Neapolitanus ſolidiſſime jam refutavit *), & quidem ad Inum: Chriſtus ovium ſuarum nomine non unam certe Hebræorum gentem, quam Evangelio imbuendam ſuſceperat, deſignavit: ſiquidem Hebræos Evangelium audientes, ſed minime credentes ex numero eſſe ſuarum ovium negavit. Joan. X. 26. *Sed vos non creditis, quia non eſtis ex ovibus meis.* Contra vero Gentiles per orbem diſperſos, nondum quidem audientes, ſed poſtmodum tamen ad fidem convertendos, oves nihilominus ſuas eſſe affirmavit ibidem V. 16: *Et alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Paſtor.* Erant igitur oves ejus propriæ non ſolum Judæi, quibus primum lux Evangelii ſplendebat, ſed omnes etiam illi ex gentibus, qui Evangelium audirent, & amplecterentur. Equidem Chriſtus dixerat ſe non eſſe miſſum, niſi ad oves, quæ perierant ex domo Iſrael, ſalvandas, quo ſuam erga Judæos prædilectionem, eorumque prærogativam, utpote quibus ipſe propria voce ſua prædicaverat, volebat oſtendere; attamen iſtorum quoque rejectionem propter incredulitatem, & gentilium ad fidem electionem prædixit, quos oves ſuas pariter vocavit, ſed alias, quæ non ſunt ex hoc ovili, ſed tamen ad illud

*) Juris eccleſiaſtici Prælectiones. Neapoli 1777.

lud adhuc adducendas. Ita Dominus Chananæam mulierem pro filia rogantem primum quidem durius allocutus eſt, quaſi a ſua gratia excluſam, poſtea tamen propter fidem ſuam eidem gratiam valetudinis ſuæ filiæ contulit: quo oſtendit non ſanguine, ſed fide filios Abrahæ, & jam Chriſti oves conſtitui. Bonus ille Paſtor, Chriſtus animam ſuam dedit pro ovibus ſuis, non certe pro Judæis tantum, ſed pro quibuscumque in mundo fidelibus ſanguine ſuo redemtis, ex quibus omnibus unum fecit ovile, cui unum Paſtorem præfecit, PETRUM.

§. 6.

Ad II*dum* Chriſtus, dum Joan. XXI. paſcendas ſuas oves Petro tradidit, eumdem omnium ſuorum fidelium Paſtorem inſtituit; quinam autem eſſent ad fidem vocandi, ibi quidem non declaravit: hinc non ſuperflue factum, ut poſtea omnibus Apoſtolis unacum Petro dixerit, gentibus quoque Evangelium eſſe prædicandum. Quæ duæ ſunt plane diverſæ res, & non immerito diverſis in locis, atque ad diverſas perſonas a Chriſto dictæ, primum ſcilicet illud ad ſolum Petrum, in quo duplex perſona ſenſu morali omnino diſtinguenda eſt, altera qua ſimplex *Apoſtolus*, cui cum ceteris dictum eſt, *euntes docete omnes gentes*: altera qua *Choriphæus* Apoſtolorum, & ſupremus omnium fidelium Paſtor, cui ſingulariter, & ſoli dictum eſt: *Paſce oves meas.* Ceterum, quod Judæa tantum ſit Petro ſingulariter a Chriſto commendata, id oppido falſum eſt, nam S. Jacobus, quoad vixit, Hieroſolymorum fuit Antiſtes, & omnes Apoſtoli, antequam ſe ad gentes verterent, ſolis Judææ finibus ſe continebat, & Petrus ipſe, ut mox videbimus, primus ad gentiles Evangelium deportavit.

§. 7.

Ad III*tium* ſingulis Apoſtolis tamquam Doctoribus omnium indiſcriminatim nationum, quocumque terrarum Evangelium ferre, ubique gentium Eccleſias condere, & Epiſcopos creare jure licebat: ſiquidem cum tradita Apoſtolatus dignitate muneris quoque Apoſtolici poteſtas tradita divinitus fuerat. Quod autem certi quidam Apoſtoli ad unam potius, quam aliam gentem migraverint, uno, aut altero loco diutius ſubſtiterint, id non niſi ipſorum conſilio factum eſt, movente quidem interno Dei ſpiritu, ſed monente etiam ipſa populorum neceſſitate. Quam ob rem Paulo, & Barnaba ad Apoſtolatum evectis conventio quædam inter Apoſtolos inita fuit, ut ambo illi præcipue ad gentes convertendas proficiſcerentur; Jacobus autem, Cephas & Joannes ſaluti circumciſorum potiſſimum providerent. Ita ipſe S. Paulus Gal. II, 9. *Cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe,*

 dexte-

dexteras dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem. Id vero minime prohibuit, quo minus Paulus etiam Judæis prædicaret, & Petrus Gentibus, præſertim cum Judæi evangelica gratia fere jam indignos ſe feciſſent. Hinc Petrus ipſe teſtatur ſe ad omnes gentes Evangelii præconem eſſe divinitus miſſum Act. XV, 7. *Viri fratres! vos ſcitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Evangelii, & credere.* Fruſtra igitur, & contra divinæ Scripturæ veritatem monſtroſe contorquentur verba: *Paſce oves meas*, quaſi iis cura dumtaxat Hebræorum Petro demandaretur. Nec vero quidquam contrarii eruitur ex allatis Pauli teſtimoniis: ibi enim non aſſerit Apoſtolus, ſe jure *privativo* ad miniſterium Gentium, & Petrum ad Hebræorum eſſe deputatum, ſed totus in eo eſt Paulus, ut Galatis perſuadeat, ſe quoque verum eſſe Chriſti Apoſtolum ceteris hoc in munere æqualem, ſignis divinis comprobatum, & a Petro omnium Apoſtolorum Principe confirmatum, proinde æque ac aliis apoſtolis ſibi credendum tanquam gentium Apoſtolo, quem ad modum a circumciſis credebatur Petro, quibus hic præcipue prædicabat. Galatæ quippe ab evangelica doctrina, quam a Paulo hauſerant, ſe facile abduci ſinebant, eoquod minus in eo authoritatis eſſe putabant, qui non ſicut ceteri Apoſtoli ex ipſo ore cœleſtis Magiſtri Evangelium acceperat. Ad Petrum vero ut revertamur, proprio ipſius teſtimonio edocemur, ſe eſſe præ reliquis Apoſtolis a Deo electum, ut per os ipſius Gentes Evangelium audirent, & crederent. Atque hinc Romam inter Gentes profectus Gentilium Eccleſiæ factus eſt fundator, in qua hodiedum per ſuum Vicarium, & Succeſſorem præſidet. Ita videmus verba Chriſti compleri: *Paſce oves meas.* Apud eumdem Neapolitanum Doctorem Lupoli invenies etiam Claudium Salmaſium, Iſaac Caſaubonum, Joannem Prideaux, & Benedictum Pictetum, nec non Calvinum egregie vapulantes *).

§. 8.

Quid vero jam Febronius, quid tota cohors Febronianorum? Et ipſi ad ſacram Scripturam provocant, quaſi hæc ſibimet contraria foret, & quam Petro prærogativam magno verborum apparatu attribuit, eandem alio in loco iterum deſtrueret. Itaque non ſoli Petro, ſed & reliquis Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus, ſcilicet Epiſcopis ſacræ poteſtatis *plenitudinem* in ſuos ſubditos jure divino conceſſam fuiſſe ex textu S. Joan. XX. perſuadere conantur: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos — accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis,*

*) Jur. eccleſ. Prælect. Tom. 1. cap. 4. §. 4. &c.

eis, *& quorum retinueritis*, *retenta ſunt*. Textu hoc mirum, quantum glorientur, ſibique applaudunt recentiores quidam *), ſed reſponderi facillime æque, ac ſolidiſſime poteſt, textum illum plane extra oleas verſari. Chriſtus enim ubi ait, Apoſtolos a ſe mitti, ſicut ipſe a Patre miſſus eſt, non illam Apoſtolorum *inter ſe* Authoritatem, quam Matth. XVI. & iterum Joan. XXI. indicavit, ſed *ſuam* propriam, eamque divinam Authoritatem præ oculis habuit, indicans, ſicut ipſe a Patre Deo miſſus eſt, ita Apoſtolos quoque a ſe divina Authoritate ablegari. Cum itaque, ut Patres intelligunt, Chriſtus hoc loco Apoſtolos tanquam Legatos ſuos, & Vicarios inſtituit, *abſolute* quidem apoſtolicæ miſſionis divinitas inde erui poteſt, neutiquam vero *relative* Apoſtolorum inter ſe æqualis, & æque ampla jurisdictio regiminis, de qua ibi omnino non fuit ſermo. Accedit eamdem divinam miſſionem a quolibet Eccleſiæ catholicæ Miſſionario, etiamſi ſimplici Presbytero continua inde ab Apoſtolis ſucceſſione, in apoſtolica Sede conſervata, hæreditari; quis tamen ſana mente concludat, propter hanc apoſtolicæ miſſionis dignitatem cuilibet Presbytero utpote Chriſti Legato, & Vicario *plenitudinem* jurisdictionis in plebem ſuam competere? Certe ibidem Chriſtus Dominus non *præciſe* regiminis eccleſiaſtici formam, ſeu Regentium inter ſe relativam Authoritatem, ſed *generatim* Ordinis ſacerdotalis divinam poteſtatem inſtituit: atque hoc ſenſu ipſa ſancta Mater, catholica Eccleſia textum Joan. XX. intelligit, dum quemlibet, licet ſimplicem Presbyterum in Apoſtolorum ſucceſſorem his ipſis Chriſti verbis ordinat: *Accipe Spiritum ſanctum*, *quorum remiſeris peccata*, *remittuntur eis*. His inquam verbis, quibus Ordinis poteſtas, ſeu *interna* in conſcientias jurisdictio potius, quam illa *externa* regiminis ſignificari videtur, non ſoli Epiſcopi, ſed omnes etiam Presbyteri Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſtique Vicarii conſtituuntur. Anne vero hi æque, ac illi cum *plenitudine* poteſtatis ſeu ſine *reſtrictione*, & ſubjectione erga Superiorem? Apage;

§. 9.

Hinc colligere licet, quid de prima poſitione Embſianæ Punctationis ſit: „Chriſtus ſanctæ Eccleſiæ noſtræ fundator Apoſtolis, eorumque ſucceſ„ſoribus, Epiſcopis *illimitatam* dedit poteſtatem ligandi, ſolvendive pro „omnibus illis caſibus, ubicunque id neceſſitas, vel utilitas Eccleſiarum, „aut fidelium ad illas pertinentium exigat." Quæro inprimis ex DD. Punctatoribus, quare ſolos Epiſcopos Apoſtolorum Succeſſores nominarint omiſſis Presbyteris, quos certum eſt, pariter eſſe vi Ordinis quoad poteſtatem conſcientias ligandi, ſolvendive, eamque *illimitatam*, prout eſt a Chriſto data,

*) e. g. Der Verfaſſer der kurzen Beleuchtung der Embſerpunktation. 1787.

data, Apoſtolorum ſucceſſores. Nonne hodiedum hæc eadem *illimitata* in conſcientias poteſtas in ipſa Ordinatione cuilibet Presbytero ab Eccleſia datur? Quid ergo? Nonne ſacerdotalis poteſtas, etſi *inſtitutione* ſua illimitata, *uſu* tamen ſuo, & *exercitio* ſubordinata eſt ſuperiori Poteſtati, a qua reſtringi poſſit, & limitari, aut tota ſuſpendi? Nonne in Eccleſia, quæ bene, immo optime a Deo-homine ordinata eſt, datur poteſtatum ſubordinatio? Dicant, quonam ex fundamento plenitudo poteſtatis, & independentia a Superiore *quoad uſum* ſit potius in Epiſcopis, quam Presbyteris, cum *quoad inſtitutionem* his æque, ac illis poteſtas ſua *illimitata* a Deo ſit conceſſa? Ah iterum dico, væ Epiſcopis, væ ſanctæ Hierarchiæ, ſi quæ arma illi adverſus Papam adhibent, eadem Presbyteri in Epiſcopos convertant!

Deinde vero ſuperfluum eſt, quod de caſu neceſſitatis dicunt: notum enim eſt omnibus, in neceſſitate, ſed *vera*, nullam dari ſpiritualis poteſtatis reſtrictionem, ſed illimitatam, prout divinitus inſtituta eſt, poteſtatem exerceri poſſe, ſicut ab Epiſcopis, ita & a Presbyteris. Hinc in caſu neceſſitatis a quibuscunque peccatis abſolvere poteſt quilibet, ſimplex licet, ſacerdos, cui jurisdictio Ordinis ab Epiſcopo reſtricta, aut plane ſuſpenſa eſt. Reverentia tamen Superiori debita videtur exigere, ut eidem extraordinarium, & ſuo modo irregulare, quippe contra Eccleſiæ regulas, hujus generis factum ab inferiore cum quadam excuſationis ſpecie notificetur; ita non curatus ſacerdos, qui in caſu neceſſitatis abſolvit, ſumme laudabiliter coram Superiore ſuo, ſeu Epiſcopo hac ſuper re ſeſe purgabit. Plura æquus Lector ſibi cogitet. — Illud vero, quod de utilitate Eccleſiarum, vel etiam fidelium particularium aſſeritur, plerumque falſum eſt, niſi forte manifeſta, & urgens ſit utilitas, adeo, ut verius neceſſitas videatur: conſtat quippe *communem* utilitatem, quæ obedientia obtinetur, particulari utilitati eſſe præponendam; minus enim bonum cedere majori debet. Præterea ſi quod oriatur dubium, quid veræ utilitatis ſit, a Superiore potius, quam ab inferiore, qui forſitan obedire nolit, definiendum eſt. Sic certe æquo animo haud ferrent Epiſcopi, ſi utilitatis prætextu ab obedientia Presbyteri ſe eximerent, & poteſtate ſibi reſtricta, ſuſpenſave uti vellent. Viden, mi bone! quam diverſa, partim quidem vera, partim autem falſa, prout ſit a malæ cauſæ defenſoribus, in illa Embſiana prima Propoſitione fuerint commixta?

§. 10.

§. 10.

At inquiunt, ipſa adeo Eccleſia *ſupremam* Epiſcoporum poteſtatem, ſeu *plenitudinem* jurisdictionis agnovit, dum in fidei definitione *) de Hierarchia divinitus inſtituta primo omnium loco Epiſcopos, non Papam, ſecundo Presbyteros, & demum ultimo Diaconos, ſeu Miniſtros repoſuit. Hæc, ſiqua videri poſſit, difficultas, mox diſparebit Concilii Tridentini caput 4tum Seſſionis 23 legenti: manifeſte ſiquidem elucet factam fidei definitionem *tantum* de poteſtate Sacramenti Ordinis contra Hæreticos, qui Chriſtianos promiſcue novi Teſtamenti Sacerdotes eſſe, & omnes pari inter ſe poteſtate ſpirituali præditos affirmarunt. Idem vel ipſe canonum titulus indicat, *de Sacramento Ordinis*. Itaque de gradibus hierarchici Ordinis ex Sacramento Ordinationis loquens ſacroſancta Synodus merito Epiſcopos primo, ſummoque gradu reponit, quia Papa ratione Ordinationis ſuæ *ſacramentalis* non aliam accipit, quam *epiſcopalem* poteſtatem. Attamen id nullatenus obſtat, quo minus ratione Epiſcopatus ſui *Romani*, ſeu quod idem eſt, ſucceſſione in S. Petri locum ampliorem, eamque ſupremam regiminis eccleſiaſtici poteſtatem Papa *immediate* a Deo vi Privilegii Petro, ejusque Succeſſoribus dati, etſi non *mediante* Sacramento obtineat.

§. 11.

Denique contra epiſcopalis jurisdictionis reſtrictionem a Papis factam conqueruntur, eo quod hujusmodi reſtrictionis nulla in S. Scripturis exempla occurrant. Ego vero vel ex ipſis S. Scripturæ exemplis oſtendam, ne ab initio quidem penes particularium Eccleſiarum Epiſcopos, etſi vi ordinationis ſuæ *illimitatam* ligandi, ſolvendique poteſtatem æque, ac Apoſtoli acceperint, plenum fuiſſe, & independens ſine *concurrente* Apoſtolorum jurisdictione exercitium ſuæ poteſtatis. Ita haud dubie S. Paulus, aut forte Petrus, ſicut aliis in locis ab Apoſtolis factum, Corinthi Epiſcopum inſtituerat **); nihilominus inceſtuoſus ille 1. Cor. V. non a proprio Epiſcopo, ſed a Paulo excommunicationis ſententiam tulit, & 2. Cor. II. a Paulo, non a proprio Epiſcopo indulgentiam nactus eſt. Idem Apoſtolus ne modum quidem cæremoniarum, & liturgiæ ordinem Corinthiorum Epiſcopo diſponendum permiſit, ſed ſibi reſervavit. 1. Cor. XI. Quod Paulus fecit, num facere hujusmodi data occaſione Petrus non potuit, cui claves regni cœlorum ſingulariter traditæ, cujus curæ univerſæ oves fuerunt

*) Conc. Trid. Seſſ. 23. can. 6.

**) S. Hieronymus, & Theodoretus exiſtimant primum Corinthi Epiſcopum fuiſſe Apollinem.

Digitized by Google

runt a Chriſto commiſſæ? Num Paulus jura violavit epiſcopalia, quae vi divinæ inſtitutionis ſunt *illimitata?* Num *concurrente* ſua jurisdictione, & epiſcopali reſtrictione ordinem evertit hierarchicum? At vero amplior Epiſcopis poſt mortem Apoſtolorum tamquam illorum Succeſſoribus poteſtas acceſſit? Id mihi quo argumento probaveris? Neque enim Epiſcopi noſtri in Apoſtolatu *univerſali*, ſed tantum in portione gregis ſui *particulari* ſunt Apoſtolorum Succeſſores. Solius Romanæ Sedis hæc eſt prærogativa per continuam inde a Petro Apoſtolorum Principe ſucceſſionem in *apoſtolicæ* poteſtatis plenitudinem intraſſe.

§. 12.

Saltem, inquies, nullibi legitur Apoſtolorum poteſtatem fuiſſe a Petro conſtrictam. Quid hac objectione velis, non video, niſi velis, ut oſtendatur S. Petrum ſuprema ſua regiminis poteſtate fuiſſe abuſum, quod æque abſurdum eſt fingere, ac illud, Apoſtolos Spiritu S. plenos officio ſuo defuiſſe, & reſtrictione, vel etiam ſuſpenſione indiguiſſe. Enimvero abuſus poteſtatis, prudente quocumque homine, ne dicam Petro, indignus fuiſſet illo tempore Apoſtolorum ad gentes convertendas peregrinationis, Eccleſiæ in diſſitis regionibus plantationis, & ſævientis Tyrannorum perſecutionis apoſtolicam reſtringere jurisdictionem, quam pro ipſa temporis neceſſitate oportuit eſſe ampliſſimam. Tunc vero a *non uſu* poteſtatis ad ejusdem carentiam concludes? extenſam per orbem univerſum jurisdictionem ſicut ſingulis Apoſtolis, ita cuilibet in ſingulari ex noſtris Epiſcopis tribues? æque parum hos, atque illos ad præcavendos poteſtatis abuſus correctione, aut reſtrictione indigos declarabis? diſciplinam regiminis non aliam noſtris temporibus, quam illis primævis eſſe debere judicabis? — Presbyteri non curati, ſeu ſimplices, id eſt, quibus jurisdictio ordinis ſui, & *illimitata* quidem in animas, ab Epiſcopo reſtricta eſt, aut ſuſpenſa, in prima antiquitate nulli inveniuntur; num audebis aſſerere, Epiſcopos poſterioris ævi in Presbyteris illam divinæ inſtitutionis poteſtatem reſtringere, aut impedire non potuiſſe? Paritas rationis quid dicat, attende. Ceterum quali Petrus honoris, & poteſtatis prærogativa etiam actuali in exercitio gaviſus fuerit, jam nunc indagabimus.

ARTI-

ARTICULUS III.

Petri Exercitium.

§. 1.

Quotquot nullum Petro præ reliquis Apoſtolis aut honoris, aut poteſtatis fuiſſe privilegium contendunt, eos ſane, ſi novi Teſtamenti ſcripturas vel a limine ſalutarint, ad lucem ſplendidiſſimam non ſine vi ſibimet oculos occludere dicendum eſt: præter clariſſima enim, quæ jam adduximus, Chriſti Domini teſtimonia Ss. Scriptores ſeu in Evangeliis, ſeu in Actis, Epiſtolisque apoſtolicis conſtanter, & ſingulari quidem cum diſtinctione Petrum præcipuo loco nominant. Ita Mathæus IV, 18. XIV, 28. XV, 15. XVII, 1 & 23. XVIII, 21. XIX, 27. XXVI, 37, 40. Marcus III, 16. VIII, 29. IX, 1. XIV, 33, 37. XVI, 7. Lucas VI, 14. VIII, 45, 51. IX, 20, 28, 32. XII, 41. XVIII, 28. XXIV, 12. Joannes I, 42. XIII, 6. XX, 2. XXI, 2. Acta Apoſtolorum I, 13. II, 14, 37. III, 1. IV, 8. V, 3. VIII. 14. IX, 32. X, 2. XI, 2. Denique S. Paulus Gal. I, 18. Immo & Gal. II, 9. ubi in medio Jacobum inter, & Joannem (niſi forſitam honoris loco) Kephas nominatur, haud levibus argumentis doctiſs. Machius defendit *), antiquis in Codicibus, quibus uſi ſunt Chryſoſtomus, Ambroſiaſter, Hieronymus, & Auguſtinus, Petrum in primo loco fuiſſe poſitum. Ipſa antiqua Verſio itala, ut obſervat Petrus Sabatier **), ſic habebat: *Cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Petrus, & Jacobus, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe.* In pervetuſto quoque Alexandrino Codice, eoque celeberrimo Petrus ante Jacobum legitur, ut in hunc locum eruditiſſ. Grotius teſtatur. Tam adcurate obſervata diſtinctione Petri ab aliis Apoſtolis certe aliquid ſignificare voluerunt Ss. Evangeliſtæ, non utique ut pro mundi more Petro vani honoris officium exhiberent, a quo vanitatis ſenſu toti erant alieni, ſed ut ampliorem in Petro, ceu Apoſtolorum Principe Authoritatem ſacram darent obſervandam. Neque vero primum a me excogitata hæc eſt, ſed Patrum traditione firmata ratio, id quod ex Chryſoſtomi, Epiphanii, Auguſtini, & Ambroſiaſtri teſtimoniis laudatus Mamachius oſtendit.

§. 2.

Sed quod amplius ad rem pertinet, an, & quomodo Petrus præ reliquis Apoſtolis ſacræ poteſtatis eminentia uſus fuerit, diſpiciendum eſt.

D 2 Præ-

*) Origin. & antiquit. Chriſt. tom. 5, pag. 101, Romæ 1755.
**) Bibl. ſac. lat. verſ. antiq. tom. 3 edit. Rhemenſ. 1743.

Digitized by Google

Præmonere autem denuo velim, quod quis illa Eccleſiæ incunabula pacato animo conſiderans facile per ſe ipſum animadvertat, generali, & illimitata inſtitutione a Chriſto acceptam Petri jurisdictionem non ſeſe totam exerere pro ſingulis caſibus potuiſſe, quippe qui tunc temporis nondum contigere. Hinc cum Apoſtoli ab ipſo Chriſto in mundum univerſum emiſſi, & ſingulari Providentia ab errore cuſtoditi officio ſuo nulla ex parte deeſſent, nec Petro ſua in illos Authoritas ad deſtruendum, ſed ad ædificandum, non ad temeri abuſus voluntatem, ſed ad boni uſus utilitatem eſſet data; hinc locus eſſe non poterat ulli apoſtolicæ Miſſionis reſtrictioni, aut ſuſpenſioni. Enimvero ſingularia hæc Apoſtolorum privilegia in noſtros Epiſcopos haud amplius quadrant: hi ſiquidem illis non in apoſtolicæ Miſſionis amplitudine, ſed tantum in particularis cujusdam Eccleſiæ conſtricto, & prout ratio unitatis exigit, ſubordinato Paſtoratu ſuccedunt, quales inde jam ab initio fuerant Epiſcopi ab Apoſtolis pro certis tantummodo locis, & quidem cum poteſtatis reſtrictione inſtituti, utpote quibus nec diſciplinam ſuo arbitratu ordinare per S. Paulum licuerit: *Cætera, cum venero, diſponam.* Cor. XI, 34. Meminerint hodierni Epiſcoporum contra Eccleſiæ Caput advocati, & numquam obliviſcantur, nullos in Apoſtolatu ample ſumto, ſeu cum univerſalis jurisdictionis amplitudine, ſed tantum in particularium Eccleſiarum Epiſcopatu Succeſſores ab Apoſtolis fuiſſe relictos. Quis enim Andreæ, ut univerſalis Apoſtoli, quis Jacobi Succeſſor eſt, aut umquam fuit, niſi in ſola, & particulari e. g. Hieroſolymæ Eccleſia? Falſum eſt ergo plurimorum hodie præjudicium, in quod etiam non ita pridem Scriptor quidam Spirenſis *) incidit, epiſcopalem poteſtatem, divina inſtitutione ſua, ſicut generaliter ſacerdotalis eſt, illimitatam *etiam intuitu cujuſque Diœceſeos quaſi illimitatam poſſe conſiderari.* Licet enim Epiſcopi *in corpore* Apoſtolorum choro ſuccedant, *ſinguli* tamen Epiſcopi haut quaquam ſingulis ſuccedunt Apoſtolis in illorum illimitata poteſtate, ſed particularium Epiſcoporum poteſtas ſemper jam inde ab initio quoad actuale jurisdictionis exercitium erat conſtricta, id quod Eccleſiæ ſuæ diſpoſitioni Chriſtus reliquit, qui tantum generaliter Sacerdotii poteſtatem tunc temporis adhuc vagam, & indeterminatam, ſeu illimitatam inſtituit.

Unica eſt autem apoſtolica Sedes, illa Petri, in qua hæreditario jure Clavium ſuprema, & illimitata poteſtas eadem cum amplitudine, ſeu potius plenitudine a Petro non interrupta ſerie ad hodiernum uſque illius Succeſſorem transfuſa eſt. Atque hoc non caſu aliquo, non ſolum humana conventione, ſed divino plane conſilio factum, ut propagata ſemel per Apo-

*) Diſſert. in faſc. 3 ad conc. Nat. Germ. integ. pag. 264.

Digitized by Google

Apoſtolos fide, & inſtitutis gregum particularium Paſtoribus totius Eccleſiæ perpetuo duraturæ unitas cum ſuo univerſali Capite in melius conſervaretur; decuit enim optimum Paſtorem, qui Chriſtus eſt, ut gregis ſui unitati *optimo modo* conſuleret, qui voluit unum fieri ovile, & unum hujus Paſtorem: *fiat unum ovile*, & unus Paſtor.

§. 3.

Unus ille totius dominici gregis Paſtor, Chriſtique poſt ſuum ex hac terra diſceſſum generalis, & univerſalis Vicarius fuit Kephas, ſeu Petrus. Is quidem ab humilitatis Magiſtro nonniſi humiliter de ſe ſentire, omniumque, quibus præeſſet, ſervus fieri didicerat, quam longiſſime ab illo ſibi, omnibusque Apoſtolis prohibito faſtus, & ſuperbiæ dominatu remotus; nihilominus tamen, utut ſumma animi modeſtia, & ſimplicitate, prout res ipſa, & tempus expoſcerent, quanta præ reliquis Apoſtolis ſacræ poteſtatis Authoritate præſtaret, & dictis oſtendit, & factis. Etſi pauca admodum ſuperſint eorum, quæ Petrus geſſit; monumenta potiſſimum in Actis Apoſtolorum contenta; ſi tamen vel illa attentius penſitemus, ſufficientia nobis eminentiæ, quæ in Petro erat tanquam Apoſtolorum Principe, argumenta præbebunt. Ut rem ordine perficiamus, a primo Actorum capite initium eſto.

§. 4.

Cum Domino in cœlum aſſumpto unanimiter diſcipuli unacum mulieribus in oratione perſeveraſſent, præ reliquis a Deo inſpiratus ſurrexit in medio fratrum Petrus, abs dubio ſui memor, cui Dominus dixit, *tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, & viris ſimul centum viginti congregatis grave, quod incumberet, negotium *NB.* non pro conſilio, ſed definitiva, quod Capitis eſt, ſententia enunciavit, inquiens: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus ſanctus per os David de Juda, qui fuit dux eorum, qui comprehenderent Jeſum, — Epiſcopatum ejus accipiat alter. Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt congregati, — teſtem reſurrectionis ejus nobiſcum fieri unum ex iſtis.* En non ſingulorum dumtaxat Apoſtolorum, ſed totius apoſtolici Collegii Præſidem cum authoritate proponentem, ſeu ſi malis, imperantem, *oportet fieri*: ſed en etiam a faſtuoſo dominatu remotum, quippe qui non per ſe virum nominavit Judæ proditori ſubſtituendum, etſi forſitan & illud potuiſſet. Ne tamen aliquid ſibi temere arrogaret, aut alienæ invidiæ locum daret, vel de plebe viris liberam cum Apoſtolis eligendi facultatem permiſit. Quid eſt, quod multi hodie cum moleſtia a nobis exemplum exigant imperii a Petro exerciti? aut num forte dominatu hoc Petri electionem fieri jubentis offenſi ſunt Apo-

 ſtoli,

Digitized by Google

ſtoli, conqueſtive, quod votis ſuis antea non numeratis, imo ne auditis quidem, quid faciendum ſit, præſcribere attentaverit? Ita forſitan Petrus, ſi apoſtolico collegio unus, alterve principiis Canoniſtarum, vel Publiciſtarum noſtri ævi imbutus aſſediſſet, experiri debuiſſet. At ſecus Apoſtoli æque humilitate, ac ipſorum Caput inſtructi promtam obedientiam Petri mandato exhibentes absque tergiverſatione duos in medio ſtatuerunt, & fuſis ad Deum precibus orarunt, ut quem elegerit ex duobus unum, oſtenderet in locum proditoris Judæ, quod Petrus juſſerat, ſubrogandum.

§. 5.

Variæ ſunt cavillationes, quibus aliqui vim hujus loci eludere conantur. Dicunt itaque 1mo: ſi præ reliquis inſpiratus eſt Petrus, ut id proponeret; tunc non ut collegii caput id fecit, quod ſimili cum gratia quilibet alius facere potuiſſet, 2do: Petrus divinam Scripturam adduxit, quam ſane impleri oportuit, hinc non ſua ſed illius authoritate conſenſum aliorum obtinebat, 3tio: Apoſtoli, ut in electionem conſentirent, propriam & ipſi inſpirationem habere poterant; non ergo quaſi ex Petri præcepto id factum. 4to: Denique Petrus non denominare auſus eſt Judæ ſubſtituendum, ſed collegio fidelium electionem relinqui debere agnovit. Reſpondeo has argutias jam inutiles eſſe, poſtquam ex allatis ſupra S. Scripturæ teſtimoniis conſtat, Petrum ut ſupremum, & univerſale Eccleſiæ Caput a Chriſto fuiſſe inſtitutum: quæſtio enim nunc tantum de eo eſt, an, & quomodo Petrus ſuprema ſua authoritate ſit uſus. Analogia ergo fidei, quæ una eſt ex optimis S. Hermeneutices regulis nunc a nobis exigit, ut actiones Petri ſecundum divinam inſtitutionem explicemus. Hiſce præmiſſis ad ſingula dico, & quidem,

Ad primum. In medio apoſtolici Collegii aſſurgere ad negotium proponendum, id Capitis erat, & licet quilibet alius ſingulariter inſpiratus idem facere potuiſſet, tamen ut Petrus præ reliquis inſpiraretur, id eidem tanquam Capiti ex ordine divinitus inſtituto conveniebat.

Ad ſecundum. Principes etiam ſeculares ſæpe decretorum ſuorum rationes dant omnino evidentiſſimas, quod illorum Authoritati adeo non officit, ut eamdem tantum faciat amabiliorem. Ceterum niſi Petrus adductum Davidis textum de Juda explicaſſet, nemo forſitan ex ipſis Apoſtolis ita intellexiſſet, minus illi cogitaſſent, a ſe potius, quam immediate a Deo ſurrogandum eſſe Judæ Succeſſorem. Hac ſuper re nulla ſibi conſulatione permiſſa Petro promta obedientia conſentiunt.

Ad

Ad tertium. Apoſtolis ſingulari inſpiratione non erat opus, cum ex Domini promiſſione ſcirent, ſe cum Petro, ſeu fundamento ſuo conſpirantes errare non poſſe.

Ad quartum. Petrus pro ſua modeſtia uſus non fuit plenitudine poteſtatis, ne eadem forte abuti videretur. Sic Apoſtoli quoque Diaconorum electionem laicis permiſerant. Act. VI.

§. 6.

Altera, quæ Act. II. narratur, hiſtoria non minus memoranda venit. Ubi diebus Pentecoſtes completis Spiritus S. de cœlo tamquam ignis deſcendit, ſeditque ſupra ſingulos Apoſtolorum, qui variis linguis loquebantur; ſtupentibus omnibus, & quid ſibi hoc vellet, quærentibus; fuere tamen inter Judæos irriſores, chriſtiani nominis inimici, qui ebrietati tantum adſcribere miraculum non vererentur. Tum vero Petrus inter reliquos undecim Apoſtolos *ſolus* levavit vocem ſuam. Unicus contra Chriſti adverſarios cauſam veritatis defendendam, ſuique & collegiarum patrocinium in ſe ſuſcipit, etſi Apoſtolorum ſinguli Spiritu S. repleti eſſent. Utquid omnes ſilent alii præſente Petro, niſi quod caput omnium purgationis ſermonem, ſeu apologeticum enunciare nomine omnium oportuit? In tanta hominum multitudine tunc congregata cum ſolus Petrus omnibus loquitur; nonne ſibi præ reliquis excellentiam vindicat? Nonne eamdem agnoſcunt reliqui omnes nunc obmuteſcentes, qui antea ambitione tacti ſollicite quæſiverant, quis eorum videretur eſſe major? At nondum ſatis! Judæis ſermone hoc Petri compunctis, & Apoſtolos interrogantibus, quidnam ſibi faciendum eſſet, illico Petrus loco omnium reſpondet, ſententiamque per ſe ſolum pronunciat, pœnitentiam eſſe illis agendam, & Baptiſmum in nomine Jeſu ſuſcipiendum ad remiſſionem peccatorum, & ut donum Spiritus S. ipſi quoque acciperent. Dignum hic notatu eſt, quæſtionem a Judæis non ſoli Petro, ſed omnibus Apoſtolis fuiſſe propoſitum: *Dixeram ad Petrum, & ad reliquos Apoſtolos.* Solus ergo omnibus tacentibus Petrus cur loquitur, niſi quia omnium caput? Non proprio ore ceteri Apoſtoli præſente Petro, ſed illius ore loquuntur: hinc merito Petrus os Apoſtolorum a S. Chryſoſtomo vocatur *): *Quid igitur os Apoſtolorum Petrus? Semper fervens chori apoſtolici Coriphæus omnibus interrogatis ipſe reſpondet.* Ita ſane! vox Petri omnium Apoſtolorum vox eſt, totius Eccleſiæ vox. Qui Petri vocem non audit, is gregis dominici ovis non eſt. Ubi Paſtor Paſtorum loquitur; tacendum vel ipſis Paſtoribus eſt, &

*) Homil. 54 in Matth.

& conſentiendum. Sic uno Petri ore omnes loquuntur. Qui contra loqueretur, jam unius gregis Paſtor non foret, ſed gregem is divideret: unum autem eſt Chriſti ovile, & unus Paſtor omnium, ille, cui a Filio Dei dictum eſt, *paſce oves meas.*

§. 7.

Actorum III. & IV. bigam Apoſtolorum nobiliſſimam invenio: *Petrus & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam.* Inſigne hoc loco miraculum a Deo parabatur ad fidem Judæis prædicandam, plurimosque, qui electi fuerant, apoſtolica prædicatione convertendos. Dies haud dubie feſtiva fuit, quod patet ex ingenti hominum affluentis in templo, & homo quidam claudus ex utero matris ſuæ, quem ponebant pro more ad portam templi, ut ab ingredientibus eleemoſinam acciperet, preces ſuas in acceſſu Duumvirorum emiſit. Comes Petri, dilectus ille Chriſti diſcipulus erat, qui in ſinu Domini ſolus requieſcere meruit propter ſingularem caſtitatem hac dilectionis prærogativa dignus, gratia tamen apoſtolici muneris, quæ hoc loco inſigniter apparuit, Petro plurimum poſthabitus.

Mendico utrumque rogante Apoſtolum, Petrus ſubito Spiritus S. motu impulſus, ut illi valetudinem corporis reſtitueret, dixit: *Argentum, & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* Apprehenſa igitur ejus dextera allevavit eum in nomine Jeſu ſurgere juſſum, qui exiliens ſtetit, & intravit cum illis in templum alta voce Deum magnificans. Cum frequentis populi concurſus fieret omnibus ad rei novitatem ſtupentibus, opportunam Petrus occaſionem capiens Chriſti fidem populo prædicavit. Dicas hoc loco in præſentia Petri apoſtolicum Joannis munus quaſi ceſſaſſe. Ita S. Lucas totum Petri ſermonem refert, ut nihil de iis memoret, quæ Joannes utpote minori authoritate ad populum dixerat, niſi forte ſolius Petri verba huic quoque, vel tacenti attribuantur: *Loquentibus illis ad populum.* Hac Petri prædicatione plurimis Judæorum ad fidem converſis poſtridie Principes Hieroſolymæ congregati in medio duos Apoſtolos ſtatuerunt, quos & interrogarunt, qua virtute, quove nomine hoc facerent. Tunc iterum *Spiritu S. repletus* non Joannes, ſed Petrus reſpondit: *Principes populi: & ſeniores audite!* Solus denuo Petrus eſt, qui Spiritus S. inſtinctu coram Judæorum ſupremo concilio Chriſtum prædicavit, ſententiamque tulit totius chriſtianæ Religionis fundamentalem: *Non eſt in alio aliquo ſalus: nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Totum hunc ſermonem ad Synagogæ Principes ſolus habuit Petrus adſtante, & ſilente tantum Joanne, niſi quod tamquam eorum

eorum, quæ Chriſtus geſſerat, conteſtis cum Petro pauca judicibus dixerit, ne amplius de Jeſu loquerentur, prohibentibus: *Si juſtum eſt vos potius audire quam Deum, judicate: non enim poſſumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui* Quisquis hæc duo legerit Actorum capita, ubi in Petri præſentia quaſi evaneſcere Joannis apoſtolatum viderit; intelliget, quantum a vero illi aberrent, qui vel in apoſtolico munere ita omnes Apoſtolos fuiſſe Petro æquales contendunt, ut nullam abſolute honoris, & poteſtatis excellentiam in Petro velint agnoſcere. Palpabile eſt ergo duriorem, & forſitan adfectu humano profectam eſſe illam de omnium Apoſtolorum æqualitate, toties jam recoctam S. Cypriani expreſſionem, eamque mitigari debere.

§. 8.

Præ ceteris adhuc memorabile videtur Actorum cap. V, ita enim Petrum inter Apoſtolos, ſicut antea Chriſtum inter diſcipulos exhibet, tanta ſcilicet authoritate eminentem, ut Chriſti Vicarium, & corporis apoſtolici Caput non poſſis, utcunque velis, diffiteri. Cum Ananias, & Saphira de pretio venditi agri aliquid fraudaſſent, & partem ad pedes Apoſtolorum attuliſſent; non ab aliis præſente Petro judicium latum; hic vero inconſultis ceteris ſententiam tulit, ſuamque divinam jurisdictionem magna cum eminentia, horribili etiamnum modo exercuit, infidelem increpando virum, ut ſuperno ictu examinis in terram caderet: *Cur tentavit Satanas cor tuum? — Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Similiter & ad mulierem: *Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt virum tuum — & efferent te.* Miraculum hoc fuiſſe dices. Fuit certe, id quod amplius obſerves, vel miraculum, quo divinitus conceſſa Petro jurisdictio ligandi, ſolvendive pro ratione illius temporis comprobaretur. Etſi alii quoque Apoſtoli ſparſim habuerint donum miraculorum; eo tamen in Petri, ceu capitis ſui præſentia caruiſſe videntur ad manifeſtandam ſingularem Petri prærogativam.

Hinc factum, ut fideles infirmitatibus preſſi ſanationis ſuæ fiduciam, ſicut olim in Chriſto cum diſcipulis ſuis ambulante, ita poſthac in ſolo Petro collocarent, *ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis, ac grabatis, ut veniente PETRO ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Eodem adhuc capite v. 29. Petrus tamquam Apoſtolorum Princeps ſollicite a reliquo choro apoſtolico diſtinguitur: *Reſpondens Petrus, & Apoſtoli dixerunt*: Edic, obſecro, cur non ſimpliciter legitur Apoſtolos reſpondiſſe, ſed Petrum, & Apoſtolos? Ad quid diſtinctio hæc, niſi ut Ca-

E put

Digitized by Google

put a corpore diſtinguatur, aut eo quod ſolus Petrus nomine aliorum Apoſtolorum illis tacentibus denuo reſponderit?

§. 9.

Actorum VIII. Petrus & Joannes ab Apoſtolis tamquam illorum præcipui ad Samaritanos mittuntur, ut illis Spiritum S. darent. Cum Simon eumdem vellet pecunia ſibi comparare; ſcelus hoc non Joannes, præſente Petro, ſed ipſe Petrus pro ſua judicandi Superioritate, quam unacum clavibus a Chriſto acceperat, caſtigavit ſententiam edicens: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Nec obſtat, quod legitur hoc loco, S. Petrum cum Joanne ab Apoſtolis fuiſſe miſſum. Placet hac ſuper re gallicum Scriptorem, Papæ non nimis addictum Calmetum audire, qui ita commentatur *): „Hoc minime intelligendum eſt, quaſi Petrus illis paruerit, atque ipſi in „illum, tamquam inferiorem ſupremam ſuam authoritatem exercuerint." Scimus S. Petrum in Eccleſia, tamquam Apoſtolici Collegii Caput habitum fuiſſe. Semper Apoſtolis omnibus præponitur, pro illis loquitur, verbo: ſemper agit tamquam Caput, & Princeps Apoſtolorum. Hic autem mittitur, ut aſſolet, in aliquam civitatem, vel communitatem, quo legatur ille (conſilio, & caritate, non imperio) qui Princeps eſt, & Caput ad rem ampliſſimam, graviſſimamque agendam, atque tranſigendam. Ita Eccleſia antiochena mittit S. Paulum, & Barnabam Hieroſolymam, ut de rebus maximi momenti conſulerent Apoſtolos: & Judæi hieroſolymitani Romam miſerunt ſacerdotem Iſmaelem, atque nationis Principes, qui coram Nerone Aggrippam, & Feſtum accuſarent.

§. 10.

Plura de Petro obſervatu digniſſima referuntur Act. IX. Perſecutio in morte Stephani excitata non diu per Palæſtinam ſævit providente Deo, ut cito pax redderetur, quo facilius Evangelium Judæis prædicaretur. Cum itaque Eccleſia per Judæam, & Galilæam, & Samariam, hoc eſt, per totam Palæſtinam ab Apoſtolis jam propagata pacem haberet; factum eſt, ut Petrus, qui durante perſecutione ſemper Hieroſolymæ permanſerat, inde egrederetur, & diſperſos undique fideles *pertranſiret univerſos.* Omnem late regionem peragravit *tamquam Imperator ſuas copias recenſens, ut videat, utrum omnia ſe bene habeant*: ita S. Chryſoſtomus exponit **). Quæ igitur ordinanda circa diſciplinam fuere, abs dubio Petrus ubique diſpoſuit. Agite, huc adeſte ſeculi noſtri Hypercritici! qui ut ſacram Petri Monar-

*) Comment. litteral. tom. 7. **) Homil. 21. in Acta.

Digitized by Google

Monarchiam impugnare poſſitis, nihil ſingulare, quod Monarchicam Poteſtatem proderet, in actis Petri poſſe inveniri contenditis. Palæſtinæ Eccleſias variis in locis per Apoſtolos fundatas Petrus pertranſiit *univerſas*, ipſas adeo Apoſtolorum ſedes viſitans. Cuinam alteri ex Apoſtolis tanta authoritas? Nonne hæc viſitatio univerſalem ubique locorum Petri, ſeu ſupremi *Ordinarii* jurisdictionem prædicat? Aut num forte reliqui Apoſtoli gravamina adverſus Petrum moverunt de concurrente ſecum aliena in greges ſibi proprios, hoc eſt in fideles a ſe converſos poteſtate? Sane peregrina hæc Apoſtolis, & incognita lingua foret, illam Petri *concurrentem*, & *ordinariam* quidem, ſed ſuperiorem jurisdictionem *alienam* vocare. Superi! quam diſſona vox, & Patribus inaudita eſt, quæ *alienam* Petri vocem appellat, Petri, cui totum ovile Chriſti dominico ore commiſſum eſt! Væ ovibus, quibus audire univerſalis omnium Paſtoris vocem non liceat! Non certe Paſtores forent, ſed lupi rapaces, qui ab uno Paſtore omnium oves ſegregarent. Etſi plures ſunt Paſtores ovium ſingularium; at unus tamen eſt omnium Paſtor, ſupremus ubique Ordinarius, quippe cui totus grex *illimitate* ſine ulla reſtrictione, & *immediate* proprio ore Paſtoris divini traditus eſt: *Paſce oves meas.*

§. 11.

Petrus viſitans univerſos per Palæſtinam fideles fratres (ad gentes enim regnum cœlorum nondum erat dilatatum) devenit ad Sanctos, qui habitabant Lyddæ. Hac generali viſitatione non ſolum Petrus ſuam, quam habuit, ſupremi Eccleſiæ Capitis authoritatem exercuit, ſed & Deus ipſe inſigni præ reliquis Apoſtolis miraculorum gloria ubique locorum fecit manifeſtam. Homo quidam æneas nomine, jam octo annis in lecto jacens, quem priores viri apoſtolici per loca illa fidei præcones nondum ſanaverant, ſubito Petri juſſu ſanus ſurrexit. Hujus rei fama cito ad Joppen non procul a Lydda ſitam adventum Petri nunciavit, quod ubi diſcipuli fideles audiverant, Petrum prope adeſſe, fiducia pleni erga Principem Apoſtolorum miſerunt, qui illum mox adducerent ad vitam defunctæ Tabithæ, optimæ mulieri reſtituendam, quam ille voce ſua reſuſcitavit. Qua re per totam Joppen divulgata multi in Domino crediderunt. Noſtra hic iterum animadverſione digniſſimum eſt, quod, etſi ſinguli Apoſtoli dono miraculorum eſſent prædìti, illud tamen donum, ubi Petrus aderat, fere unice in hunc, aut plane inſigni cum eminentia ab ipſa S. Scriptura referatur, qua etiam teſte fideles undique diſperſi longe majorem in Petro, utpote poſt Chriſti de hac terra diſceſſum Apoſtolorum Principe, quam in aliis Apoſtolis fiduciam poſuerunt.

Digitized by Google

§. 12.

Præcipuum eſt Act. cap. X, unde apoſtolici adeo muneris illuſtris prærogativa in Petro effulget. Perſuaſi ſibi adhuc erant Apoſtoli tantum filios Iſrael a Deo electos eſſe, qui prædicatione ſua in ovile Chriſti congregarentur, margaritas autem Evangelii non ante porcos, id eſt, gentiles eſſe projiciendas. Soli Petro præ ceteris divina revelatio facta eſt, jam non diſcrimen fore Judæum inter, & Græcum, ſed ipſis quoque infidelibus populis regnum Dei eſſe adapertum. „Aſcendit Petrus in ſupe„riora, ut oraret, circa horam ſextam, & cum eſuriret, voluit guſtare. „Parantibus autem illis cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cœ„lum apertum, & deſcendens vas quoddam, velut linteum magnum qua„tuor initiis ſubmitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupe„dia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli: & facta eſt vox ad eum, ſur„ge Petre, occide, & manduca: ait autem Petrus, abſit Domine! quia „numquam manducavi omne commune, & immundum, & vox iterum ſe„cundo ad eum, quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris." Cum Petrus ſecum hæſitaſſet, quidnam ſibi hæc viſio vellet, advenientibus viris a Cornelio Romanorum Centurione miſſis, interno ſpiritus inſtinctu didicit, ſibi jam eſſe cum gentibus communionem ineundam. Quare cum quibusdam fratribus ex Joppe Cæſaream ad Cornelium profectus dixit: *Mihi oſtendit Deus neminem communem, aut immundum dicere hominem* Magnum hoc myſterium ſoli Petro immediate a Deo, non in aliquo Apoſtolorum conventu oſtenſum fuit, ſed omnes reliqui hanc tanti momenti veritatem, ceu apoſtolici officii regulam primum a Petro addiſcere debuerunt. Ita vel ipſi Apoſtoli in ſui Apoſtolatus munere a Petro dependebant inſtruendi, quo illud ſpectat Chriſti effatum: *Tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Primus ergo, qui divina revelatione ſibi ſoli facta Evangelium in gentes propagavit, fuit Petrus: ipſe fundator eſt chriſtianæ inter Ethnicos Eccleſiæ, quæ noſtra hodie Eccleſia eſt regno Dei a perfidis Judæis ablato, nobisque donato. Ipſe eſt, in quo Chriſtus promiſſionem ſuam implevit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.*

§. 13.

Non minus notandum venit Act. cap. XII. Manum miſerat Herodes Aggrippa ad Eccleſiam Chriſti perſequendam: Jacobo, qui major dicitur, jam occiſo, ut amplius placeret Judæis, conſilium iniit illis adeo inviſæ ſectæ ipſum e medio tollendi Caput; hinc & ſacer textus ait: *Appoſuit, ut apprehenderet & Petrum.* Hoc apprehenſo, & in carcere ſervato, ut poſt Paſcha populo daretur interficiendus, ſumma erat totius Hieroſolymi-

tanæ

Digitized by Google

tanæ Eccleſiæ pro Petro ſollicitudo, & fideles toto Paſchatis octiduo indeſinenter ſuas preces pro Petri, Capitis ſui liberatione ad Deum effuderant: *oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Tantum ſibi in Petri ſalute poſitum exiſtimabant Chriſtiani! Dicas non immerito illum fuiſſe precibus fidelium a Deo donatum, propterea magno miraculo per angelum e carcere eductum. Potuiſſet Deus Jacobum quoque a morte liberare; ſed permiſit hunc celeri martyrio coronari, nec adeo fideles pro illo leguntur fuiſſe ſolliciti. Petrus vero adhuc erat neceſſarius, qui ad ampliora ſervabatur, non tantum Judæorum, ſed & Gentilium Eccleſiæ Princeps. Hunc oportuit non Hieroſolymæ, ſed Romæ, in civitate orbis capite Chriſtum glorificare, ejusdemque Eccleſiam inter gentes martyrio ſuo ædificare. Una eſt Chriſti Eccleſia ſub vicario capite, Petro. Qui non Petri eſt, neque Chriſti eſt: *unum ovile, & unus Paſtor.*

§. 14.

Huc usque naſcentis Eccleſiæ hiſtoria per XII. Act. capita ſic a S. Luca deſcripta eſt, ut cum veritate illam *Regiminis Petri hiſtoriam* dixeris, honoris, & poteſtatis prærogativa inter Apoſtolos ſemper Petro attributa, immo aliorum Apoſtolorum geſtis aut penitus neglectis, aut non niſi occaſione Petri, & quaſi per tranſennam recenſitis. Petrus per ſe ſolum ſine præhabito Apoſtolorum concilio mandata dat e. g. pro Juda proditore Succeſſorem in illius locum eligendi. Solus Petrus nomine aliorum Apoſtolorum in ejus præſentia tacentium loquitur, omniumque cauſam in ſe ſuſcipit defendendam. Solus eſt Petrus, qui inter alios Apoſtolos præſens miracula patrat, & verbum Dei ex ſingulari inſpiratione prædicat. Errantes ſolus Petrus inter reliquos Apoſtolos cum authoritatis eminentia redarguit, & miraculorum gloria præ aliis illuſtris a toto apoſtolico choro ſolus, ceu caput diſtinguitur. Singulas diverſis in locis per alios Apoſtolos plantatas Eccleſias ſolus Petrus cum ordinaria Superioris juriſdictione tanquam ſuas viſitat, divinæ omnipotentiæ virtute ubique locorum ſuffultus. Revelatio plane ſingularis de gentibus ad regnum Dei vocandis extra Apoſtolorum concilium ſoli Petro datur, a quo omnes reliqui hanc præcipuam apoſtolici officii ſpartam debent addiſcere. Demum pro Petri periclitantis vita extremum afflicta Eccleſia eumdem ſuis precibus impetrat Judæorum manibus ab angelo ereptum, ſed ampliori gloria per Gentiles coronandum. En fundamentum Romano-Catholicæ Eccleſiæ, quæ ſola Chriſti eſt, ſupra Petrum ædificata, quam diabolicæ poteſtates numquam poterunt expugnare. *Tu es Petrus, & ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

§. 15.

Porro Petrus eſt, ad quem, utpote Columnam Eccleſiæ præcipuam, ſeu ſupremum Rectorem S. Paulus ab ipſo Chriſto poſt mortem vocatus Apoſtolus proficiſcitur Gal. I, 18, licet non diſcendi ſtudio, ut S. Hieronymus ait, ſed tamen honoris priori Apoſtolo deferendi gratia. Ceterum, quod ſacer textus, præcipue græcus inſinuat *ad conſulendum* Petrum inviſit Paulus: ἱστορῆσαι enim ſignificat *percontandi gratia viſere* teſte Eraſmo, ut antiquorum etiam exemplis Scapula in ſuo Dictionario oſtendit.

Idem ſenſus ex ipſo Paulo colligitur Gal. II, 2, ubi demum cum Apoſtolis, qui videbantur Columnæ eſſe, Evangelium, quod jam ante prædicaverat, tamen adhuc ſe contuliſſe teſtatur, ne forte in vacuum curreret, id eſt, ne in alienam viam aberraret. Id quidem pro ſe S. Paulus non timuit, quippe a Domino ipſo inſtructus; agendum tamen erat de Authoritate apud alios prædicationi ſuæ concilianda; uti ex Act. IX, 26 apparet; cum enim fratres ex Judæis converſis ab illo ſibi timerent, Sauli converſionem aut ignorantes, aut non facile credentes, a Barnaba adductus eſt ad Petrum, quocum Jacobus minor, ut vulgo dicitur, Hieroſolymæ Epiſcopus fuerat. Ita Paulus converſionis ſuæ, & converſationis in Evangelio, & quod præcipuum, apoſtolici ſui muneris immediate a Chriſto ſuſcepti rationem Petro expoſuit, ob eamque cauſam, ad conferendum cum Petro, non ad *curioſe*, prout vulgi ſenſus eſt, videndum Petrum Hieroſolymam profectus eſt, ut cum unitatis centro communicaret, oſtenderetque, ſe a vinculo unitatis non diſſociari, ne forte alias Evangelium ſuum fidem perderet, & ipſe in vacuum curreret, aut cucurriſſet.

§. 16.

Leve eſt, & inane, quod tamen non raro opponitur: Paulum nulla ratione Petro ſubjectum fuiſſe, ſed potius eodem ſuperiorem, quippe quem in faciem correxerit. Gal. II, 11. Enimvero quod Paulus in Petro ſupremum Eccleſiæ Caput reſpexerit, ſatis ex eo, quod ad Petrum ſuſcepit percontandi, ſeu rationem reddendi cauſa, itinere colligitur. Qualis autem correctio fuerit illa Cephæ, ex ipſa hiſtoria ſacra breviter explanabimus. Petrus Antiochiæ cum fratribus ex gentilitate manducaverat, ſubito autem advenientibus Hieroſolyma neo converſis Judæis metuens, ne illorum infirmitati ſcandalum præberet, a menſa Gentilium ſe ſubtraxit, ſuam cum hoc genere hominum converſationem diſſimulaturus, cujus exemplum ceteri quoque diſcipulorum, inter quos Barnabas, imitabantur. Actio quidem Petri in ſe mala non fuit, ratio autem facti etiam laude digna; noxios tamen

parere

parere effectus poterat, & majori ſcandalo Gentilium perſuaſionem excitare, quaſi legis Moſaicæ jugum in chriſtiana adhuc eſſet portandum. Quare non immerito Paulus reprehenſibile hoc factum judicavit, & cum publico eſſe poſſet offendiculo, pro fraterna, quæ inter Apoſtolos erat, libertate loquendi, publice corrigendum. Hæc, inquam, fratris, etſi ordine inferioris erga fratrem libertas neutiquam Superioris poteſtati officit. Quamvis igitur in hoc officiorum conflictu Petrus per imprudentiam peccaverit (quippe nec *Apoſtoli* plane impeccabiles erant, utpote homines, & ipſe Paulus timebat, ne reprobus fieret prædicans) culpa tamen alia, niſi levis improvidentiæ non fuit, quæ ipſa humilitate, & charitate Petri in majus meritum ceſſit. Major certe virtus in Petro fuerat propter improvidum actum, *& charitatis quidem* humiliter culpari, quam in Paulo *abſque tolerantia* audacter culpare.

§. 17.

Inde ab Act. cap. XIII. S. Lucas Pauli apoſtolatum, cujus in itineribus comes fuerat, deſcribit: & hac quidem occaſione factum, ut denuo de Petro, ceu Hieroſolymitani Concilii Capite mentionem faceret, inſigni prærogativa (quod alibi ſemper in S. Luca obſervatur) a reliquis Apoſtolis Petrum etiam hic diſtinguens. Act. XV. Cum Antiochiæ Paulo, & Barnabæ a quibusdam falſis fratribus Judæis contentio orta eſſet de circumciſione, totaque Moyſis lege etiam Gentilibus ad Chriſtum converſis imponenda; Paulus, ut ipſe teſtatur Gal. II, *divina revelatione* Hieroſolymam, *NB* tunc adhuc temporis matricem Eccleſiam, ubi & Caput Petrus aderat, aſcendit ſuper hac quæſtione Columnas Eccleſiæ conſulturus. Apoſtolis hunc in finem unacum Presbyteris, aliisque fratribus congregatis magna hinc inde facta eſt diſquiſitio. Tum vero lite adhuc pendente Petrus tamquam apoſtolici conſeſſus Præſes ſurrexit, & primus omnium etiam in præſentia Jacobi Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Antiſtitis pro ſua authoritate ſententiam protulit, quam reverenter omnes, a tumultu nunc ceſſantes in ſilentio exceperunt: *Tacuit omnis multitudo* Petri autem ſententiæ hic erat ingreſſus: *Se jam pridem a Deo fuiſſe electum, ut per os ſuum gentes Evangelii verbum audirent, & crederent.* Hæc verba Petri hodiedum a nobis ſummam merentur attentionem. Se, ait, a Deo eſſe electum & conſtitutum, ut gentes per os ſuum verbum Dei audirent. Quamvis Paulus ex quadam conventione humana Apoſtolus gentium magis, quam Judæorum deputaretur Gal. II, 9; Petrus tamen effatur, per ſe gentes eſſe ad fidem vocatas, & per os ſuum oportere illas audire Evangelii verbum. Qua præfatione ſuam in gentes, eamque divinam authoritatem in Evangelio non ſolum annunciando, verum etiam exponendo declaravit, ut pateret,

ret, quam mox prolaturus eſſet, ſententiam non jam dubitationi ſubjiciendam, ſed communi aſſenſu amplectendam: *Non debere Gentilibus intolerabile Moyſis jugum imponi.* Poſtquam Petrus elocutus eſt, una omnes in Petri ſententiam abire, tamquam concilii totius regulam, & ea, quæ ille dixit, ſuis quoque dictis comprobare, atque confirmare. Ita, quod Petrus judicavit, narrationibus ſuis Barnabas, & Paulus confirmarunt, & Jacobus quoque ſua oratione, qua expreſſe ad Petri authoritatem provocavit v. 14, & reliqui demum viri apoſtolici, ac Presbyteri cum omni Eccleſia: *Non inquietari eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum.*

Hæc norma fere omnium poſthac conciliorum fuit, ut cauſa rei vel in concilio, vel jam antea diligenter diſcuſſa primus omnium ex ore ſui Vicarii Petrus loqueretur, cujus voci reliquorum Patrum vox ſemper conſenſit. Aut ſi ſubinde vox Petri non anteceſſit, ſed ſubſecuta eſt; tunc primum ſententia Patrum authoritatem conſecuta eſt. Noſtra repudiatis jam Judæis Eccleſia gentium eſt, hanc oportet per os Petri divinum verbum audire: Petrus enim hodiedum non ceſſavit ex ore ſui Vicarii, aut Succeſſoris loqui. Dum os Petri loquitur, taceat tam Apoſtolorum, quam fidelium omnis multitudo. Quisquis voci Petri contradicere attentaverit; is non tantum a capite, ſed etiam a corpore alienum ſe fecerit. Petrus enim, & Eccleſia duo ſunt, quæ a ſe mutuo ſeparari ex verbi Dei promiſſo nequeunt: ille ſiquidem fundamentum eſt, hæc ædificium: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Falſa foret Chriſti promiſſio, ſi Eccleſiam ſuo fundamento deſtitui, hinc labilem fieri permitteret, *& Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.*

§. 18.

Vana eſt igitur, & inutilis quæſtio magis ad obnubilandam veritatem, quam dilucitandam excogitata: An in *ſolo* Papa, an in *univerſa* Eccleſia infallibilitas reſideat? Ita tu quærendo falſa cogitatione ſeparas, quæ revera ſeparari divino ex inſtituto numquam poſſunt. Petrus eſt fundamentum, ſupra quod Chriſtus ſuam ædificavit Eccleſiam. Hæc Dei Eccleſia portis inferi inſuperabilis numquam a ſuo fundamento, id eſt, a Petro ſcindi, & avelli poterit. Sed illa eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ cum Petro, ſuo fundamento conjuncta. Si omnes Germaniæ, aut Galliæ, aut Italiæ, immo ſi omnes Europæ, ſi omnes Aſiæ, ſi omnes Africæ, ſi omnes Americæ particulares Eccleſiæ, queis nullum datum eſt, ſingulare promiſſum de ſua in fide perſeverantia, & ſi omnes illæ una ſimul ſuis in capitibus a Petri fide deficerent; numquam tamen in hac quoque, abſurda licet hypotheſi ſua Petro Eccleſia deerit, aut ſecum in uno loco collectorum fidelium,

Digitized by Google

fidelium, aut per orbem univerſum diſperſorum, ex quibus novos ſibi creare Paſtores in partem ſolicitudinis poterit. Hæc enim eſt ipſa Chriſti Eccleſia, ad quam pertinent, quotquot cum Petro communicant. Foris ſunt, & a vivo corpore ſejuncti, quotquot ab uno capite ſciſſi. Una eſt Chriſti Eccleſia, cujus Petrus fundamentum eſt. Petrus dum ergo loquitur, numquam ſui unius, ſed Eccleſiæ fidem enunciat, id eſt, divinam fidem, a qua ne deficeret, Chriſti precibus impetratum eſt: *Ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua.* Luc. XX, 32.

§. 19.

Ad quid ergo, inquies, Concilium illud Hieroſolymitanum, ſi ſola Petri ſententia jam decretoria fuit, & aliarum omnium regula? Ad quid ceterorum Apoſtolorum vota? Nonne & illa deciſiva fuerunt, & talia etiamnum ſunt Epiſcoporum? Uno verbo reſponſum habe: concilia propter errantes, eosque pertinaces rem utilitatis eſſe, non neceſſitatis. Hieroſolymitanum illud appello, quippe præcipuam omnium poſteriorum normam. Paulus Apoſtolus falſis ex Judaismo fratribus, in ſpecie Phariſæis, qui legem Moſaicam volebant Chriſtianis etiam ex gentilitate imponere, toto niſu reſtiterat: ille, qui ſe quoque Spiritum Dei habere ſenſerat, haud ambigebat de liberatione Chriſtianorum a gravi jugo Judæorum; ſed propter litigantium tamen contumaciam, ut ſuæ doctrinæ major *ab æterno* authoritas accederet, matricem Eccleſiam cum præcipuis Apoſtolis, quorum Caput Petrum jam agnoverat, conſultare decrevit. Quod decidere per ſe ipſum Paulus contra ſuos adverſarios potuiſſet, id ſane potuiſſet & Petrus; attamen pro ſua prudentia ſimul, & modeſtia ſine publica diſcuſſione noluit, ne temere quidquam agere adverſariis videretur. Hinc indicta fratrum conſultatio ipſis quoque contradicentibus ad cauſæ ſuæ defenſionem admiſſis; motivis in utramque partem productis, tunc primum ſententiam Petrus effatur, cui, quippe Capiti, & fundamento ſuo tota Eccleſiæ collectio jam conſentit, non quaſi cæco modo, aut forte ſimulato, ſed prolatis etiam a ceteris Apoſtolis in confirmationem argumentis, ut oſtenderet propriam fidem ſuam cum fide ſui Capitis vere eſſe conjunctam. Sic deciſiva ſunt cum Petro aliorum quoque Apoſtolorum vota ad totius Eccleſiæ fidem profitendam, *deciſiva*, inquam, ſed prout cum Petro in unitatem ſententiæ conſpirantia, non pro hypotheſi diſſenſionis, ſive, ſi ita loqui fas eſt, in partes itionis, quaſi tunc major numero pars votantium contra ipſum Caput prævaleret. Ea ſit ſors, miſera certe, profani corporis, cujus unitas facile ſcindi poteſt: at melius Magiſter divinus ſuo myſtico corpori providit, inſeparabili nexu Eccleſiam ſupra Petrum fundando, ut numquam alia ſit Eccleſiæ, quam ipſa Petri fides. Usque ad finem mundi una ſemper cum Capite ſuo conjuncta Chriſti Eccleſia eſt. Poſito caſu,

Digitized by Google

eoque triſtiſſimo, quod major numerus Epiſcoporum in concilio ſententiæ a Papa definitæ contradiceret, minore tantum eidem adhærente; iſti quidem cum Petro, ceu corpus cum capite, ædificium cum ſuo fundamento, conjuncti veram efficerent Chriſti Eccleſiam; illi vero, etſi numero plures, ab unitatis centro ſeparati, a capite, eoque ipſo a Chriſti corpore avulſi extra Eccleſiam forent; ſchiſmatis rei, a veritate fidei, nec non a ſalute, alieni. Falſum eſt multorum hodie præjudicium in Eccleſiæ concilio ex votantium numero ſententiam pendere. Vota cum capite conſentientium ſola valent, ſi res fidei eſt; alia in contrarium non admittuntur, ſed ſuis cum authoribus ab unitate corporis excluſa ſunt. Quicumque in fide a capite diſſentiunt, jam non ad unam Chriſti Eccleſiam pertinent, ſed ad aliam cujuscunque Anteſignani ſectam. *Unum ovile, & unus Paſtor.*

§. 20.

Dices vero, ſaltem confirmari ab aliis Apoſtolis Petri ſententia debuit, uti ex hiſtoria concilii Hieroſolymitani diſcimus. Ergo Epiſcopi in concilio Papæ ſuperiores ſunt, cum jus confirmandi ſuperiorem erga alterum poteſtatem denotare videatur. Sed ſi velis, ambiguæ vocis *confirmare* diſcrimen facili negotio tute ſenties. Eſt enim aliud confirmare, ſeu debitum alteri conſenſum præſtare, quod *ſubjectionis* eſt; & aliud confirmare, ſeu poteſtate præditum eſſe, alterius ſententiam vel approbandi, vel reprobandi, quod *ſupremæ* Authoritatis eſt. Hoc poſteriori modo ſolus Papa erga Epiſcopos etiam in concilio generali congregatos jus habet confirmandi, utpote cui in Petro dictum eſt: *Tu confirma fratres tuos.* Illo priori modo obligatio Epiſcopis incumbit cum unitatis centro ſeſe conjungendi, hoc eſt, in capitis ſententiam conſentiendi, eamque hoc ſenſu confirmandi. Si locus hic foret, utrumque hoc ex hiſtoria eccleſiaſtica luculenter poſſet demonſtrari, ſed dante Deo de his quoque dicendi occaſio erit.

§. 21.

Nec eſt, cur timeant Epiſcopi, ſi neceſſario ſibi cum Papa ſentiendum, ſe libertate ſentiendi, loquendique privari. Dicat enim Epiſcopus quilibet, & libere quidem, quod ſentit; ſed meminerit ſimul, ſuam nonniſi ſui unius, aut particularem eſſe opinionem. Quodſi vero Paſtor omnium univerſalis ſemel fuerit locutus, & definitivam dederit ſententiam; notum jam Epiſcopis ſit, debere ſe a Petro confirmari, non poſſe a fundamento ſuo Eccleſiam avelli, nec unitatem Caput inter, & membra diſcindi: vocem ergo capitis ex divino promiſſo non aliam eſſe poſſe, niſi ipſum communem ſenſum Chriſti fidelium, verbo Eccleſiæ catholicæ doctrinam, cui quilibet particularis Paſtor cum reverentia aſſurgere, ſeque ſubmittere

Digitized by Google

mittere tanquam divinæ veritati debeat, a qua ne ullo unquam tempore Petrus aberret, aliosque ſecum fideles ſibi ſubditos in errorem inducat, ſpecialiter ſuis precibus Chriſtus a Patre impetravit. *Ego rogavi pro te, ne deficeret fides tua, & tu confirma fratres tuos.*

§. 22.

Hieroſolymitana Apoſtolorum Synodus profecto omnium poſteriorum norma ſit, oportet. Hinc ſingularem animi reflexionem merentur, quæ in illa obſervatu digna occurrunt. 1mo. Concilium nonniſi *facta ſeditione non minima* fuit congregatum, cum falſi quidam fratres ex Phariſæis contenderent circumciſionis, & totam Moyſis legem adhuc obligare. 2do. Quæſtio mota non erat ejusmodi, de qua Paulus dubitaverat, quippe qui nihil a ſua ſententia ceſſit, nec Titum gentilem circumcidit. 3tio. Paulus tamen ampliori matricis Eccleſiæ Authoritati *divina ex revelatione* id tribuendum cenſuit, ut Hieroſolymam ad Petrum iterato ſe conferret. 4to. Gravior cauſa, quam præſens de circumcidendis gentilibus, & in qua hæc ipſa comprehendebatur, jam antea *ſoli* Petro a Deo fuerat revelata, gentes quoque regni cœlorum participes fieri poſſe: *Mihi oſtendit Deus, neminem immundum dicere hominem.* 5to. Appellato matricis tunc Eccleſiæ judicio non Jacobus, tamquam proprius Epiſcopus, ſed Petrus præfuit, quippe Caput univerſale, & diſquiſitione ultro, citroque facta primus decretoriam edixit ſententiam, quam omnes in ſilentio abrupta ſua contentione exceperunt. 6to. Hanc eamdem pro regula ceteri aſſumſerunt Apoſtoli, ſuoque pariter judicio confirmarunt, Petri authoritate perſuaſi: *Simon narravit, quemadmodum primum Deus viſitavit, ſumere ex gentibus populum Nomini ſuo.* 7mo. Demum hujus Concilii, *NB. NB.* quod non univerſale omnium Apoſtolorum, ſed tantum matricis Eccleſiæ cum ſupremo Capite Petro fuit, tanta authoritas agnoſcebatur, ut ejusdem decreta ad abſentes fratres nomine divini Spiritus perſcriberentur: *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* Ex quo tam celebri concilio, cujus judicio vel ipſe S. Paulus ſe ſubmiſit, præclare denuo elucet ſuprema Petri in Apoſtolorum quoque conſeſſu authoritas, quippe qui præmiſſa diſquiſitione primus decretoriam fert ſententiam, quam amplecti omnes fideles ſubmiſſis animis conſpiciuntur, ſuoque amplexu contra obloquentium pertinaciam roborare. Siqua enim inter fratres etiam dubitatio oritur, ſiquod periculum fidei inſtat; Petri eſt, cujus fides numquam deficit, ſuos fratres confirmare. *Tu confirma fratres tuos.*

§. 23.

Et hæc quidem, quæ ex actis Apoſtolorum adduxi: ſupremæ jurisdictionis, ejusdemque univerſalis a Petro exercitæ teſtimonia plane divina ſunt, quæ a fidelium nemine ſalva ſua fide, animæque ſalute negari poſſunt. O utinam a plerisque ſeculi noſtri Canoniſtis, vel Publiciſtis hæc theologica ponderarentur momenta! His ſiquidem aut ignoratis, aut forſitan deſpectis, unde chriſtianam juris doctrinam puriſſime poſſent, atque haurire deberent, fontes plerumque limoſos, immo & venenatos hæreticorum, aut hominum ſchismaticorum adeunt, unde pro novaturientis ingenii ſui guſtu bibunt, inanem apud homines hodiernos gloriolam ſectantes, & magno fidei, animæque ſuæ diſcrimini ſe ſe exponentes. Sunt inſuper & alia primævæ antiquitatis documenta de geſtis Petri, quæ, licet divinam non habeant authoritatem, omni tamen hiſtorica fide indigna haud videntur. Hinc ſequitur

APPENDIX
EX
Documentis mere eccleſiaſticis.

§. 1.

Dantur adhuc hodie, quos pace mea Ultramontaniſtas voces; ſic enim vocari, & eſſe, quippe cum Capite conjunctus, potius velim, quam ab hujus ſenſu alienus peſſima diſtinctione inventa, & ſpecioſo prætextu tantum a Curia romana diſſentiendi colorata *Ciſalpinus.* Dantur, imquam, qui cum Joanne de Turrecremata *) & Bellarmino **) exiſtiment, ſolum Petrum a Chriſto ordinatum fuiſſe in Epiſcopum, eumque univerſalem, ceteros autem Apoſtolos a Petro epiſcopalem jurisdictionis ordinationem accepiſſe. Et merito quidem diſtingui poteſt inter apoſtolicum, ſacerdotale, & paſtorale, quod vi nominis idem eſt, ac regiminis, ſeu epiſcopale officium. Primum, id eſt, *apoſtolicum*, conſiſtit in propagatione fidei per prædicationem divini Verbi, & Regenerationis Sacramenti adminiſtrationem. Hoc officium Chriſtus immediate per ſe inſtituit ſuos diſcipulos emittendo in terram univerſam: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. XXVIII, 19. Eo ipſo, quod quis Apoſtolus fuerit, nondum jam Epiſcopus, immo nec Sacer-

*) Summ. de Eccleſ. Lib. 2, cap. 32.
**) Diſſert. de controv. Chriſt. Fid. Tom. 1, contrav. 3, Lib. 1, cap. 23.

Sacerdos erat. Sic Dominus Luc. VI. elegit duodecim diſcipulos ad regnum Dei prædicandum, quos & Apoſtolos vocavit, antequam vel Sacerdotes eos faceret, nedum Epiſcopos. Alterum eſt *ſacerdotale* munus, quod complectitur poteſtatem Sacrificium offerendi, & peccata remittendi, quæ mere interna ſacri Ordinis poteſtas eſt in corpus Chriſti reale, & myſticum. Hanc utramque Chriſtus per ſe immediate Apoſtolis contulit, primam quidem Luc. XXII: *Hoc facite in meam commemorationem*, & alteram Joan. XX: *Accipite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hæc Ordinis poteſtas *communis* eſt omnibus Presbyteris, non ſolum *propria* Epiſcopis, & eatenus illi æque, ac iſti ſunt Apoſtolorum ſucceſſores. Tertium eſt, & hoc quidem *epiſcopale* officium paſcendi non tantum verbo, & ſacro miniſterio, ſed etiam regiminis poteſtate, ſeu externa in ſubditos jurisdictione. Hanc Chriſtus (nempe, quod notandum, paſcendi, ſive regendi poteſtatem) non aliis Apoſtolis, quam *ſoli* Petro immediate, & per ſe ipſum commiſiſſe legitur, ſed huic ſoli, nec ulli alteri claves regni cœlorum promiſit, eidemque oves ſuas paſcendas tradidit. Similem regendi poteſtatem videtur quidem Dominus omnibus Apoſtolis unacum Petro congregatis *in corpore* promiſiſſe per poteſtatem ligandi, ſolvendique Matth. XXIII; ſed quod nova attentione dignum, nullibi invenitur Apoſtolis, præterquam *ſingulariter* Petro immediate, ſeu per ſe ipſum tradidiſſe, niſi citatum Matthæi textum unice ad peccata remittendi, aut retinendi poteſtatem Joan. XX. æque omnibus Presbyteris datam reſtringere velis, quod vereor, an velis. Qua præmiſſa obſervatione, certe fundamonto ſuo non deſtituta, colligitur, regiminis, ſeu externæ jurisdictionis poteſtatem Apoſtolis tantum *mediate* a Chriſto, *immediate* vero per Petrum fuiſſe collatam. Hoc ſenſu SS. Patres noſtri ſcripſiſſe videntur: claves cœlorum omnibus Apoſtolis, ſed *per Petrum* communicatas fuiſſe.

§. 2.

Itaque nunc ipſa veterum teſtimonia audiamus. Tertullianus ita ſcribit *): „Si adhuc clauſum putas cœlum, memento claves ejus Dominum „Petro, & *per eum* Eccleſiæ reliquiſſe." S. Optatus Milevitanus **): Bo„no unitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi, poſtquam negavit, ſolam veniam „conſequeretur, & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni „cœlorum communicandas ceteris *ſolus* accepit. „ Nugas Dupinius loquitur, dum *claves communicandas ceteris* non ad Petrum, ſed ad Chriſtum refert. Quod Optatus adjecit, verbum *ſolus* manifeſte in textu Petrum

indicat,

*) Scorpiac. cap. 10. **) Contra Parmenian. lib. 7.

indicat: ſi enim Chriſtus ipſe ceteris claves communicaſſet, dici non poſſet, quod Petrus easdem ſolus acceperit. Claves ergo, quas ſolus Petrus accepiſſe legitur, non a Chriſto, ſed a Petro ex mente S. Optati erant communicandæ. Ceterum plures Dupinii errores, in ſpecie de *Papa* jam doctiſs. Boſſuetus detexit, & refutavit, qui porro de ſimilibus Pſeudocriticis ita diſſerit *): „Ces grands critiques ſont peu favorables aux ſupe„riorités eccleſiaſtiques, & n'aiment gueres plus celles des Evêques, que „celle du Pape."

§. 3.

S. Cypriani, quo præcipue adverſarii gloriantur, ſumme memorabilem locum, etſi longiorem placet hic deſcribere **). Poſtquam S. Pater diaboli fraudes enumeravit, quibus de Eccleſia homines rapere conſuevit, ita mox pergit: „Hoc eo fit, fratres dilectiſſimi! dum ad veritatis originem „non reditur, nec Caput quæritur, nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. „Quæ ſi quis conſideret, & examinet, tractatu longo, atque argumentis „opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. (Quale er„go Caput, quod quærendum eſt? en contextum) loquitur Dominus ad „Petrum: *Ego tibi dico,* inquit, *quia tu eſt Petrus & ſuper hanc petram ædi„ficabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo „claves regni cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cæ„lis & quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis.* Et iterum „eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: *Paſce oves meas.* Super illum „*unum* ædificat Eccleſiam ſuam, & illi *paſcendas* mandat oves ſuas. Et „quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem „tribuat, & dicat: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum „ſanctum. Si cujus remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cujus tenueritis, „tenebuntur.* (Parem poteſtatem hic vides, ſcilicet Apoſtolatus, & Sacer„dotii) tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejusdem originem *ab uno „incipientem* ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & ceteri Apoſtoli, „quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis (intellige „hic quoque par conſortium Apoſtolatus & Sacerdotii) ſed exordium *ab „unitate* proficiſcitur, & primatus Petro datur ***), ut *una* Chriſti Eccleſia, & cathedra *una* monſtretur. Et Paſtores ſunt omnes, & grex „*unus* oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur, „ut Eccleſia Chriſti *una* monſtretur.

„Quam

*) Oeuvres poſthumes. Tom. 2, pag. 531, edit. Amſtel. 1753.

**) Lib. de unitate Eccleſiæ.

***) Ita in antiquiſſimis codicibus jam ſeculo ſexto fuiſſe lectum, confecta res eſt. Vide Mamachium *de antiq. Chriſt.* tom. 5, pag. 71. Si tamen Criticis verba hæc diſplicent, pace mea omittantur; ſufficit *exordium ab uno proficiſci, qui Caput eſt.*

„Quam *unam* Eccleſiam etiam in Cantico canticorum Spiritus S. ex „perſona Domini deſignat, & dicit: *Una eſt columba mea, perfecta mea,* „*una eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Hanc Eccleſiæ ſuæ *unitatem* qui „non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui „*Cathedram Petri*, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia „ſe eſſe confidit *)? — Quam *unitatem* firmiter tenere, & vindicare de„bemus, maxime EPISCOPI, qui in Eccleſia præſidemus, ut epiſcopatum „quoque ipſum *unum*, *atque indiviſum* probemus. Nemo fraternitatem „mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. „Epiſcopatus *unus* eſt, cujus a ſingulis *in ſolidum* (hoc eſt, in unum totum) „pars tenetur **). Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latius „incremento fœcunditatis extenditur. Quo modo *ſolis* multi radii, ſed lu„men unum, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci *radice* funda„tum, & cum de *fonte* uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licet diffu„ſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur *in origine*. „Avelle radium ſolis a corpore; diviſionem lucis unitas non capit. Ab „arbore frange ramum; fructus germinare non poterit. A fonte præcide „rivum; præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini — *unum Caput* eſt, & „*origo una*, & *una mater* fœcunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu naſ„cimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu ejus animamur. Adulterari non „poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt, & pudica: — Hæc nos Deo ſervat, „hæc filios regno, quos regeneravit, aſſignat. Quisquis ab Eccleſia ſegre„gatus adulteræ jungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur. Nec perveniet „ad Chriſti præmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti. Alienus eſt, propha„nus eſt, hoſtis eſt. Habere jam non poteſt Deum patrem, qui Eccle„ſiam non habet matrem. — Et quisquam credit hanc *unitatem*, de divina „firmitate venientem, ſacramentis cœleſtibus cohærentem ſcindi in Eccleſia „poſſe, & voluntatum collidentium divortio ſeparari? Hanc veritatem ***), „qui non tenet, Dei legem non tenet, non tenet Patris, & Filii fidem, „vitam non tenet, & ſalutem.“ Ita S. Cyprianus *unum* caput agnoſcit, a quo exordium proficiſcitur, *unam* cathedram, quam Petri vocat, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, & unitatis *originem* ab *uno* incipientem, *unumque* Epiſcopatum, cujus a ſingulis Paſtoribus pars in ſolidum, id eſt, in unum totum, non quaſi ſolitaria tenetur; demum Eccleſiam *unam* in „mul-

*) Non poſſum non pro nota noſtro ſeculo neceſſaria S. Cypriani verba repetere: *Qui Cathedram Petri, ſuper quem fundata eſt Eccleſia, deſerit in Eccleſia ſe eſſe confidit?* jam puto, ceſſabunt recentiores noſtri Canoniſtæ ad S. hunc Patrem appellare.

**) Pars a ſingulis Epiſcopis teſte Cypriano tenetur: non ergo illimitata, ut in Apoſtolis erat, jurisdictio in Epiſcopis eſt. Ad quid ergo Epiſcopi, niſi in partem ſollicitudinis paſtoralis, quæ tota, & plena in Petro eſt?

***) Legendum, ut videtur, *unitatem*.

Digitized by Google

multitudinem quidem dilatatam, ſed ex *una* origine, ex *una* radice, ex *uno* fonte profectam, ſicut ſunt radii ſolis, arboris rami, & aquarum rivi. Ut omnia paucis complectar, caput hoc, fundamentum hoc, origo hæc, unde Epiſcopatus *unus* oritur, ſolus Cypriano PETRUS eſt.

§. 4.

Nihil de Anacleti duabus dicam epiſtolis, quæ dubiæ fidei ſunt, haud tamen, quidquid Hypercritici audacter aſſerant, certo falſæ. Idem tamen a Clemente Alexandrino apud Euſebium traditur *); ſcilicet Jacobum minorem a Petro, & Jacobo majore, & Joanne Hieroſolymorum Epiſcopum fuiſſe ordinatum. Pariter id Hieronymus teſtatur **): *Jacobus ſtatim poſt paſſionem Domini ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatur.* S. Gregorius Nyſſenus ait ***): *Per Petrum Epiſcopis dedit claves cæleſtium bonorum.*

§. 5.

Sed & genuinæ veterum Pontificum epiſtolæ ſuperſunt, quas apud Conſtantium videas. Julius I. ita ſcribit ****): „Quam culpam incurrere „non potuiſſetis, ſi unde *conſecrationis* honores accipitis, inde legem to„tius obſervantiæ ſumeretis, & B. Apoſtoli Petri ſedes, quæ nobis ſacer„dotalis *****) mater eſt dignitatis, eſſet eccleſiaſticæ magiſtra rationis." Notatu dignum eſt, hæc Julium non ad Occidentales Epiſcopos, ſed Orientales ſcripſiſſe, conſecrationis ſuæ honores illos a Petro accipere, & hujus ſedem ſacerdotalis matrem eſſe dignitatis. Innocentius I. in epiſtola ad Patres Carthaginenſes ita ait: „Scientes, quid debeatur apoſto„licæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolo„rum, a quo ipſe Epiſcopatus, & tota Authoritas nominis hujus emerſit." Idem epiſtola ad Milevitanos Patres ******): „Quoties fidei ratio ventilatur, „arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros nonniſi ad Petrum, id eſt, „ſui nominis, & honoris Authorem referre debere, velut nunc retulit ve„ſtra dilectio." Denique S. Leo M. *******): „Magnum, & mirabile, Di„lectiſſimi! huic viro (B. Petro) conſortium potentiæ ſuæ tribuit divina dig„natio. Et ſi quid cum eo commune ceteris voluit eſſe Principibus, nun„quam niſi *per ipſum* dedit, quidquid aliis non negavit." Atque iterum

*) Hiſt. eccleſ. l. 2, c. 1. **) De viris illuſt.
) Tract. adv. eos, qui caſtigationes ægre ferunt. *) Epiſt. 1 ad Orient.
*****) *Sacerdotalis* dignitatis nomine paſſim apud Veteres *Epiſcopalis* veniebat.
******) Inter Auguſtinianas 93. *******) Serm. 3, de aſſumtione ſua ad Pontificatum.

rum *): „Hujus muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſto-„lorum officium voluit pertinere, ut in B. Petro Apoſtolorum omnium ſum-„mo principaliter collocaret, ut *ab ipſo*, quaſi quodam capite dona ſua ve-„lut in corpus omne diffunderet." Tot, & tanta ſumme venerandæ antiquitatis teſtimonia, quibus & doctrina SS. Thomæ, Bonaventuræ, Antonini, & plurimorum usque ad recentiorem ætatem Theologorum accedit, majoris ſaltem ponderis ſunt, quam Facultatis Pariſienſis placita, quæ ſententiam damnaverit aſſerentem: Epiſcoporum jurisdictionem non *immediate* a Chriſto, ſed a Petro eſſe. Aut num forte arundineo Febronii ergo & hic inſidebis, ut aſſeras, veteres illos tam Patres, quam Pontifices falſa merce Iſidori fuiſſe deceptos? Cum id vix auſurus ſis, finge, & calumniare illos tanquam iſidorianæ deceptionis fabricatores. Lectio noſtris Febronianis notanda, ſcilicet jam ſatis nota eſſe, & ad nauſeam usque ipſorum artificia.

§. 6.

Multi ſunt, qui perſuaſum ſibi habeant in Apoſtolatu κατ' ἐξοχὴν Epiſcopatum fuiſſe incluſum, quibus ne ſimpliciter aſſentiar, ipſa S. Evangelii hiſtoria obſtat, qua docemur miſſionem Apoſtolorum ad prædicandum præceſſiſſe vel ante ipſam conſecrationem ad Sacerdotium. Hinc *ratione objecti*, ſeu muneris pure apoſtolici, quod eſt, evangelizare, & baptizare nondum incluſus intelligitur epiſcopatus. Hunc ab illo diſtinguimus, non tamen ſeparamus, ſed ultro fatemur conjunctum fuiſſe, utramque poteſtatem *ratione ſubjecti*, prout nempe in perſonis Apoſtolorum extitit. At quæſtio redit, an ſuam paſcendi, hoc eſt, regendi jurisdictionem Apoſtoli *immediate* a Chriſto, an vero *mediante* Petro acceperint. Enimvero non ab hominibus, ſed ab ipſo Domino S. Paulus apoſtolatum habuit; nihilominus tamen ab hominibus conſecrationem accepit Act. XIII. Arator ſexti ſeculi Scriptor ipſum a Petro fuiſſe ordinatum in Epiſcopum refert, quod etſi non per ſeipſum Petrus fecerit, per alios tamen facere jam a ſe ordinatos potuit. Satis eſt, Apoſtolatum ab Epiſcopatu diſtingui.

§. 7.

Qui ex S. Scriptura opponi ſolent textus, ſunt Act. XX. a Spiritu S. Epiſcopos eſſe poſitos, ut paſcerent Eccleſiam Dei. Item Epheſ. IV. quosdam a Deo datos Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios autem Paſtores & Doctores. Sed præterquam, quod prior textus jam adcurate expli-

*) Epiſt. 89 nunc 30 ad Epiſc. Provinc. Viennenſ.

Digitized by Google

explicatus ſit Art. I, §. 13, tantum hic obſervo, non legi, a Chriſto, ſed a Spiritu S. Epiſcopos eſſe ad paſcendum poſitos. Nonne vel ex eo forſitan colligi poſſet, Spiritus S. inſtinctu, ſicut alia multa, etiam hoc a Petro fuiſſe factum, qui ad omnes generatim Presbyteros ſcripſit: *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei!* Alter autem textus, etſi minus adverſariis faveat, eoquod Apoſtolos a Paſtoribus diſtinguit, neque tamen etiam aſſerit, ſicut Apoſtolos *a Chriſto*, ita etiam Paſtores *immediate* inſtitutos, ſed tantum *a Deo datos*. Verum eſt ſane a Deo eſſe, quod divina authoritate Petrus, aut Apoſtoli fecerint. Quamobrem divina fuit, licet a Petro aliis communicata *paſcendi* jurisdictio, & hoc ſenſu vere a Deo poſiti ſunt in Eccleſia tam primi, quam ſecundi Ordinis Paſtores. Ita quoque certum eſt divinæ inſtitutionis eſſe Diaconos, etſi non immediate a Chriſto, ſed ab Apoſtolis inſtitutos. Cetera, quæ vulgo afferuntur, leviora ſunt, quam ut hic nobis moram faciant. Tantum diſſimulare non poſſum injuriam, qua noſtra hæc ſententia vulgo diffamatur, quaſi Epiſcopos tantum ut Petri, non vero ut Chriſti *miniſtros* conſideraremus: expreſſe enim, & publice profitemur, divinam eſſe paſtoralem Epiſcoporum jurisdictionem, tametſi a Petro primum Apoſtolis communicatam, ſcilicet ut cum S. Cypriano loquar, velut radium ex luminis corpore, velut ex arbore ramum, velut ex fonte rivum. Cum inſuper Petrus ipſe non niſi Miniſter Chriſti ſit, ejusque nomine, non proprio regat Eccleſiam, etſi Miniſtrorum ſupremus ſit; conſequens eſt, non utique Petri, ſed Chriſti nomine præeſſe Epiſcopos, divina ad regendam plebis ſuæ portionem jurisdictione præditos, ea tamen Petro ſubordinata.

§. 8.

Interim utut ponderoſa ſint momenta, quæ perſuadeant, Clavium poteſtatem, ſeu jurisdictionem paſtoralem non *immediate* a Chriſto, ſed *mediante* Petro Apoſtolis fuiſſe commiſſam; id tamen pro certo non auſim aſſerere divinis eloquiis non admodum hac ſuper re claris, & judicio Eccleſiæ nondum enunciato. Duo ſunt autem, quæ ſibi quam optime notent ſimulati plerumque Epiſcoporum contra apoſtolicam Sedem advocati. Primum, idque certiſſimum, & fide divina tenendum inter Catholicos eſt, jurisdictionem epiſcopalem, etſi non a Petro ſit, ſed *immediate* a Deo, tamen ex ipſius voluntate Dei ſub Petro eſſe debere, ita, ut pro Eccleſiæ utilitate vel augeri, vel minui, vel etiam ſuſpendi, quoad actualis exercitii uſum a ſupremo in terris Clavigero, & Paſtorum Capite poſſit. Deinde ea, quæ *immediatam* a Deo jurisdictionem Epiſcoporum probant, ſiquid probant, eamdem quoque Presbyteris evincunt: ex quo conſequitur; poteſtatem ſubordinatam,

Digitized by Google

natam, quamvis divinitus acceptam, haud quaquam opponi poſſe ſuperiori poteſtati, ſeu hæc epiſcopalis ſit, ſeu papalis.

§. 9.

Abſit a me, ut Epiſcopis Presbyteros dignitate, aut poteſtate pares faciam, cum certus ſim, divina diſpoſitione hos illis inferiores eſſe; ſed hoc contendo, eam, quam Presbyteri habent poteſtatem, æque divinam eſſe, ac illam, ſuperiorem licet Epiſcoporum. Sunt enim Presbyteri quoque in plerisque Apoſtolorum Succeſſores: & ipſi vi Ordinationis ſuæ miſſionem habent apoſtolicam ad prædicandum, & baptizandum: & ipſis peccata remittendi, aut retinendi poteſtas cum Apoſtolis communis eſt; ad Hierarchiam divinitus inſtitutam & ipſi pertinent, *ut præſint*, quod exteriorem denotat jurisdictionem, primis ſeculis multo ampliorem in illis, quam hodierno more, ita, ut Presbyteri antiquitus cum ſuo Epiſcopo in uno conſeſſu Eccleſias rexerint, vota in conciliis dederint non tantum conſultiva, ſed etiam deciſiva, immo & authoritate ſua excommunicarint. Vide doctiſs. Selvaggium *).

Quanta confuſio in domo Dei, ſi Presbyteri moderno tumultu excitati jurium ſuorum exercitia, prout olim erat, ſibi revindicarent! Hæc non ad diſcordiam dicta ſint, ſed potius ad concordiam, ut appareat in Eccleſia Dei, ceu bene ordinato exercitu, diverſos eſſe regiminis gradus, eosque divinitus ita ſibi ſubordinatos, ut omnis demum plenitudo poteſtatis in uno ſupremo corporis totius Capite reſideat. *Unum ovile, & unus Paſtor.* Quam ſuavis inſtitutio, divina ſane, Deoque digna! Dic tu, ſodes, *meliorem* te optare; & non jam nobiscum, ſed cum Deo diſputa, hanc inſtitutionem reformandam eſſe ſecundum illuſtratiora, magisque philoſophica noſtri temporis principia. Aut num forte iſidorianam fraudem & illud ſapit Verbi divini effatum: *Unum ovile, & unus Paſtor?*

§. 10.

Memorabilis adhuc prærogativa Petri eſt, quod ſuper omnes Eccleſias aliis ab Apoſtolis fundatas, ſuper ipſam matricem omnium Hieroſolymitanam, cui S. Jacobus præſedit, ampliorem Authoritatem, ſeu *patriarchalem* inde ab exordio illæ ſolum tres Eccleſiæ obtinuerint, quas B. Petrus fundavit, & erexit, ſcilicet Romana, Alexandrina, & Antiochena **). Tres

*) Antiquit. Chriſti. tom. 2. cap. 1. §. 2.

**) Notent ſibi hoc moderni *dilucularii*, qui inceſſanter diluculum annuntiant, plena autem meridie cæcutiunt, *patriarchalem* jurisdictionem, quam omnino volunt a *papali* diſtinctam, non niſi hujus, ceu fontis eſſe rivulum, humana diſpoſitione derivatum.

Digitized by Google

illæ præ reliquis omnibus jam ante Nicænum Concilium primariæ cathedræ, utpote Petri, fuerant: Romanam quippe per ſe ipſum usque ad glorioſam martyrii mortem gubernavit, ad Antiochenam, cui aliquamdiu ipſe præfuit, loco ſui Evodium ſubſtituit, Alexandrinam non quidem per ſe ipſum, quod tamen Nicephorus teſtatur, ſed per S. Marcum, diſcipulum ſuo nomine ablegatum rexiſſe creditur. Unde patet, quanta vel legatorum Petri primævis illis temporibus authoritas fuerit. Et harum quidem ſedium ordo hic eſt, ut ſicut major fuit Petrus Apoſtolus Marco Evangeliſta, & Marcus major Evodio, qui nec Apoſtolus, nec Evangeliſta fuerat; ita Romana quoque Eccleſia Alexandrinam, & Alexandrina Antiochenam dignitate præcederet. Quarta primum inter patriarchales Eccleſias per annos fere quingentos habita eſt Hieroſolymitana, & hoc quidem nomine potius, ſeu honore quodam memoriæ S. Jacobi debito, quam realis poteſtatis prærogativa: ſiquidem Alexandrinus Patriarcha non ſolum ſecundo loco, proxime poſt Romanum in conciliis ſedebat, verum etiam præerat omnibus Epiſcopis, & Archiepiſcopis Ægypti, & Lybiæ: & Antiochenus non tantum tertio loco ſedebat, ſed etiam omnibus Archi- & Epiſcopis Orientis præerat. At Hieroſolymitano quarto quidem loco ſedere licuit, ſed nulli Epiſcopo, minus Archiepiſcopo præeſſe: immo teſte S. Hieronymo ſubjectus erat Archiepiſcopo Cæſareenſi, Palæſtinæ Metropolitano, & præterea, ut dictum eſt, Antiocheno Patriarchæ: His poſtea primum acceſſit Patriarchatus Conſtantinopolitanus, isque ad ſecundum locum promotus, ſed non ante Juſtiniani tempora: tunc nempe poſt annum Domini quingenteſimum Imperatoris opera, & Pontificum permiſſione Epiſcopi Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus cœperunt in Patriarcharum numero nemine amplius reclamante haberi *).

§. II.

Unde hoc contigerit, ſi critice diſquiras, cur tres ſolum, & hoc præciſe ordine ſedet partriarchales jam ab initio fuerint; non amplius cum Calvino miraberis. Si enim antiquitatem ſpectes; Hieroſolymitana Sedes, utpote matrix primo omnium loco poni debuiſſet, non quarto demum, vel potius nullo. Si nobilitati regiæ ipſarum civitatum id honoris tribuas; jam ſuo tempore huic figmento ſummi Pontifices Leo M. & Gelaſius contradixerunt, eoquod alia ſit poteſtas regni ſecularis, alia eccleſiaſticarum diſtributio dignitatum. Præterea cur a Concilio Nicæno tres tantum illæ Sedes patriarchales fuerint agnitæ, cum imperatoria Sedes tunc temporis in Oriente eſſet Nicomedia, in Occidente vero Treviris, & Mediolanum?

Cur

*) Vid. ſup. cit. Bellarm. cap. 24.

Cur poſtea ex hoc eodem titulo conſtantinopolitanus Epiſcopus ægre admodum, & tarde ejusmodi ſibi præcedentiam acquiſivit? Reſtat igitur, ut a dignitate primi Rectoris, & Fundatoris repetas, cur ante Hieroſolymitanam Jacobi ſedem, & ante Epheſinam a Paulo fundatam Alexandrina, & Antiochena præeminentiæ honorem obtinuerint, eoquod ambæ hæ ſedes, & ſolæ quidem poſt Romanam ſingulariter Petri Authoritate gloriarentur. Hæc ſane vera eſt cauſa dignitatis illarum patriarchalium Sedium, ipſa ſcilicet Petri dignitas, qui illas tam fundavit, quam vel per ſe, vel ſuo nomine per alium gubernavit. Id niſi Anacleto credas, quod Patres noſtri crediderunt, ita ſcribenti *): „Secunda Sedes apud Alexan-„driam B. Petri nomine a Marco ejus diſcipulo conſecrata eſt. Tertia au-„tem Sedes apud Antiochiam ejusdem B. Petri Apoſtoli nomine habetur „honorabilis.“ Huic ni credas teſti, aliorum veterum teſtimonia apud Thomaſinum collecta reperies**), uti Ss. Chryſoſtomi, Nazianzeni, Innocentii, item Theodoreti, & Euſebii, qui potiſſimum eo diligentiam ſuam commendavit, quod Epiſcoporum, maxime illarum trium patriarchalium Sedium, perpetuam ſeriem contexuit.

§. 12.

Sed cum doctiſs. Selvaggio mihi piaculo ducerem, præclarum S. Leonis locum præterire, ubi Sedium Alexandrinæ, & Antiochenæ authoritatem a S. Petro defluxiſſe diſerte ſcribit ***): „Nihil Alexandrinæ Sedi „ejus, quam per S. Marcum Evangeliſtam, B. Petri diſcipulum meruit, „pereat dignitatis, nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente ſplen-„dor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque Ec-„cleſia tenebris obſcuretur alienis. Antiochena quoque Eccleſia, in qua „primum prædicante Apoſtolo Petro chriſtianum nomen exortum eſt, in „paternæ conſtitutionis ordine perſeveret, & in gradu tertio collocata num-„quam fiat inferior.“ Easdem Eccleſias ſuperiorem jurisdictionis authoritatem præ omnibus aliis inde a Petro traxiſſe Gregorius M. teſtatur, qui ſic ait ****): „Cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen Principatu ſola „Apoſtolorum Principis Sedes in Authoritate convaluit, quæ in tribus lo-„cis unius eſt. Ipſe enim ſublimavit Sedem, in qua etiam quieſcere, & „præſentem vitam finire dignatus eſt, ipſe decoravit Sedem, in quam „Evangeliſtam diſcipulum miſit: ipſe firmavit Sedem, in qua ſeptem annis, „quamvis diſceſſurus ſedit. Cum ergo unius, atque una ſit Sedes, cui ex „authoritate divina tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis

 „boni

*) Epiſt. 3. **) Verus, & nova Eccleſiæ diſciplina P. 1, l. 1, c. 7, & 8.
) Epiſt. 53. *) Lib. 6, epiſt. 37 ad Eulog. Alexand.

Digitized by Google

„boni audio, hoc mihi imputo.“ Porro ad eundem Eulogium Alexandrinum: *Ille mihi de Petri Cathedra locutus eſt, qui ſuper Petri Cathedram ſedet.* Denique rem omnem Hincmarus Rhemenſis paucis complectitur, dum Sedes Eccleſiarum, Romanæ, Alexandrinæ, & Antiochenæ idcirco *ſpeciales* Sedes vocat, *quoniam ſedes ſunt, quin potius una Sedes magni Petri Apoſtolorum Principis.* Videant jam noſtri Videntes in Iſrael, Archiepiſcopales adverſus Petri Sedem Curialiſtæ, vel illam primævam Patriarcharum authoritatem a S. Petro ſuam originem derivare, & Petrum pro fundamento habere. Unde ergo fons fictitiæ jurisdictionis, quam ab illa Petri *ſeparatam* noſtro ævo quidam ſibi vindicare nituntur? Si primitivam cupiunt diſciplinam reſtaurari, adeo nihil lucrantur, ut potius omnia perdant: ita enim oportebit Archiepiſcopos noſtros a Petro ſicut olim Marcum diſcipulum, & Petri legatum dependere, ut ne ſuo quidem, ſed Petri nomine jurisdictionem exerceant: noſtros dixi Archiepiſcopos, quorum tamen in eccleſiaſticis documentis multo reſtrictior, & inferior jurisdictio ſemper fuiſſe invenitur, ac antiquitus illa fuit *Patriarchalis,* quam in toto Occidente unica ſemper retinuit Romana Sedes. Noſtri hac ætate tam fervidi diſciplinæ veteris æmulatores putantne, inconſulto, aut plane invito Occidentis Patriarcha nationale concilium poſſe celebrari? Quænam pro hac ſua recentiſſima opinione ex priſco ævo exempla producent? Quid hoc aliud eſt, niſi ſeparatos habere conventus ſine legitimo Capite, hoc eſt, *Schiſmaticos*? Si lis eſt inter Nationis Germaniæ Præſules, & totius Eccleſiæ Caput: heu quam triſtis diſcordia! Heu quam triſtior exitus, ſi ſententiam ferre, quod Capitis eſt, neceſſe fuerit! *Quidquid Petrus ſuper terram ligaverit, erit ligatum & in cælis.*

§. 13.

Specialem adhuc attentionem meretur Romana Sedes, quam totius mundi primariam Apoſtolorum Princeps Petrus haud dubie divino conſilio ſibi elegit, & ſanguine ſuo fœcundavit. Roma tunc gentium univerſarum Caput fuerat, ibi ſedem ſuam erigere oportebat Caput Eccleſiæ, quæ reprobatis Judæis univerſas ſinu ſuo gentes complecteretur. Id more ſuo præclare S. Leo explanat *): „Cum duodecim Apoſtoli accepta per „Spiritum S. omnium locutione linguarum imbuendum Evangelio mundum „diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent; beatiſſimus Petrus Princeps „apoſtolici Ordinis ad arcem Romani deſtinatur Imperii, ut lex veritatis, „quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo Capite „per totum mundi corpus effunderet.“

§. 14.

*) Serm. 1 de natal. SS. Petri & Pauli.

Digitized by Google

§. 14.

Nec obſtat, Paulum quoque Romæ ſimul Apoſtolum, aut forte etiam Epiſcopum fuiſſe; ita enim Paulus, & Petrus Apoſtolorum Principes fuerant, ut tamen huic ſalva maneret ſua divinitus accepta, eaque ſuprema regiminis jurisdictio, utpote cui totum ovile paſcendum Domini voce commiſſum eſt: *Dei dona ſine pœnitentia ſunt.* Rom. XI. Quidquid itaque poteſtatis vel Paulo, vel aliis Apoſtolis ſit poſterius traditum, nihil Petro diminui potuit de clavium authoritate in univerſam Eccleſiam ſibi promiſſa, collataque. Claves cœlorum omnibus quoque Apoſtolis, imo toti Eccleſiæ fuiſſe datas cum quibusdam Patribus facile admittam, ſcilicet Apoſtolis per communicationem ſeu a Petro, ſeu certe ſub Petro, fidelibus vero univerſis non quidem pro uſu & adminiſtratione propria, ſed tantum pro communi omnium utilitate. Vide Art. 1, §. 3. Miror ſane plurimos noſtro tam illuſtrato ſeculo æquivocis vocibus tam libenter & ſibi, & aliis velle imponere.

§. 15.

Ut vero ad Petrum redeam, Simonem, vulgo Magum, Hæreſiarcham, & patrem omnium Hæreticorum, ut S. Irenæus ſcribit, oportuit per Eccleſiæ Principem non ſolum detegi, & damnari, ut patet ex Act. VIII, verùm etiam triumphari, & extinqui; quam glorioſiſſimam victoriam ſuper Simonem arte diabolica in aëra raptum Romæ ſolus per ſeipſum Petrus inſigni cum miraculo retulit. Hujus hiſtoriæ *γνησιοτητα* vir ſumma eruditione Mazochius ex veterum Patrum teſtimoniis quam invictiſſime demonſtravit. Vide Selvaggium *).

§. 16.

Denique ultimo loco memorabile eſt, quod antiquiſſimus liber a quodam fideliſſimo Petri diſcipulo conſcriptus ſub nomine *Prædicatio S Petri* teſtatur: cujus mentio ſit apud Clementem Alexandrinum, Origenem: Euſebium, & S. Hieronymum. Chriſtus digredienti Roma Petro ſub finem vitæ apparuit, qui cum divinum Magiſtrum cognoſceret, ex illo quæſivit: *Domine quo vadis*? At Chriſtus: *Vado Romam iterum crucifigi.* Unde vaticinium imminentis ſuæ mortis Petrus intellexit: nobis vero ex eo intelligendum eſt, quid Dominus ſignificare voluerit, cum ſe in Petro iterum crucifigi diceret. Quid? Niſi Petrum in terra ſuum eſſe Vicarium, ſibique fieri, quidquid Petro fieret. Cogitemus, ſicut antea Samueli a Domino dictum, eandem a Chriſto ſententiam in cœlis adverſus eos enunciari, qui

*) Antiqu. Chriſt. l. 1, p. 1, c. 3, excurſ. 1.

Digitized by Google

qui divinæ Petri authoritati ſeſe oppoſuerint: *Non te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* I. Reg. VIII, 7.

§. 17.

Quis ergo fuit Petrus? Ille *beatus* voce Domini prædicatus diſcipulus, qui ſpeciali divinæ inſpirationis gratia omnium Apoſtolorum primus naturalem Dei Filium agnovit, & confeſſus eſt; quem propterea Simonis nomine in Petri nomen mutato Dei Filius ceu *Petram*, & fundamentum ſuæ Eccleſiæ inſtituit a portis inferi numquam expugnandæ; cui Claves regni cœlorum cum omnis poteſtatis plenitudine *ſoli* promiſit, tradiditque Art. 1. §. 1. &c. Quis fuit Petrus? Ille inter Apoſtolos, quem omnibus congregatis Chriſtus *ſolum* compellavit, tamquam *omnium* contra diabolicas tentationes fulcrum; pro quo, ne umquam a fide deficeret, *ſolo* Deum Patrem rogavit; cui *totum* Apoſtolorum collegium in corpore tamquam Capiti ſubjecit, *ſoli* curam *omnium* imponens, fratres ſuos in fide confirmandi. Art. 1. §. 17. &c. Quis fuit Petrus? Ille univerſi gregis dominici Paſtor, qui propter fidei ſuæ firmitatem, & charitatis præcellentiam meruit, ut totum Chriſti ovile *paſcendum* ſibi ſoli committeretur; cujus vocem non oves tantum omnes, & ſingulæ, ſed & ipſi Paſtores ovium reverenter audire, eidemque obedientiam præſtare tenentur. Art. 2. §. 1. &c. Quis fuit Petrus? Ille Apoſtolorum Princeps, quem omnes Ss. Scriptores, tam Evangeliſtæ, quam ipſe Paulus ab Apoſtolis aliis utpote primarium ſollicite diſtinguunt, & conſtanter primo honoris loco memorant. Art 3. §. 1. &c. Quis fuit Petrus? Ille, in quo antiqui Patres, & Concilia non minus generalia, quam particularia unanimi conſenſu totius Eccleſiæ Fundamentum, regni cœleſtis Clavigerum, in terra *Plenipotentiarium*, Apoſtolorum Caput, univerſalem Chriſti fidelium Paſtorem, controverſiarum ſupremum Judicem, unitatis in fide Centrum, quo perfidia non poſſit acceſſum habere, agnoſcunt, & venerantur. Art. 1. §. 2. &c. Art. 2. §. 3. Item Reflex. critic. §. 18. Quis fuit Petrus? Ille, cujus non ſupremam modo, ſed & *illimitatam* regiminis Authoritatem S. Scriptura magnifice deſcribit; qui gloria revelationum, & miraculorum ſupra alios Apoſtolos ſingulariter eminuit, qui *per ſe ipſum* mandata Apoſtolis dedit; qui contra chriſtiani nominis adverſarios *ſolus* pugnavit omnibus Apoſtolis in ejus præſentia tacentibus, & ſententiam inconſultis aliis enunciavit; quo præſente aliorum Apoſtolatus quaſi ad tempus ceſſaſſe, & ſuſpendi videbatur. Art. 1. Art. 2. Art. 3. §. 4 &c. Quis fuit Petrus? Ille ſummus Chriſti Vicarius, qui velut antea divinus Magiſter inter ſuos diſcipulos, poſt illius mortem tanta fere Authoritate miraculis illuſtrata inter Apoſtolos præfulſit? Art. 3. §. 8. 11. 13. Quis fuit Petrus? Ille omnium, & ſingularum

ovium

ovium non ſupremus tantum, ſed & *immediatus*, ſeu *ordinarius* Paſtor, qui nullatenus veretur in meſſem aliorum Apoſtolorum, quaſi *aliena* eſſet, ſuas manus immittere, ſed univerſas, ubi ubi collectas, diſperſasve oves, ut *ſuas* reſpicit, & tranquillo tempore fideles viſitat *univerſos*, poteſtatis ſuæ illimitatæ memor, quam a Chriſto acceperat, *quæcumque*, prout viſum fuerit, ſolvendi, ligandive. Art. 3. §. 10. Quis fuit Petrus? Ille, cui Deus, & *ſoli* quidem revelavit, neminem amplius immundum dicere hominem, ſed tempus adeſſe, quo gentiles quoque regno cœlorum digni habeantur; ille divina Authoritate gentilium Eccleſiæ, quæ noſtra eſt, fundator, a quo oportet gentes verbum fidei audire, & credere; ille eſt, a quo reliqui *omnes* Apoſtoli non expectatis antea ipſorum votis præcipuam ſui apoſtolici muneris ſpartam debent addiſcere, gentilibus prædicandi. Art. 3. §. 12. Quis fuit Petrus? Ille apoſtolici conſeſſus Præſes, qui diſcuſſione rationum utrinque facta *ſolus* e medio aſſurgit, & omnibus jam ſilentibus ſententiam *irrefragabilem* enunciat; ad cujus Authoritatem poſtea Jacobus Apoſtolus provocat; cui una voce omnes Concilii aſſeſſores adſtipulantur. Art. 3. §. 17. &c. Quis fuit Petrus? Ille, ad quem ceu præcipuam, & fundamentalem columnam Eccleſiæ S. Paulus proficiſcitur, ſi non ab illo fidei doctrinam percepturus, ſaltem propriæ doctrinæ rationem illi redditurus. Art. 4. §. 15. 16. Quis porro fuit Petrus? Ille, in quo *uno* tota ſpiritualis jurisdictio fundata eſt, a cujus plenitudine poteſtatis quælibet ſingularis Epiſcopatus portio, teſte S. Cypriano, velut radius ex ſole promanat, velut ex arbore ramus dependet, velut rivulus ex fonte defluit. Append. §. 3. Quis fuit Petrus? ſupremus univerſæ Vertex, a quo jam inde a primæva antiquitate Alexandrina, & Antiochena Sedes ſupra omnes alias (tantum Romanam excipe) ſupra ipſam Jacobi, eamque matricem ſedem ſuæ Authoritatis prærogativam deſumſerant. Append. §. 10 &c. Quis fuit Petrus? Ille Romanæ Sedis Fundator, quam utpote omnium Nationum Caput divino certe Conſilio ſupremum Caput Eccleſiæ univerſas gentes comprehenſuræ ſibi elegit, ut lex veritatis inde ad ſalutem dominaretur, unde mendacii, & erroris dominium in gentes univerſas ad perniciem fuerat dilatatum. Append. §. 13 &c. Quis denique fuit Petrus? Ille ex Apoſtolorum choro *unice* electus, ut Sedis ſuæ ſingulari privilegio per continuam ſucceſſionis ſeriem ad nos uſque propagatam adhuc in moderno hujus ſedis hærede Pio VI vivat, & regnet, & *indefectibilitate* fidei divinitus obtenta hodiedum, & uſque ad mundi finem univerſos fratres in fide confirmet, id quod experientia XVIII ſeculorum demonſtrat, & ego dante Deo ex hiſtoria eccleſiaſtica amplius demonſtrabo. En tibi! hic hic — — — fuit! —Atque etiamnum eſt PETRUS

Digitized by Google

PARS II.

REFLEXIO CRITICA

In formam Regiminis eccleſiaſtici a Deo inſtitutam.

§. 1.

Mirum, hodiernis diebus inter Catholicos diſceptari, quam formam eccleſiaſtici regiminis Chriſtus inſtituerit: certe enim Deushomo elegit *optimam*: „Cum ſumma illum & cogitatione rerum, & bonitate præ„ſtare conſtet; viderit quidem neceſſe eſt, quod eſt, ſapientiæ delegerit„que, quod eſt bonitatis, *optimam*, præſtantiſſimamque adminiſtrandæ, re„gendæque Eccleſiæ rationem." Ita merito doctiſs. Mamachius *).

Deus enim, qui quamlibet aliam rem fini ſuo convenientiſſimam fecit, ſeu *optimam*, haud minorem ſane rationem habuit ſuæ Eccleſiæ ſibi pretioſiſſimæ, quam proprii filii ſui ſanguine acquiſivit.

§. 2.

Quis vero finis eſt regiminis in Eccleſia conſtituti ſi quæras, en tibi clariſſimam æque, ac certiſſimam reſponſionem ex divino eloquio, omniumque Catholicorum unanimi conſenſu, ut *unum* eſſet corpus omnium Chriſti fidelium. Jam non potes non agnoſcere finem regiminis in Eccleſia inſtituti: *Unitas eſt Corporis.* Poteſne adhuc de medio dubitare, eoque optimo? Tuum proprium corpus, quod *phyſicum* eſt, aliaque corpora, quæ *moralia* ſunt, interroga. Quid dicunt tibi? Quid? Niſi ut unum ſit corpus, medium aptiſſimum, optimumque: *Unitas eſt capitis.* Ubi ergo unum corpus, ibi unum caput, unus, isque ſupremus Regens, ſeu Imperans, verbo: *Monarcha.* Tune amplius de forma regiminis dubitas, eaque optima, hoc eſt, *Monarchica?*

§. 3.

Si in hac humana ratione, utut fere omnibus communi nondum ſatis fiduciæ ponis, en, quod majus eſt, divini verbi authoritatem? Chriſtus *unum* Simonem, quem & Petrum vocavit, ceu Eccleſiæ ſuæ fundamentum conſtituit; huic *uni* claves regni cœlorum promiſit, id eſt, ſupremam gubernandi poteſtatem, eamque illimitatam, ut poſſet *quæcunque* aut ligare,

aut

*) Orig. & antiq. Chriſt. tom. 5, part. 1, cap. 1.

aut ſolvere. Porro unum ſibi gregem fidelium Chriſtus elegit, unum voluit eſſe ſuum ovile, cui *unum* loco ſui Paſtorem præfecit, qui eſt Petrus. Denique ut una fides, quæ vera, & divina eſt, firmiter in Eccleſia conſervaretur, Chriſtus omnibus Apoſtolis in corpore congregatis *unum* præpoſuit Petrum, ceu caput, cui curam totius corporis impoſuit, omnes ſcilicet fratres in fide conſervandi, ſeu confirmandi. Hunc ergo, qui ſolus ſupremam, & illimitatam accepit poteſtatem, cui ſoli totum ovile ad paſcendum, ſive regendum eſt commiſſum, a quo ſolo ceteri in fide ſunt roborandi, ut firma permaneat, hunc tu adhuc dubitabis *unum Regentem*, eumque ſupremum, & univerſalem dicere, Monarcham?

§. 4.

Quam naturalis ſit, ſinceraque hæc noſtra S. Scripturæ interpretatio, vel ex ore acatholici viri, eruditione longe celeberrimi addiſce. Hugo Grotius eſt, qui ita ſcribit *): „Sicut exercitus, ſicut navis regi non po„teſt, niſi per gradus Præfectorum, qui gradus in *unum* deſinant, ita nec „Eccleſia. Etiamſi omnes, qui ſunt in Eccleſia, eſſent dilectione ſumma „præditi; tamen tali ordine eſſet opus. Deus non amat facere ſemper mi„racula, ſed ad res optimas, etiam *optimas* monſtravit vias, qualis eſt ad „unitatem Eccleſiæ certus ordo. Hic ordo quis eſſe deberet, monſtravit „*in Petro* Chriſtus: ei enim claves regni cœlorum dedit pro toto Collegio „tamquam Collegii Principi. Locus Cypriani, cujus particulam citat Ri„vetus, aperte dicit, quod volumus **). *Loquitur Dominus ad Petrum, „ego dico tibi: inquit, quia tu es Petrus, & ſuper illam Petram ædificabo „Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claves „regni cælorum, & quæ ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & „quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Et iterum idem „poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oves meas. Super illum unum ædi„ficat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oves."* Quod ille Acatholicus tam aperte in S. Scripturis, & SS. Patribus vidit, & ſincere faſſus eſt; id Febronius multo ſuo ſtudio non viderit? Aut forte iſidorianis Decretalibus etiam ipſe Hugo Grotius fuit deceptus? Næ! Sanctos Evangeliſtas principiis iſtarum Decretalium, adeo noſtris dilucularii maledictarum, jam occupatos fuiſſe dicendum eſt. Quis autem illos hiſce occupavit, quis tam *malitioſe*, ſi fides Febronio eſt, decepit? — —

*) In animad. Riveti. tom. 4. p. 641. edit. 1679.
**) Ita de Cypriano Grotius, & noſtri hodie Catholici?

Digitized by Google

§. 5.

Ita ſane antiquitus crediderunt, & locuti ſunt Patres noſtri, quos magno poſſem tibi numero compellare *). Nemo hactenus impune *monarchicum* Eccleſiæ regimen impugnare eſt auſus, quin a catholicæ fidei defenſoribus reprobatus fuerit, rejectusque. Id elapſo primum ſeculo expertus eſt Edmundus Richerius vel ipſius Sorbonæ decreto abjectus teſte Defenſore Declarationis Cleri Gallicani **). Hodiedum ita credunt, ita loquuntur omnes, quotquot Catholici, qui falſam vocem Febronii abominantur aſſerentis ***), *formam Eccleſiæ non eſſe monarchicam*. Item ****): „Nos dum in naturam Primatus ſollicite (etiamne ſincere?) inquirimus, „eam in ſtatu monarchico, hujusque juribus nullatenus deprehendimus: hunc „ſiquidem ſtatum ab Eccleſia penitus exulare — probavimus. (Ubi?) Sed „ne unicum quidem effectum juris *monarchici* in ſacro noſtro Primatu, qualis a Chriſto inſtitutus, & ante falſas decretales (equus arundineus Febronii) exercitus eſt, in Eccleſia deprehendi — demonſtrabimus." Apologiſta ejus, aut ſi malis, ſuus hoc punctum ut *fundamentale* reſpicit *****), *vere* monarchicam negans regiminis formam, quippe non *abſolute* monarchicam. Niſi aſtute duas res diverſas in unam confunderet Scriptor ille, a Duumviris inter Proteſtantes juriſperitos præſtantiſſimis errorem ſuum poſſet dedoceri, a Grotio ******), & Puffendorfio *******), qui ſatis adcuratum faciunt diſcrimen inter *abſolutam*, & ſimpliciter *ſummam*, quæ adhuc *vera* eſt, Monarchiam. Hæc eſt, ubi unus, & univerſalis, atque ſupremus in republica, etſi & ipſe certis regendi regulis adſtrictus, Imperans eſt, quem Galli *Souverain* nominant: illa adeſſe concipitur potius, quam revera inter homines adſit, dum ſupremus Imperans tam abſolutus eſt Dominus rerum, perſonarumque ſibi ſubditarum, ut pro ſolius voluntatis ſuæ liberrimo arbitrio diſponere omnia, quæ voluerit, de rebus, perſoniſve ſibi ſubditis poſſit, nulli alteri, quisquis ille fuerit, rationem redditurus. Enim vero hoc pleniſſimo ſenſu nullus in terris Monarcha datur præter ſolum Deum. Reges enim, & Principes noſtri non pro mero voluntatis ſuæ placito dominari in ſubditos poſſunt, ſed totius ſalus reipublicæ & ipſis norma debet eſſe, & regula, ad cujus obſervantiam obligati ſunt, etſi non ab hominibus, certe autem a Deo judicandi. Jus hoc abſolutum in Eccleſiam domi-

*) Vide Mamachii Orig. & antiq. Chriſt. tom. 5, cap. 1, §. 3, præcipue §. 5.
**) Defenſ. Decl. Conv. Cler. Gallic Part. 2, lib. 6, cap. 24.
) De Stat. Eccleſ. tom. 1, c. 1, § 5. *) Ibid. c. 2, §. 4.
*****) Ibid. tom. 2. Flores ſparſi §. 2. Hinc facile apparet, quid de toto Febroniano ædificio judicandum ſit, ſi tale eſt fundamentum.
******) De jure belli, & pacis l. 1, c. 3, §. 16.
*******) De jure naturæ, & gentium l. 7, c. 6, §. 7.

dominandi, prout placuerit, nemo Pontifici conceſſerit, ſed tantum cum dependentia a lege abſoluti Domini. prout decet Vicarium, & ſubmiſſione, non quidem erga hominum, attamen ergà Dei judicium. Hoc eſt, quod ſibi vult axioma Catholicorum ſaltem ſeculo jam quinto, adeoque ante Iſidori decretales in Eccleſia vulgatum, uti patet ex Symmachi P. cauſa; atque etiam faſſi ſunt Epiſcopi cum Proceribus Francorum in cauſa Leonis III: *Summa Sedes a nemine judicatur* *).

§. 6.

Sed & operæ pretium eſt, Gallorum hac ſuper re doctrinam, qua tam Febronius, quam noſtri Febroniani plenis buccis gloriantur, attentius nonnihil, & adcuratius perſcrutari. A duobus præcipuis Galliæ luminibus incipiam: primus, qui nos doceat, ſit S. Bernardus, vel apud ipſos adverſarios, prout videri volunt, æſtimandus. Sic autem loquitur **): „Tu es, „cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii cœli janito„res, & gregum Paſtores, ſed tu tanto glorioſius, quanto & differentius „utrumque præ ceteris nomen hæreditaſti: habent illi ſibi aſſignatos gre„ges, *ſinguli ſingulos*, tibi univerſi crediti, *uni unus*. — — Nonne ſi cauſa „extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu depo„nere, etiam & tradere Satanæ poteſt?“ Atque iterum ***): „Plenitudo „poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativa Sedi apoſto„licæ donata eſt. Qui igitur huic Poteſtati reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit. „Poteſt, ſi utile judicaverit, novos creare Epiſcopatus, ubi hactenus non „fuerunt, poteſt eos, qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ra„tio ſibi dictaverit, ita, ut de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & e „converſo, ſi neceſſe viſum fuerit.“ Nihil hic de meo addam.

§. 7.

Angelicus Doctor S. Thomas ita ſcribit ****): „Sicut in uno ſpeciali „populo unius Eccleſiæ requiritur unus Epiſcopus, qui ſit totius populi „Caput; ita in toto populo chriſtiano requiritur, quod unus ſit totius Ec„cleſiæ Caput. Item ad unitatem Eccleſiæ requiritur, quod omnes fideles „in fide conveniant. Circa vero ea, quæ fidei ſunt, contingit quæſtiones „moveri. Per diverſitatem autem ſententiarum divideretur Eccleſia, niſi in „unitate per *unius* ſententiam conſervaretur. Exigitur ergo ad unitatem „Eccleſiæ conſervandam, quod ſit unus, qui toti Eccleſiæ præſit. Mani-

 „feſtum

*) Vide Ludov. Thomaſſ. in Concil. Diſſert. 15.
) Ad Eugen. de conſid. l. 2, c. 8. *) Epiſt. 131.
****) Cont. gent. lib. 4, cap. 76.

„feſtum eſt autem quod Chriſtus Eccleſiæ in neceſſariis non defecit, quam „dilexit, & pro ea ſanguinem ſuum fudit. — Non eſt igitur dubitandum, quin „ex ordinatione Chriſti *unus* toti Eccleſiæ præſit. Ad hæc nulli dubium „eſſe debet, quin Eccleſiæ regimen ſit *optime* ordinatum, utpote per eum „diſpoſitum, per quem Reges regnant, & legum Conditores juſta decer„nunt. Optimum autem regimen multitudinis eſt, ut regatur *per unum*, „quod patet ex fine regiminis, qui eſt pax. Pax enim, & unitatis ſubdi„torum eſt finis regentis. Unitatis autem congruentior cauſa eſt *unus*, quam „*multi*. Manifeſtum eſt igitur, regimen Eccleſiæ ſic eſſe diſpoſitum, ut „*unus* toti Eccleſiæ præſit.“ Itane etiam & traditioni conformiter Concilii Conſtantienſis decreta ſeſs. 4 & 5? Si tamen hæc decreta extra ſchiſmatis tempus de certo, & indubitato Papa intelligenda forent. Sed amplius eundem S. Thomam audiamus ad ipſorum adeo Græcorum doctrinam provocantem *): „Habetur ex Græcorum Doctorum Authoritatibus, quod Ro„manus Pontifex habeat in Eccleſia plenitudinem Poteſtatis. Dicit Cyril„lus Patriarcha Alexandrinus in loco Theſaurorum: *Sicut Chriſtus accepit* „*a Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem princi-* „*patum, & poteſtatem, ſuper omne, quodcunque* eſt, ut ei cuncta curven„tur; ſic & Petro, & ejus ſucceſſoribus pleniſſimam Poteſtatem pleniſſime „commiſit; uti etiam nulli alii, quam Petro Chriſtus, quod ſuum eſt, *ple-* „*num* ipſi *ſoli* dedit.“ Num etiam Græci Doctores, num ipſe Cyrillus Alexandrinus quinto Eccleſiæ ſeculo decepti jam fuerant falſis Iſidori decretalibus? Februniani reſpondeant!

§. 8.

Ad primarium noſtrorum Ciſalpinorum Anteſignanum, Pontificiæ Authoritatis haud ſane adulatorem, ad Pariſienſis Univerſitatis celeberrimum Cancellarium, quem Conſtantienſis Concilii animam jure dixeris, ad Gerſonium tranſeamus. Ita docet **): „Status Papalis eſt inſtitutus a Chriſto „ſupernaturaliter, & immediate tanquam Primatum habens *monarchicum*, „& *regalem* in eccleſiaſtica Hierarchia — quem ſtatum quisquis impugna„re, vel diminuere, vel alicui eccleſiaſtico ſtatui coæquare præſumit, ſi „hoc pertinaciter faciat, *hæreticus* eſt, *ſchiſmaticus*, *impius*, atque *ſacrile-* „*gus*. Cadit enim in hæreſin toties expreſſe damnatam a principio naſcen„tis Eccleſiæ, usque hodie, tam *per inſtitutionem Chriſti*, *quam per tradi-* „*tionem totius Eccleſiæ* in ſacris eloquiis ſuis, & generalibus Conciliis.“ Hoc loco prævie Gerſonius explicare videtur, quod poſtea Florentini Patres

*) Cont. errores Græcorum c. 32. **) De ſtatu Eccleſiæ Conſid. 1.

Digitized by Google

tres definierunt, *Petro gubernandi univerſam Eccleſiam a Domino plenam poteſtatem traditam fuiſſe*, in confirmationem addentes, *quemadmodum etiam in geſtis Conciliorum œcumenicorum*, *&* *SS. Canonibus continetur.* Patres non ſimpliciter dicunt *quemadmodum*, quaſi reſtrictive, ſed confirmative, *quemadmodum etiam* καθ' ὃν τροπον και.

§. 9.

De epiſcopali quoque jurisdictione dignus eſt, qui audiatur Gerſonius *): „Status prælationis epiſcopalis in Eccleſia quoad ſui collationem „primariam fuit immediate a Chriſto datus primis Apoſtolis, ſicut ſtatus „papalis Petro: licet poſtmodum talis collatio fieri potuit, & facta ſit in „ſucceſſoribus per homines." Porro de uſu, & exercitio poteſtatis epiſcopalis ita ſe exprimit **): „Status prælationis epiſcopalis habuit in Apo„ſtolis, & ſucceſſoribus uſum, vel exercitium ſuæ poteſtatis *ſub Papa Petro*, „*&* *Succeſſoribus ejus*, tamquam ſub habente, vel habentibus *plenitudinem* „*fontalem* epiſcopalis Authoritatis. Unde & quoad talia minores Prælati, „ſcilicet curati ſubſunt Epiſcopis, a quibus uſus ſuæ poteſtatis quandoque „limitatur, vel arcetur. *Et ſic* a Papa fieri poſſe circa Prælatos majores „ex certis, & rationabilibus cauſis non eſt ambigendum.„ Atque iterum „alibi, ***): Status epiſcopalis *quoad* acquiſitionem iſti perſonæ, & quoad „exercitium ſubeſt rationabili Papæ voluntati ad utilitatem Eccleſiæ. — Nul„lam aliam politiam inſtituit Chriſtus *immutabiliter monarchicam*, & quo„dammodo regalem, niſi Eccleſiam. Et oppoſitum ſentientes in Eccleſia, „quod fas eſt, eſſe plures Papas, aut quod quilibet Epiſcopus eſt in ſua „Diœceſi Papa, vel Paſtor *ſupremus*, æqualis Papæ Romano, *errant in fide*, „*&* *unitate Eccleſiæ*. — Et ſi pertinaces maneant, judicandi ſunt *hæretici*, „ſicut Marſilius de Padua, & quidem alii." Ita Patres noſtri conſtanter, etiam Concilii conſtantienſis tempore crediderunt. Quid ad hæc, & ſimilia Febronii Apologiſta? Reſponſum dat cordato viro indignum, quod vel adduxiſſe jam refutaſſe eſt. Sic habet ****): "Si crude omnino, genera„raliter, & prout ſonant, accipi velint Gerſonis verba; prudenter (impru„denter) dici poteſt, eum non loqui ex fonte juris eccleſiaſtici, & plena „notione Ordinis epiſcopalis, ſed animo quodam præoccupato ex uſu, & „diſciplina." Qualis hæc reſponſio viri ad tuendam opinionis ſuæ novitatem Gerſonii authoritatem implorantis, nunc autem eamdem, ubi ſibi contrariam videt, vilipendentis! Quid ſentiendum de illis, qui homines appellant, queis ipſi fidem non tribuunt? Si vel Gerſonius a falſis præjudiciis

*) Conſid. 2. **) Conſid. 3. ***) De auferibilitate Papæ, Conſid. 8.
****) De ſtatu Eccleſ. tom. 2. Apol. p. 282.

ciis liber non extitit Febronianorum judicio, dicant aperte, quod ſentiunt, totam Chriſti Eccleſiam errore fuiſſe involutam, atque a primæva fide defeciſſe. Reſpondeant mihi cum doctiſs. Authore *de duabus Poteſtatibus* *) ex illis quærenti, ubinam ergo eccleſiaſticam illius temporis doctrinam de re tam gravi, qualis eſt papalis, & epiſcopalis poteſtas, quærere debeamus, niſi apud Catholicos minime Pontifici addictos? An forte apud Huſſitas? — Sed videant, quomodo illis Concilium conſtantienſe patrocinetur, cujus tamen patrocinio gloriantur.

§. 10.

Cum Magiſtro ſuo Gerſonio conſtanter ſenſit Univerſitas Pariſienſis, quam Febronius pariter, ceu doctrinæ ſuæ patronam invocat. Anno 1542 Facultas theologica contra Lutheri errores ita ſe declaravit **): „Nec „minus certum eſt, *unum* eſſe jure divino ſummum in Eccleſia chriſtiana „militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.“ Eamdem doctrinam poſtea in cenſuris pluries repetitis tradidit. Anno 1617 Marci Antonii de Dominis doctrinam, omnes Apoſtolos poteſtate æquales fuiſſe, tamquam hæreticam, & ſchiſmaticam rejecit, eo ſenſu, quo intelligitur de *jurisdictione apoſtolica ordinaria*, *quæ in ſolo divo Petro ſubſiſtebat*. Notandum hic, quod Pariſienſis Facultas jurisdictionem Apoſtolorum per univerſum orbem *extraordinariam*, ſcilicet pro neceſſitate illius temporis judicaverit, ſolius autem Petri *ordinariam*, quæ hodiedum Petri Succeſſoris jurisdictio eſt, *apoſtolica*, eaque *ordinaria*. Ejusdem Antonii aliam propoſitionem, qua negavit, quod Chriſtus immediate formam *monarchicam* inſtituerit, celeberrima Facultas ſequenti cenſura repudiavit ***): „Hæc „propoſitio eſt hæretica, ſchiſmatica, Ordinis hierarchici ſubverſiva, & pa„cis Eccleſiæ perturbativa. Quem Primatum (NB. *formæ monarchicæ*) quis„quis impugnare &c.“ Sequuntur verba formalia Gerſonii ſupra §. 8. relata, ibi meam deſuper vide animadverſionem. Nonne pœniteat noſtros Febronianos ad gallicanas ſententias adpellaſſe?

§. 11.

Unum ex præcipuis Galliæ Prælatis, M. Boſſuetum audiamus adulationis erga Papam haud merito ſuſpectum, immo vel ab ipſis adverſariis admodum commendatum, qui in ſermone coram cenventu Cleri gallicani habito ita peroras ****): „Roma, ut eſſet Caput Religionis, prædeſtinata, vel

*) De l'Authorité des deux Puiſſances, tom. 2, p. 248.
) Vide d'Argentré Collect. jud. tom. 1, part. 2. *) Apud d'Argentré l. c.
****) Serm. ſur l'Unité de l'Egliſe.

„vel ideo propria Petri Eccleſia debebat fieri: ſic ſtabilita, fixaque Romæ „S. Petri *æterna* Cathedra. Hæc eſt Romana Eccleſia, quæ per S. Petrum, „ejusque Succeſſores inſtructa nullam noſcit hæreſin. — Ita ſemper virgo „eſt Romana Eccleſia, & fides Romana ſemper Eccleſiæ fides eſt. Semper „creditur, quod olim creditum fuit. Vox eadem ubique reſonat, & Pe„trus manet in ſuis Succeſſoribus fundamentum fidelium. Jeſus Chriſtus „hoc dixit: Cœlum, & terra citius, quam ejus verbum tranſibunt." Si Romana fides ſemper Eccleſiæ fides eſt, quis illam dicere fallibilem audeat? Quid juvat infallibilem dicere per accedentem Eccleſiæ conſenſum, cum neceſſe ſit ex Verbo Dei hunc conſenſum accedere? Si fundamentum Petrus eſt, quis dicat Petrum a fidelibus poſſe reformari? Nonne hoc pacto fideles forent Petri fundamentum, utpote qui ab illis in fide confirmaretur? De Boſſueto ſpeciali diſquiſitione, ſi Deus dederit, hoc adhuc anno diſſeram, an Declarationis Cleri gallicani famoſa Defenſio ſub nomine tanti Viri edita ab ipſo Authore ſit.

§. 12.

Præclariſſimum Petrum de Marca Febronius adpellat. Sic autem Præſul ille Pariſienſis, etſi libertatum Gallicanarum defenſor docet *): „Cum „Eccleſia gallicana inter præcipua, & illuſtria Eccleſiæ univerſalis membra „cenſeatur, totius vero Corporis Caput in Eccleſia Romana ſit conſtitutum, „fieri non poteſt, ut veræ Eccleſiæ *libertatibus* fruatur, niſi Capitis hujus „*Communioni* inſerta ſit. Retineri autem illam Communioni non poſſe, ni „officiis illis Caput excolatur, quæ principatui Apoſtolicæ Sedis debentur, „nemo ſanus umquam negaverit. Docendum itaque eſt, Gallos ab illis „Eccleſiæ primordiis uſque ad noſtram ætatem, & Communioni Eccleſia„ſticæ originem in Cathedra Petri conſtituiſſe, & *ſupremam* Eccleſiæ Au„thoritatem huic Sedi collatam ſemper coluiſſe, NB. juxta varios illos „gradus, quibus eam pro bono publicæ diſciplinæ, temporis ratione habita „Pontifices Romani explicare conſueverunt." Præclare idem Præſul ſcri„bit **): „Commune hoc officium Communionis cum Eccleſia Romana, „cui impendendo cum ceteris Provinciis Gallia adſtringitur, cognoverat „ante omnes vetuſtiſſimus ille Lugdunenſium Antiſtes Irenæus, qui unus „ſcripſit, quod omnes ſentiebant, *ad Romanam Eccleſiam propter potentio„rem Principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam;* quaſi diceret „juxta *ſinceriorem* illorum verborum interpretationem, eam eſſe vim unitatis,

*) Concord. Sacerd. & Imp. lib. 1, cap. 2. **) Ibid. L. 1, c. 1.

„tatis, quæ principatum, & originem a Petri Sede trahit, ut cum ea ſen-„tiendi *neceſſitatem* ceteris imponat.“ Ita S. Irenæus ex ſinceriore interpretatione, ut de Marca teſtatur; & fides Petri *reformabilis*, aut *fallibilis* ſit, cum qua convenire *neceſſe eſt*? Quo modo *reformabilis* poſſit eſſe judex, cum quo *neceſſario* ſentiendum eſt? Datur & alius Petri de Marca locus hodiernis noſtris Canoniſtis ſumme notabilis, ubi ita ait *): „In ſeptima „Synodo primatus Romani Pontificis emicuit: & enim non ſolius *conſeſſus* **) „prærogativa, dignitasque Sedis Apoſtolicæ, ſed etiam *ſumma* illa autho-„ritas admiſſa eſt, quæ conventibus eccleſiaſticis *Concilii æcumenici robur* „conferre debeat.“ Si in ſynodo univerſim jam recepta, eaque græca hoc agnitum, Papæ non tantum prærogativam conſeſſus convenire. ſed ſummam Authoritatem, quæ Conciliis œcumenicis ſuum robur det; quis eſt Catholicorum, qui neget ipſis Conciliis Papam eſſe ſuperiorem? Ceterum non nego Petrum de Marca etiam talia ſcripſiſſe, quæ Pontificiis Juribus iniqua ſunt, quippe qui tam Regi, quam Papæ placere voluit. At Deo ſit laus, pœnitentem habemus, & confitentem, ſiquidem teſte Stephano Balutio ***) ultimum opus ſuum paulo ante mortem edidit pro aſſerenda Papæ infallibilitate in fidei quæſtionibus decernendis. Quid? quod & publico inſtrumento coram Notario, & teſtibus anno 1677, die 19 Auguſti omnia revocavit, quæ in præjudicium ſupremæ Jurisdictionis Pontificiæ, & immunitatis eccleſiaſticæ ſcripſerat. Cum tum multi ſint hodie, qui Petrum & Febronium ſecuti ſunt peccantes; quid eſt, quod tam pauci ſequantur pœnitentes??

§. 13.

Denique inter primarios Galliæ Theologos celeberr. P. Natalis Alexander loquatur, qui tam fortis eſt divinum Petrum Primatum contra hæreticos defendendo; quam infirmus ſacra jura hujus primatus inter Orthodoxos deprimendo. Dogmaticam is tractans quæſtionem multis probat Eccleſiæ regimen ex inſtitutione Chriſti eſſe *monarchicum* ****): 1mo, quia *optima* regiminis forma eſt monarchica, omnibus aliis antecellens ipſa natura teſte, quæ unum Regem apibus, gregibus Ducem, armentis unum Rectorem præficit: ipſo etiam naturæ Authore id demonſtrante, qui in cœleſtibus Hierarchiis unum Angelum conſtituit ceterorum Ducem, ac Præſidem. 2do, quia in Eccleſia veteris Teſtamenti ab Aarone unus ſemper ſummus Pontifex præfuit, ſeu ſacerdotum Princeps, idque ex divinæ legis

*) Ibid. l. 5, c. 14.
**) Ita habet editio Neapolitana A. 1771, alibi loco *conſeſſus* legitur *conſenſus*.
***) In vita Petri de Marca n. 26.
****) Hiſt. eccleſ. Sec. I, Diſſert. 4, §. 1.

gis decreto Deut. XVII. Cum vetus Synagoga fuerit Eccleſiæ Chriſti figura; ratio poſtulat, ut, ſicut in illa præter Deum inviſibilem ſemper unum fuerat caput viſibile, ita & in hac præter Chriſtum adhuc alius, & aſpectabilis eſſet Rector, *NB.* ne ſocietas Miniſtrorum V. T. magis ordinata, perfectaque, quam N. T. Miniſtrorum, prout revera foret, cenſeretur. 3*tio*, Idem probatur ex ſimilitudinibus, quibus in S. Scripturis deſignatur Eccleſia. Dicitur caſtrorum acies ordinata: atqui in acie ordinata præter inferiores ordinis Duces *unus* debet eſſe ſupremus Imperator. Eccleſia navis eſt, in qua per Baptiſmum ſalvamur: atqui *unus* Nauclerus, qui ſingulis nautis ſua munia præſcribat, navi præeſſe debet. Eccleſia ovile eſt; numquid vero in ovili præter minores opiliones non eſt aliquis *ſummus* Paſtor, cujus eſt univerſim oves regere? Eccleſia domus eſt: nonne vero *unus* Dominus, aut fidelis, & prudens Oeconomus domui præeſt, qualem Chriſtus in Petro ſignificavit? Demum Eccleſia *unum* Corpus eſt: quemadmodum igitur in membrorum multitudine Caput *unicum* datur, cujus eſt ſingula membra, & totum corpus dirigere; ita in Eccleſia Chriſti *unum* Caput ſupremum eſſe oportet.

§. 14.

Dum alibi Natalis Alexander Pontificiam Poteſtatem deprimit, & Eccleſiam eſſe ſupra Papam contendit; ipſe viderit, quomodo ſecum ſe conciliet. Quid reſpondere poſſet, ſi quæreres, an Chriſtus *optimam* regiminis formam, quæ ipſo Natali teſte *monarchica* eſt, vere inſtituerit? Aut an *perfectior* Ordo inter Sacerdotes Synagogæ, quam Eccleſiæ a Deo fuerit conſtitutus? An caſtrorum acies ſuum Imperatorem ſaltem *collecta* regere poſſit? An nautæ, ſi *ſimul omnes*, ſint ſuo Nauclero ſuperiores? An ovium turma *univerſa* viam ſuo Paſtori oſtendere poſſit, & præſcribere? An domus incolæ *omnes* authoritate prævaleant Domino, vel ejus Vicario? An corporis *totius*, ſive membrorum *univerſim* ſit caput ſuum dirigere? An non denique ædificium ſuam firmitatem a fundamento habere debeat? Cur enim, & ad quid Chriſtus præ aliis Apoſtolis Petrum Eccleſiæ fundamentum eſſe voluit, ſi ipſe ab Eccleſia firmandus eſt? Nonne ita quilibet alius homo, ne dicam Apoſtolus, firmus in fide ſtat, ſi ab Eccleſia fulcitur? Nonne in eodem ſenſu quilibet alius Apoſtolus Eccleſiæ fundamentum dici poterat, & reipſa fuerat? Cur Chriſtus ſingulariter ad Petrum dixit, ab ipſo in fide confirmandos eſſe Apoſtolos *NB.* tunc in Corpore collectos: *Confirma fratres tuos*? Cur non inverſo ſermone ad Corpus Apoſtolorum dixit: *Vos confirmate Simonem veſtrum fratrem*? Nonne ineptus, ſibique repugnans ſermo fuiſſet, ſi Chriſtus Apoſtolis dixiſſet: *Vos Petrum, qui veſtrum fundamentum eſt, confirmate*? Anne hic

Digitized by Google

hic ſermo ſine blaſphemia Chriſto affingi poſſet? Nonne ergo ſaltem idem ſenſus apertiſſime falſus eſt? Præterea, ſi Romana Eccleſia Mater, & Magiſtra veritatis eſt, ut omnes Catholici ex ore plurimorum Conciliorum profitentur; ſi ad hanc Eccleſiam propter ſuam principalitatem Doctore S. Irenæo neceſſe eſt omnibus convenire fidelibus; fierine poteſt, ut errorem doceat, & accedente conſenſu Eccleſiarum *indigeat*, cum iſtæ diſſentire *non poſſint*, ſi catholicæ maneant? Fierine poteſt, ut pontificia definitio, ſi in ſe fallibilis ſit, interno mentis aſſenſu tamquam veritas divinæ fidei credatur, quod tamen vel ipſi Galliæ Doctores, quin & Epiſcopi in cauſa Janſenianæ hæreſis confeſſi ſunt, homini catholico eſſe neceſſarium? Si dogma fidei non alia ſit authoritate, quam per *univerſalem* Eccleſiarum conſenſum; nonne ſic impoſſibile eſt dogma fidei definiri, ſi una, alterave, aut plures Eccleſiæ particulares in errorem incidant, quod jam tempore S. Cypriani factum; imo ſi totæ regiones, aut amplior mundi pars a fide deficiant, quod triſti Orientalium & Græcorum ſchiſmate jam contigit, vel ante alterum Chriſti adventum adhuc continget? Ubinam in ſimili caſu infallibile judicium? In Eccleſia univerſali? Hujus autem conſenſus non adeſt, ſi, ut ponitur, particulares Eccleſiæ diſſentiant. Quis eſt ergo judex, qui particularem Eccleſiam erroris, aut hæreſis ream damnare, præſumat, ſi nulla ſit fidei certitudo, niſi per *univerſalem* Eccleſiarum conſenſum? Fingas, ſi velis, pluralitatem Eccleſiarum recte credentium; ubinam vero ſcriptum eſt, traditumve numerum majorem particularium Eccleſiarum a fide non poſſe deficere? Forte quod tu ponis fieri non poſſe, actu jam eſt factum, aut fiet poſtea. Numquid rogavit Chriſtus Deum Patrem, ne *plurium* Eccleſiarum fides deficiat? Nonne *tantum* rogavit pro Petri fide indefectibili? Quid? Si in tua hypotheſi Pontifex erraret, majorque pars Eccleſiarum ab illo diſſentiret; hæccine major pars, corpus capite truncatum, corpus Chriſti foret, qui unum inſtituit corpus cum *uno* Capite conjunctum, unam ædificavit domum *a fundamento ſuo*, quod Petrus eſt, inſeparabilem? Nonne adverſus Chriſtum blaſphemaret, qui diceret, ab eo ita improvide inſtitutam fuiſſe Eccleſiam, ut in confuſione quaſi babylonica fuerit relicta? Hiſce reſpondeant; ſi poſſint, Pontificiæ Præeminentiæ adverſarii! Nos ſimpliculi Verbo Dei credimus; *Fiat unum ovile, & unus Paſtor.* quod idem eſt, ac *unus Regens.*

§. 15.

Plurimi adhuc forent celebres ex Gallia Theologi, atque Juriſconſulti, quorum egregia teſtimonia pro *monarchica* Pontificis poteſtate poſſem producere, niſi brevitati ſtuderem. Siquis illa pro hiſtoria potiſſimum litte-

litteraria noſſe deſideret; adire poterit Petrum Ballerinium *): item librum gallice ſcriptum *de duabus Poteſtatibus* **): præcipue autem anonimi Authoris doctiſſimi opus Faventiæ A. 1779 editum, cui integer tractatus *de Iſidorianis decretalibus* eruditione præſtans annexus eſt ***). Unicum tamen, idque decretorium gallicanæ doctrinæ teſtimonium non poſſunt non adhuc commemorare, unde manifeſte apparebit, quid vel ipſi Galli de Baſileenſibus decretis contra Summi Pontificis Authoritatem ſenſerint. A. 1441 Caroli VII Francorum Regis nomine ad Eugenium IV legatus Meldenſis Epiſcopus Petrus, prout in mandatis habuit, poſt ſeriam conſultationem Prælatorum, aliorumque multorum Regni ſapientum peroravit, quod documentum integrum dat Reinaldus ****). Ante omnia Eugenium Papam, ceu alterum Petrum *naufragoſo ſchiſmate* periclitantis navis Patronum invocat, tum vero ita pergit: „Nam tuum Principatum *monarchicum* eſſe „a Deo, nedum ſecundum communem univerſi providentiam, ſed etiam „ſpeciali inſtitutione inter opera Reſtaurationis mundi a Chriſto inſtitutum, „teque vera, legitimaque ſucceſſione illum poſſidere palam recognoſcimus, „& confitemur. Ipſam Poteſtatem *monarchicam* ſupprimere conati ſunt „Baſileenſes, & nimio fervore reſiſtendi ad hanc veſaniam devenerunt, „quod *ſupremam* Poteſtatem in uno ſuppoſito conſiſtere denegant, ſed etiam „in multitudine, quæ cito in diverſa ſcinditur, collocant, & ſic pulcherri„mam *Monarchiam* Eccleſiæ, quæ Chriſtianos hucusque tenuit in unitate „fidei, in una profeſſione Religionis chriſtianæ, in uno ritu Sacra„mentorum, in una obſervantia mandatorum, in eisdem cæremoniis „divini cultus, atque pacem, & tranquillitatem aſſeruit, nunc abolere, & „ſupprimere contendunt, nobiliſſimam politiam, quæ beatitudinem cœleſtem „habet pro fine, ad *Democraticam*, vel *Ariſtocraticam* redigentes. — — „Hoc animadvertens præfatus chriſtianiſſimus Rex Franciæ vehementi do„lore ingemiſcit, & condolens Eccleſiæ remedia ubique perquirit. Conci„lium olim Baſileenſe veritatem de ſuprema Poteſtate *in uno* extinguere „pertentavit. Concilium autem Florentinum hanc veritatem bene quidem „lucidavit, ut patet in decreto Græcorum.“ Tunc ad conterendam obſti„natorum pertinaciam, non quaſi ex rei ipſius neceſſitate ſuadet Pontifici „novum univerſale Concilium, „quod ad relevandum ſummæ Sedis, & Cu„riæ Authoritatem a Papa rite celebretur, reguletur, & modificetur ſecun„dum mores Patrum, & antiquorum Conciliorum, ubi non audiantur tu-

 „multuoſi

*) De vi, ac ratione Primatus R. P. cap. 14. §. 2 &c.

**) De l'Authorité des deux Puiſſances tom. 2. cap. 2. art. 4.

***) Romani Pontificis ſumma Authoritas, jus, & præſtantia. lib. 2 per totum.

****) Ad an. 1441 ex Codice Vaticano 4177.

„multuoſi clamores.“ Sicut antea in Conventu Conſtantienſi, & Baſileenſi factum.

Porro Meldenſis Epiſcopus affert exemplum Dathan, Core & Abiron, „qui nolentes obedire Aaron ſummo Sacerdote dicebant, *omnis multitudo* „*Sanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus*, & non attendebant ad Moyſen „clamantem pro obedientia, & eam ſuperexaltantem, dum eis diceret, „*quid eſt Aaron, quid eſt Aaron, ut murmuretis contra eum!* Ideo in exemplum, & „terrorem omnium inobedientium terra ipſos vivos abſorbuit. Itaque omnis „multitudo, quæ Dei legibus frenatur, *Monarchiam*, tamquam legationem „Dei omnipotentis pro obedientia complectitur, & veneratur, & maxime „*in ſpiritualibus.* — Quid quæſo magis poſſet in perpetuitatem ſchismatis „tendere, quam *Monarchiam* Eccleſiæ, quæ Chriſtianos tenuit in unitate, „tollere, & abolere; quam Authoritatem *ſupremam* multitudini, quæ cito „ſcinditur, tribuere; quam poteſtatem judicandi ſuperiores inferioribus „dare? Et ſic de multis aliis, quæ in practica, & doctrina Baſileenſium „concurrunt, quibus ſemel junctis, & ſtantibus non eſt pax in Eccleſia „Dei poſſibilis. — — Hæc autem dicta ſunt in publico, ut omnibus in„noteſcat pia, & ſancta Regis noſtri chriſtianiſſimi intentio. Non enim in „hac cauſa adhæret carni, & ſanguini, ſed tantummodo revelationes Dei „Patris, qui in cœlis eſt, ſequitur, ſecundum quas revelationes, prout ad „eum pervenerunt per doctrinam Sanctorum, & Eccleſiæ, Te ſummum „Pontificem, Te Principem Eccleſiæ, Te Vicarium Chriſti recolit, & ve„neratur.“ Si hodierni Galli Conſtantienſibus, & Baſileenſibus decretis quaſi extra ſchiſmatis tempus valituris applaudunt; nonne vel hoc teſtimonio Præſulum ſuorum convincuntur, a fide Patrum ſe diſcedere, & jam in via novitatis, ſeu quod idem eſt, erroris incedere? At enimvero abſit hoc de Galliæ Clero credere! Alia illius & geſta, & dicta ante oculos habemus.

EXCURSUS I.

In doctrinam Gallicanam de ſuperioritate Conciliorum, & libertatibus, quas prætendunt, particularibus.

§. I.

Quid vero ad hoc gallicanæ Nationis teſtimonium, quod ſane decretorium eſt, Defenſor Declarationis gallicanæ reſpondet? Poteſtne negare, quod Odoricus Reinaldus voluit, Monarchiam, id eſt, *ſupremam in uno*

Digitized by Google

uno poteſtatem, adeoque *ſupra univerſam Eccleſiam* ſive diſperſam, ſive congregatam a gallicana Præſulum legatione fuiſſe agnitam, defenſamque? Quisquis fuerit Defenſor ille, ipſus fatetur *), „eccleſiaſticam Monarchiam „tamquam pacis, unitatisque conciliatricem ab *omnibus catbolicis*, præſertim „vero Pariſienſibus Theologis laudari.“ Habemus ergo jam vel ab ipſo adverſario *catbolicam* Gallorum confeſſionem de Monarchia eccleſiaſtica. Senſum autem genuinum hujus confeſſionis in ſua Reſponſione miſere detorquet, quaſi *ſumma ipſa* cum Pariſienſium. recentiore doctrina conveniret. Expreſſe enim a Petro Gallorum Legato talis Monarchia defenditur, quæ eſt *ſuprema in uno* poteſtas, & non in multitudine, id eſt, conſenſu plurium. Itane Pariſienſes Doctores? Expreſſe iterum Baſileenſibus objicitur, quod *Monarcbiam* abolere conati fuerint, & *Ariſtocratiam* introducere in multitudine Præſulum *ſupremam* poteſtatem ponendo. Quid eſt hoc, niſi ipſa Pariſienſium doctrina, in *concilio Præſulum ſupremam eſſe poteſtatem*? Hinc etiam manifeſte elucet, in illa gallicana Legatione non tantum *poſteriora*, ſed etiam *priora* Concilii Baſileenſis fuiſſe rejecta, quia vel initium & totum fundamentum Baſileenſium fuit, ut verbo Legati utar, *ea inſania*, qua ſupremam authoritatem non *in uno ſolo*, ſed *in multitudine* collocarunt. Hanc eamdem cum Baſileenſibus doctrinam eſſe Pariſienſium Scriptor ille in tota Reſponſione ſua ad Petri Meldenſis Epiſcopi Legationem caute, veriùs autem callide diſſimulat, quaſi ſicut ſermo Petri tantum de *moderato uſu* ſupremæ Poteſtatis Pontificiæ tractabat; ita etiam, & non alia, doctrina foret Declarationis gallicanæ quæ tamen Pontifici ipſam *ſupremam poteſtatem* ſatis clare Propoſ. 2 & 4 negavit, & *irreformabilem* Authoritatem in Concilio œcumenico, proh pudor! etiam a Papa diviſo conſtituit. Hic verus eſt quæſtionis, & controverſiæ ſtatus, quem ille aſtute hoc loco abſcondere ſtudet, cum tamen alibi noſtræ ſententiæ Patronis audacter imputet, ab ipſis ſtatum quæſtionis inverti. Reliqua, quæ adhuc reſpondet, tam infirma ſunt, ut prudenter contemnantur; ridicula forent, ſi tantæ rei gravitas riſum indulgeret: fingit enim politicam artem in Meldenſi Epiſcopo, & Galliæ Legato, qui ad reſtaurationem ſalutis a Chriſto factam, & non ad carnis vel ſanguinis reſpectum, ſed ad Revelationes Dei Patris, ad traditionem Sanctorum, & Eccleſiæ, ad finem beatitudinis cœleſtis provocat. Item voculas *nunc & olim* contra manifeſtum contextus ſenſum ridicule ad ea detorquet, quæ perſuadere vult. Ita totus ille liber aut falſitatibus hiſtoricis, aut artificioſis veritatis detorſionibus plenus eſt. Authorem interim Pſeudo-Boſſuetum dicam, dante Deo autem oſtendam.

§. 2.

*) Defenſ. Decl. gall. P. 2. l. 6. c. 16.

Google

§. 2.

Quid ergo, inquies, duorum Conciliorum generalium, Conſtantienſis, & Baſileenſis decreta fidei, item celeberrima Cleri gallicani declaratio erroris arguantur? Verbo tibi dicam, decreta illa utriusque Concilii jam ſua in radice eſſe vitiata, nec ab Eccleſia catholica pro œcumenicis aut *conciliaribus* umquam fuiſſe admiſſa, ſed a Pontificibus rejecta, neque ab ipſis Gallis pro fidei dogmate agnoſci, neque demum extra ſchiſmatis tempus ullum habere poſſe valorem, quippe quæ aperte nimis contra S. Scripturæ veritatem, & contra totius eccleſiaſticæ antiquitatis traditionem pugnant. Ceterum jam non eſt locus (erit autem ſuo forſan tempore) hanc materiam denſiſſimis ſpinis involutam adcuratius diſcutiendi. Quod vero ad famoſam ſpectat Cleri gallicani Declarationem, qua ſummum Pontificem generalibus Conciliis *inferiorem* eſſe aſſeritur, ejusque judicium in fidei quæſtionibus non *irreformabile*, niſi ſaltem per accedentem Eccleſiæ conſenſum; reſpondeo nihil nos quidem hac particulari & catholicæ Eccleſiæ ſenſui contraria Declaratione moveri: argumentum ſiquidem nihil probant, & Authoritas deeſt. 1mo enim illa Gallorum quorumdam Præſulum Declaratio apud nos Germanos communi Doctorum calculo usque ad noviſſimos vix amplius viginti annos fuit rejecta. In Hiſpania vero ab officio Inquiſitionis anno 1683, die 10 Julii decretum fuit emiſſum, quo aſſertio hæc: *Concilium eſt ſupra Papam*, erronea, & ſchiſmatica declaratur. Item Archiepiſcopus Strigonienſis, & Regni Hungarici Primas Georgius dictus Zelepechimus per litteras enclyclicas ad univerſos Chriſti fideles in Ungaria exiſtentes anno 1686, die 24 Octobr. Declarationis gallicanæ propoſitiones, ut *abſurdas, & plane deteſtabiles, a Satanæ miniſtris diſſeminatas* abjecit, proſcripſitque; easdem Epiſcopi confutarunt, & cenſuris confixerunt. 2do, Summi etiam Pontifices, Innocentius XI, ejusque Succeſſor Alexander VIII, & Innocentius XII Comitia hæc a Clero gallicanò annò 1682 habita reprobarunt. 3^tio^, Ea ipſa demum internis, externisque laborant vitiis: pugnant enim contra conſtantem ipſius Eccleſiæ gallicanæ doctrinam, quæ adhuc ſeculo XVII viguit, uti patet ex edicto, quod in conventu de anno 1626 editum, & ad omnes Regni Epiſcopos fuit directum, ubi Papa expreſſis verbis dicitur *Eccleſiæ univerſalis Caput viſibile, Deique in terris Vicarius, Epiſcopus Epiſcoporum, & Patriarcha Patriarcharum. Succeſſor Petri — ſuper quem Chriſtus Eccleſiam ſuam fundavit, quando illi claves regni cælorum, atque infallibilitatis donum in cauſis fidei reliquit.* Ejusdem ſeculi dimidio idem adhuc teſtabantur Galliæ Præſules in duabus litteris ad Innocentium X datis, in quarum una legitur, *in Sede apoſtolica fidem Petri numquam deficere:* in altera vero hæc: *Judicia pro ſancienda regula fidei a ſummis Pontificibus lata ſuper Epiſcoporum conſultatione divina æque, ac ſumma*

Digitized by Google

ma per univerſam Eccleſiam Authoritate niti. Interim quis crederet? poſt paucos annos inter Papam, & Regem excitata gravi diſſenſione non plures, quam 34 Epiſcopi in Comitiis, non in quodam nationali Concilio congregantur, aliis, qui jure ſuffragii potiebantur, in re tanti momenti nequidem vocatis. Ubique exilia perſonant, ſpolia contra illos intentantur, qui jam præordinata declarare recuſent, & ſic ſine votorum libertate, vi & metu Declaratio extorquetur. Poſtea quoque Academiæ Pariſienſi violentia infertur, ita ut Senatu incaſſum convocato, & turbis inter Doctores excitatis, illorum conſenſu non exſpectato Notarius juſſus ſit academicæ tabulæ Declarationem affigere. Non multo tamen poſtea illi ipſi Præſules, inter quos M. Boſſuetus, pœnitentia ducti anno 1692 ad Innocentium XII litteras dederunt, quibus conteſtati ſunt, ſe ex animo dolere, & ultra id, ac dici poſſit, quod in Comitiis ſtatuta fecerint, quæ Sanctitati Suæ diſplicerent, adeo, ut ipſimet, quæcumque in ſuis Comitiis ſive circa eccleſiaſticam Poteſtatem, & Pontificis Authoritatem, ſive in præjudicium jurium Eccleſiarum decreta ſint, pro non decretis haberent, ſerio inſuper ſpondentes, ita in poſterum ſe geſſuros, ut nihil penitus de vera ſua erga ſummam Sedem obedientia deſiderandum ſuperſit. Ipſe adeo Rex Ludovicus XIV eidem Innocentio XII reſcripſit, ſe velle edictum, quo hæc Comitia confirmaverat, revocare, ut omni jam effectu careat. *)

§. 3.

Siquis ex recentioribus Galliæ Comitiis de *Pontificia*, & *Epiſcopali* poteſtate doctrinam velit addiſcere; talia nobis offert eximius Florentiæ Archiepiſcopus, nomine Franciſcus Cajetanus Icontri, ex quibus duo tantum producam præclaris laudibus celebranda. Prima ſunt Comitia A. 1685 habita, in quibus de Romano Pontifice hæc proferuntur: „Caput eſt Ec„cleſiæ, & Centrum unitatis. Obtinet ille in nos Primatum authoritatis, „& jurisdictionis ſibi a Chriſto in perſona S. Petri collatam. Qui ab hac „veritate diſſentiret, ſchiſmaticus, imo hæreticus eſſet.“ Longe alia hæc Gallorum doctrina, quam Febronii. Secunda extraordinarie celebrata Comitia hæc fuere de anno 1728, quæ de epiſcopali Poteſtate ita ſtatuunt: „Jeſus Chriſtus ipſe *ſua inſtitutione* limites præſcripſit huic Poteſtati, quam „ſubjecit Sedi Petri, in qua poſuit plenitudinem apoſtolicæ Poteſtatis.“ Ceterum ſupra Cleri gallicani Authoritatem plurimum nobis prævalet univerſæ Eccleſiæ Authoritas, quæ poſt illa duo Concilia, ſcilicet Conſtantienſe, & Baſileenſe quam firmiſſime Poteſtatis Pontificiæ *plenitudinem*, atque

*) Graveſon Tom. 8. fol. 49.

atque *ſuperemineutiam* ſtabilivit; in Florentino primum Concilio, ubi definitum fuit *): „Romano Pontifici in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi *univerſam* Eccleſiam a Domino *plenam* poteſtatem traditam fuiſſe, quemadmodum *etiam* in geſtis Conciliorum œcumenicorum, & SS. „Canonibus continetur.“ Particula *etiam*, ſive *&*, quæ hoc loco eumdem ſenſum dat, manifeſte denotat, hanc clauſulam in confirmationem Pontificiæ Authoritatis ex antiquis Eccleſiæ documentis, non vero ad ejusdem reſtrictionem fuiſſe adjectam. Quomodo enim per œcumenica Concilia ipſe Eugenius IV in Florentino præſidens intellexerit Conſtantienſe, & Baſileenſe, quæ a ſe ipſo adeo pro œcumenicis agnita non fuerant, ut etiam expreſſe rejecta; tantum ea ſi excipias, quæ in Conſtantienſi contra Hæreticos unanimi Præſulum conſenſu, nempe *conciliariter*, acta Martinus V approbaverat? Præterea ſi Patres Florentini Pontificis poteſtatem ex antiqua doctrina SS. Conciliorum, & Canonum *reſtrictam* judicaſſent, & ſibi ipſis in eadem ſententia contradixiſſent, & nobis impoſuiſſent, (quod nefas cogitatu) *plenam* vocando Pontificis poteſtatem gubernandi *univerſam* Eccleſiam. Concilium autem Lateranenſe V clariſſime declaravit **): *Romanum Pontificem Authoritatem ſuper omnia Concilia habere.*

§. 4.

Haud ſane inutile fuerit, ipſorum etiam Græcorum de Pontificia Authoritate confeſſionem percipere. Beſſarion Patriarcha Conſtantinopolitanus antea Græcorum ſchismate involutus, in Synodo vero Florentina errorem ſuum dedoctus epiſtolam encyclicam ad omnes ſui Patriarchatus Archiepiſcopos dedit hujus tenoris: „Si Doctorum noſtrorum libros evolveritis, invenietis Romanam Eccleſiam ſupra ceteras omnes poteſtatem habere, & ita „*univerſæ* præeſſe Eccleſiæ, ut absque ejus authoritate nulla prorſus eccleſiaſtica quæſtio ſolvi, nullum dogma concludi poſſit, aut debeat. — Hæc „eſt, quæ fidem Petri tenet, & prædicat: hæc ſola eſt, adverſus quam portæ inferi non prævalebunt.“ Alter Græcus, qui pariter Florentiæ Concilio interfuit Joſephus Methonenſis Epiſcopus in Reſponſione ad libellum Marci Epheſini cum ita alloquitur: „A te porro emendari Romanam Eccleſiam nil opus erat. Nam illa cunctarum eſt gubernatrix Eccleſiarum, & „ægrotantibus Eccleſiis peritiſſime medetur, cum poteſtatem a Chriſto accepit „regendi alias, & gubernandi, non ut ipſa confirmetur ab aliis. Et tu, „inquit Salvator ad Petrum, aliquando converſus confirma fratres tuos: „non dixit, *confirmare* a fratribus tuis, ſed *confirma*.“ Ita vel græci Doctores cum latinis conveniunt in textu hoc interpretando. Revera autem

facer

*) Seſſ. 25. **) Seſſ. 10.

Digitized by Google

ſacer textus in alium ſenſum ſine manifeſta vi, vel fraude detorqueri nequit. O ſi plerique Doctorum noſtrorum voluntatem non haberent, ſed tantum intellectum; per caput hoc meum cœlum obteſtor, non unum fore aliquem, cui divina ad Petrum eloquia ſatis clara non forent, ut adeo naturalem noſtram, & communem interpretationem inficiaretur. Ah! Sublimis illa cogitatio Paſchalis, gallici Scriptoris hic mihi in memoriam recurrit *): *Veritas ſat luminis habet, ut cum ratione cor bonum credat: ſat obſcuritatis, ut malum cor voluntario prætextu excæcetur.*

§. 5.

Hac forſan occaſione moleſtam mihi, & odioſam plane quæſtionem facies, quid ergo *de libertatibus* Eccleſiarum particularium ſit ſentiendum, quas Galli adeo æſtimant, ut non niſi pro vita, & ſanguine darent? Scio, quantum humanis auribus blandiatur captioſum illud nomen *libertas*, quo multi adeo decipiuntur, ut falſæ libertatis prætextu a via veritatis, & ſalutis aberrent. Si tu mihi particularium Eccleſiarum certa, quæ gratiarum ſunt, privilegia, aut ſtabilitas inter ſe invicem prærogativas, aut publica pacta, & Concordata cum Supremo Eccleſiæ Rectore inita, atque ab eodem confirmata libertates nomines; ego quidem proprio nomine illa potius dicerem, id quod revera ſunt, ſcapham enim oportet ſcapham vocari; attamen res illas omnes probo, ſeu privilegia ſint, ſeu prærogativæ, ſeu demum pacta, & Concordata; omnia illa ſalva ſint, & integra maneant. Verum enimvero non hoc eſt, quod nomine prætenſæ libertatis adverſus Papam ſolet intelligi. Antequam hac de re meam ego dicam ſententiam, velim tu mihi reſpondeas, quid de exemtione ab obedientia cuicumque legitimo Superiori præſtanda tute ſentias? Si illam quibusdam in caſibus licitam putes; nonne ſaltem fundamentum firmum requires hujus exemtionis? Quid tu cogitares de ſubdito *generatim* quidem obedientiam ſuo Principi præclaris verbis ſpondente, *in ſpecie* vero mandata Principis, niſi placeant, prætextu libertatis recuſante? Edic porro, an humanum valere poſſit quodcumque privilegium ſe eximendi ab obedientia ſupremo Capiti ab ipſo Deo *immediate* inſtituto debita? Edant Galli, ſi poſſunt, libertatum ſuarum legitimam authoritatem, quarum vel notionem claram, & conſtantem dare nequeunt, hinc merito reformidant. Ego vero pauca nunc de putatitiæ ipſorum *libertatis* notione, origine, & authoritate, idem extenſione, ac demum utilitate dicam.

 §. 6.

*) Penſées ſur la Religion, Chap. 18.

§. 6.

Inprimis quidem ſi apud ipſos Gallos decantatæ ſuæ libertatis definitionem claram, & completam requiras, e. g. apud Renatum Chopinum *a*), Guidonem Coquillæum *b*), Chryſtophorum Juſtellum *c*), Petrum etiam de Marca *d*), aliosque, tam parum inde luminis hauries, ut natura & indoles hujus libertatis, quæ antea latebat, jam ſtudioſius tibi occultata videatur. Jacobus Leſchaſſerius in Senatu Pariſienſi Præſidens tractatum edidit *adverſus omnes exigentes, ut Franciæ judices libertatum ſuarum notitiam exponant, & authoritatem aſſignent*: quo pariter ſcripto Gallis inſinuat, ſe non teneri ad moleſtas ejusmodi quæſtiones reſpondere. Communior tamen Gallorum doctrina videtur cum illa Petri de Marca convenire *): *Vera & genuina definitio hujus libertatis ex ſenſu Eccleſiæ gallicanæ eſt uſus antiqui juris communis*. Obſcuritatem, ſeu notionis claræ defectum vel ipſe de Marca hoc loco inſpexit: hinc addidit, aliud eſſe jus commune *antiquiſſimum*, quod aliquos Canones, & decreta Pontificum complectitur; aliud jus *antiquum* commune, quod illis ipſis Canonibus, atque etiam decretalibus Pontificum recentioribus conſtat, prout in Gallia uſu recepto temperatæ ſunt: hoc *ultimo* jure ait libertates ſuas contineri. Mihi vero eadem adhuc caligo præ oculis eſſe videtur. Uſus receptus Canonum ipſa ſit Gallorum libertas? Si id de libertate ab antiquis Canonibus pro tua Patria non datis, aut in ea nunquam receptis, & Superiore quidem conſentiente intelligas; tecum ſentio. Hinc Galli antiquorum Canonum collectiones e. g. Apoſtolorum, Dionyſianam, Iſidorianam, Gratianam, aliasve merito poterant recuſare, aut pro ſuo juris uſu temperare. At contra, ſi legem ſpectes actualem, & recentiorem, cujus proin antea uſus non erat, poſtea tamen uſu receptam; tunc hunc receptæ legis uſum vocabis *libertatem?* Ego ſane non aliter poſſum nominare, quam continuatam fideliter legis obſervantiam, ſive *obedientiam*. Dic, obſecro! cum recentior lex quædam apud Gallos reciperetur; ſane uſus antiquior, utpote novæ legi contrarius, non poterat cauſſa eſſe hujus receptionis: quænam ergo fuit cauſſa? An denuo Gallorum libertas, an legis ipſius obligatio? Si primum; non ergo *uſus* eſt, quo Gallorum libertas nititur, ſed propria illorum vel utendi lege, vel non utendi *voluntas*. Quam miſera hæc libertas omnibus peccatoribus communis! Sin vero alterum; ergo quod falſo Galli libertatem vocant, vera eſt legis obligatio; ergo, hodiedum tanta eſt vis novæ legis ad obligandum Gallos, ſicut olim ipſorum Patres ad obediendum ſe crediderunt obligatos.

Eccur

a) De ſeculi Politia. *b*) Inſtit. tit. *de jure regio.* *c*) Epiſt. ad Leſchaſſer. *d*) Concord. inter Sacerd. & Imper.

*) Conc. l. 3. c. 1.

Eccur enim hodie minus ſit authoritatis in Petri Vicario, quam antiquitus? Illa antiquiſſima ſaltem Pontificum decreta vim legis ſua ex origine habuiſſe, vel ipſi Galli teſtantur. Quid eſt, quod temporis lapſu pontificia authoritas perdiderit? Antiquus uſus, inquies, fortiſſima Gallis lex eſt, quæ novis decretis prævalet. Bene iam nunc quidem loqueris *legem* vocando antiquum morem, quem antea perperam *libertatem* vocaſti: eſt enim libertas naturali ſua ſignificatione non lex, ſed immunitas a lege. Satis interim de improprio ſermone; nunc de infirmis fundamentis gallicanæ libertatis.

§. 7.

De origine, & authoritate libertatis gallicanæ ſi quæras; ſunt, qui cum Fleurio exiſtiment, ne quidem nomen illius ante Seculum XIII notum fuiſſe. Equidem Petrus de Marca contendit *), praxin gallicanæ libertatis nova decreta eccleſiaſtica examinandi, admittendi, rejiciendi, temperandi antiquiſſimam eſſe, ejusque primum exemplum ad Seculum V refert. Verum Author Operis *de libertatibus Eccleſiæ gallicanæ*, qui fuiſſe creditur P. Antonius Charlas S. J. invictis rationibus Marcam confutavit, oſtenditque, prætenſas libertates initio Seculi XIV originem traxiſſe a magno illo diſſidio inter Papam Bonifacium VIII, & Regem Philippum pulchrum; porro incrementum accepiſſe a triſtiſſimo ſchiſmate ejusdem ſeculi, uſque ad Gallorum pragmaticam ſanctionem, veluti theſaurum, & promtuarium Galliæ libertatum. Harum itaque vel ipſa origo vitiata fuit: ut enim duobus verbis omnia complectar, ex una parte fuit Principium in jura eccleſiaſtica invaſio; ex altera parte Sacerdotum erga Principes adulatio, utpote quibus magis cordi fuerat ſtudium data occaſione ſe amplificandi, quam firma obedientia, eaque aliquoties duriore, quod non diffiteor, centro unitatis adhærendi. O utinam turbidis illis temporibus ſubordinati Eccleſiæ Paſtores juſta, & æqua ſibi levamina, non autem etiam iniqua, & impoſſibilia obtentu petiiſſent! Utinam obedientiæ magis memores, quam independentiæ ſtudioſi ſeſe uni ſupremo totius corporis Capiti æquiparare, atque etiam præferre, & ſic ordinem pro unitatis bono a Deo inſtitutum magno diſſenſionis ſcandalo pervertere non attentaſſent!

§. 8.

Quænam vero Authoritas eſt, qua Gallorum prætenſa libertas nitatur? Mirum! ſi Petro de Marca credimus, vel ipſa hæc Pontificia Authoritas

 eſt,

*) Concord. l. 2. c. 17.

eſt, ita enim loquitur *): „Eccleſiæ Gallicanæ libertatem *antiquitus* eo præ-„cipue fundamento niti, ut *ſupremam* Apoſtolicæ Sedis Autoritatem & „profiteatur, & omnibus officiis colat." Hæc ſane teſte de Macra antiquitus Gallorum gloria fuerit, uti revera fuit, Apoſtolicæ Sedis *ſupremam* Authoritatem agnoviſſe, & omnibus debitæ ſubmiſſionis officiis coluiſſe. Hæc inquam antiqua ſubmiſſionis gloria Gallis debetur. Agnita enim Papæ ſuprema Authoritas fundamentum erat antiquitus glorioſæ ſubmiſſionis. Sed pro dedecus! De eo jam quæritur, unde *recentior* Gallorum erga Authoritatem Apoſtolicam non ſubmiſſionis immo & renitentiæ libertas? Heu quantum ab illa antiqua gloria ſupremam Papæ Authoritatem omnibus officiis colentium, diſtat recentior quorumdam Gallorum gloriatio ſummi Pontificis Authoritatem infra ſubditos deprimentium! Non ergo, ut fucum vult facere de Marca, Pontificia Authoritas, ſed potius Pontificiæ Authoritatis depreſſio primum eſt jactatæ libertatis fundamentum. Sed & ipſe Petrus de Marca ſincerius adhuc mentem ſuam aperit, ubi ait **): „Supereſt, ut alterum „non minoris momenti fundamentum aggrediamur, quod in *ſuprema* Regis „chriſtianiſſimi per Gallias Authoritate ſitum eſt." Fateantur tantum, quod diffiteri non amplius poſſunt, Gallicani illi Doctores, ſe Eccleſiam ſuam, ne ſerva Papæ videretur, ſervam Regis, immo non tam Regis, quam Parlamenti effeciſſe. Qui ferat hoc catholica auris, ubi de Regimine eccleſiaſtico divinitus inſtituto, ſive de Apoſtolico animarum Paſtoratu ſermo eſt, Regis politici *ſupremam* dici Authoritatem! Hanc Eccleſiæ gallicanæ duram ſervitutem, quam falſo nomine libertatem vocant, avertat Deus a Germanis noſtris; ne ignominioſe ambianti! Antiqua Patriæ gloria nobis maneat, *regnum obedientiæ* eſſe erga Chriſti Vicarium; non illam Gallis invedeamus, *regnum obedientiæ* eſſe erga Chriſti Vicarium; non illam Gallis invideamus, *regnum* dici *libertatis*. Numquid enim non vera eſt deſcriptio hujus fictitiæ libertatis, quam gallicus Author fecit illam vocando ***) *oppreſſionem jurisdictionis eccleſiaſticæ a laica, & depreſſionem Authoritatis Romani Pontificis a Clero gallicano*?

§. 9.

Cum prætenſa contra ſummum Pontificem libertas aperte nimium omni authoritate externa deſtituatur; hinc plerique illius Patroni interno illam niti fundamento contendunt; antiquo ſcilicet more, & uſu recepto. Hanc libertatem magno verborum adparatu commendant, hanc omni jure Eccleſiis particularibus convenire volunt, quæ eſt libertas, *veterem Canonum, aut conſuetudinis diſciplinam contra Pontificias innovationes ſervandi.* Ipſam

*) Conc. l. 4. c. 2. n. 1. **) Conc. l. 2. c. 1.
***) De libert. Eccleſ. gallic. lib. 1. cap. 13.

Digitized by Google

Ipſam hanc utut ſpecioſam aſſertionem *in theſi*, ſive generaliter falſam eſſe, facile demonſtravero. Notum quippe omnibus eſt, qui vel a limine legisprudentiæ ſtudium ſalutarunt, eam debere eſſe rationem ſicut legum civilium, ita Canonum quoque eccleſiaſticorum, ut perſonis, locis & temporibus ſint conformes; adeoque pro diverſis circumſtantiis perſonarum, locorum, & maxime temporum leges quoque eſſe variandas, atque hinc antiquas cedere recentioribus debere. Nonne enim cum primi Canones ſtatuerentur, circumſtantiis illorum temporum fuerunt accommodati? His ergo immutatis nonne & illos mutari oportet? Aut num eadem non amplius authoritas Eccleſiæ eſt pro diſciplina canones ſtatuendi, ſicut olim fuerat quarto præcipue, & quinto ſeculo? Numquid non Canones antiqui (quod dolendum) per ſolam non obſervantiam uti in Gallia, ita & in Germania fere omnes jam aboliti? Si vel per ſubditos potuerunt aboleri, cur a Superiore, ſi expediens fore judicet, non poſſint? Heu quantum hodiernæ libertates, quæ prætenduntur, ab antiquis Canonibus diſtant! De conſuetudine quid dicam? Nonne omnis conſuetudo etiam bona expreſſæ legi Imperantis cedere debet? Quid vero, ſi plerumque malæ ſint, non bonæ conſuetudines, quæ per nova decreta emendantur? Quodſi Eccleſiis liceat conſuetudinis prætextu pontificia decreta in irritum mittere; nonne idem licitum eſt quoad epiſcopalia? Quid ergo ſi Parochi, immo ſi & laici contra Epiſcopi ſui diœceſana ſtatuta conſuetudinis ſuæ libertatem prætenderent? Ex his abunde patet, *in theſi* falſam eſſe eam aſſertionem, quæ in veteri uſu ſubditorum jus agnoſcat contra Superioris recentiorem legem excipiendi. De uſibus vero quibusdam in *hypoteſi*, ſeu plane ſingularibus ſi loquamur, quorum mutatio cum *notabili* jactura, vel forte ſcandalo conjuncta eſſet; haud negaverim hos manuteneri poſſe, immo & debere, *NB.* ſalva tamen debita Superiori reverentia. Hinc ne tum quidem audacter, aut proterve contra Legiſlatorem licet reniti; ſed ea, qua par eſt, ſubmiſſione eidem motiva in contrarium ſunt exponenda, atque etiam illius adhuc judicio ſtandum, ſi majus bonum *generale* minori bono *particulari* præferendum judicaverit. Non eſt, cur multum huic regulæ immorer; ſatis eam Curialiſtæ Archi-vel Epiſcopales norunt, ſiquis inferior Paſtor audeat illis reſiſtere. Pone pontificiam legem in particularibus Eccleſiis adhuc epiſcopali *Placeto* indigere; nonne ſequeretur, quemlibet particularem Epiſcopum, quippe qui Papæ ſententiam ſaltem pro ſua Eccleſia dijudicare, eamdem approbare, vel rejicere poſſet, ipſo Pontifice eſſe, in ſua Diœceſi ſuperiorem? Quid, ſi hoc Parochus contra epiſcopale decretum ſua in Parochia attentaret? Quænam tunc unitas ſeu in particularibus Eccleſiis, ſeu in univerſali?

§. 10.

§. 10.

Multas adhuc gratias Petro de Marca debemus, qui extenſionem prætenſarum Galliæ libertatum ſincere nobis, & aperte declaravit inquiens *): *Libertates perinde tuemur, ſi de Concilii generalis novis decretis, ac ſi de Romani Pontificis conſtitutionibus agatur.* Ex quo apparet, Gallos quosdam tam firmiter, verius dicas, tam perfracte ſuis libertatibus plane fictitiis adhærere, ut ne generalis quidem Concilii velint Authoritati aſſurgere. Quam tamen ſic dictam libertatem nolis credere penes Epiſcopos eſſe, ſed penes regios Magiſtratus. Servi ſunt illi, iſti Domini. Hinc factum, ut Concilii Tridentini Canones ad diſciplinam ſpectantes in particularibus Galliæ Eccleſiis valorem non haberent, niſi poſtea primum per accedentem *regiam*, ſeu *Parlamenti* adprobationem. Quanta ergo inſcitia, vel malevolentia in pleriſque noſtris eſt canonici juris, ut dici volunt, Reformatoribus, qui toties decantatas Galliæ libertates Pontificiæ potius, quam totius Eccleſiæ Authoritati ſolent opponere! Eccleſiaſticas leges, æque *Conciliares* ac *Pontificias* Galli ſuæ regiæ Authoritati, quæ potiſſimum in Parlamento reſidet, ſubmittunt. Sive Papa infallibilis ſit, ſive non; vel Superior Conciliis, vel inferior; nihil hoc ad prætenſas pertinet libertates, vel ipſo iterum de Marca l. c. fatente. „Non eſt, quod hæreamus in ea regula, quæ „Romanis ſtomachum movet, & quæ rebus noſtris non proſpicit, ut par „eſt. Fruatur ſummus Pontifex æquo jure cum Conciliis generalibus, aut „ſuperiori. Illud unum in foro expendetur, an nova Conſtitutio, vel novum Re„ſcriptum rebus Gallicis conſultat, vel noceat.“ Nulla eſt igitur apud Gallos ullius Poteſtatis eccleſiaſticæ attentio, ſi nova lex utilitati prophanæ, & caducæ proficua a Regis Magiſtratu non cenſeatur, utpote cujus in rebus etiam eccleſiaſticis ſuprema eſt Authoritas. Mala quidem omnino, & contra Eccleſiæ libertatem a Chriſto donatam *theoretica* hæc doctrina eſt; ſed & in laudem celebratiſſimi Cleri Galliæ fatendum, longe meliorem ejusdem *practicam* eſſe, id quod omni fere ævo Gallia promta ſua erga ſummam, & apoſtolicam Sedem obedientia fecit manifeſtum.

§. 11.

Ut demum etiam de gallicanæ libertatis utilitate pauca dicamus; fructus ejusdem eſt a ſuavi jugo Eccleſiæ exemtio, ſed ſub longe graviori onere ſecularis dominationis oppreſſio. Enimvero in Gallia Magiſtratus laici rerum, & negotiorum eccleſiaſticorum fere omnium ſibi judicium arrogant ſub prætextu conſervandæ libertatis, corrigendi abuſus, tuendæ poſſeſſionis, &

*) Conc. l. 3. c. 7.

Digitized by Google

& ſimilium. Res eo devenit, ut Clerus fuerit coactus gravamina ſua Regi præſentare dicendo *): „Gallicana Eccleſia, o Rex! a tuis judicibus in „ſuis libertatibus non levamen, protectionem & fructum retulit, ſed op„preſſionem & incommoda." Hæc fuit æqua licet, luctuoſa tamen merces, quam, ut ſuis obſecundarent figmentis, gallicani quondam Præſules retulerunt, nulla ipſis accedente utilitate, quin ſuborto inclitæ Nationi magno dedecore, & ſummo tam particularis ſuæ, quam univerſæ Eccleſiæ diſpendio. Ut enim Scriptor quidam pereruditus ait, ſupremo fideſium Paſtori, & Chriſti Vicario veſtem detrahere conati ſunt pretioſiſſimam, nempe ſupereminentiam jurisdictionis, & inerrantiæ, pro qua, ut integra maneret, & ſplendida, tot illorum Prædeceſſores virtute, & ſcientia ſpectatiſſimi pro viribus deſudarunt. Longe aliam, eamque veram, ac multo meliorem Eccleſiæ libertatem, præ recentioribus Gallis agnoverunt Sancti quidam Angliæ Præſules, quam cum Apoſtolica Sede filiali obedientia conjuncti glorioſiſſime uſque ad exilium, & ſanguinem propugnarunt. — Sed neque Galliæ deſunt exempta optimorum Præſulum — neque etiam deſunt, ne hodiernis quidem diebus, Germaniæ noſtræ. — Æquum nunc judicium ferri poterit, quid de particularium Eccleſiarum libertatibus adeo noſtris diebus deprædicatis ſit ſentiendum. Non ſatis ego quidem mirari poſſum, & dolere, Scriptores germanos, qui tanto amaritudinis zelo æſtuant adverſus exemtionem ab ordinaria poteſtate Archi- vel Epiſcoporum, etiamſi legitima Authoritate ſuffultam; tanto in contrarium fervore defendere ænigmaticam, neſcias quam, particularium Eccleſiarum libertatem, ſive quod idem eſt, exemtionem ab obedientia ſupremo Pontifici, totius Eccleſiæ Capiti, & Chriſti in univerſa terra Vicario præſtanda, atque ab omnibus, quotquot publico Eccleſiæ miniſterio adſcripti ſunt, ſolemniter jurata. —

§. 12.

Antequam finem huic cum Gallis diſceptationi faciam; haud abs re fuerit magni momenti Reflexionem ex doctiſs. Petitdidier hoc loco deſcribere; eſt autem hæc **): „Quod omnes Ss. Patres, omnes Authores ec„cleſiaſtici, & omnes ſcholaſtici Doctores, qui de primatu Papæ, ejusdem „abſoluta Authoritate in Eccleſia, & infallibilitate ſcripſerunt, hæc privilegia „Petri in vulgatis textibus S. Evangelii fundata exiſtimaverint: *Tu eſt „Petrus &c. Ego rogavi pro te &c. Paſce oves meas.* Sive enim ex„preſſe

*) Cahier du Clergé preſenté au Roi. Ao. 1614.
**) Traité theolog. Chap. 13.

L

„preſſe hos textus allegarunt, ſive ſi minus expreſſe, eosdem ſaltem aper-
„te ſuppoſuerunt, & per ea, quæ dixerant, clare inſinuarunt. Illi non
„particulares ſunt Patres, quibus alii contradixerint, Non ſimpliciter doc-
„trina eſt unius, aut duorum ſeculorum, ſed in una ſerie omnium; non
„tantum occidentalis Eccleſiæ, verum etiam orientalis. Æque Græci, ac
„Latini hac ſuper re ſeſe explicarunt in Conciliis etiam univerſalibus: uno
„verbo hæc tota Eccleſiæ traditio eſt. Et cum numquam permiſſum, immo
„expreſſe a Patribus Tridentinis prohibitum fuerit, Scripturas divinas in
„ſenſu Ss. Patribus, multoque magis toti traditioni contrario interpretari;
„videant illi, qui hodiernis diebus contradixerunt, hæc apoſtolicæ Sedis
„privilegia in allegatis textibus fundari, videant, an defendi poſſit ipſo-
„rum contentio, an non e contrario per Tridentinum Concilium jam con-
„demnata ſit." Nec eſt, cur dicant, unice Primatum Petri fuiſſe a Ss.
Patribus defenſum; ita enim Ss. Patres noſtri Primatum Petri ex allatis
Scripturæ textibus deduxerant, ut eosdem ſicuti nos in naturali, & ob-
vio ſenſu intellexerint, adeoque in eo ſenſu, qui ſupremam Petri in uni-
verſalem Eccleſiam jurisdictionem, & infallibilitatis privilegium manifeſte
comprehendit. Enimvero quod a multis Theologis jam obſervatum fuit,
animis ſuis DD. adverſarii perpendant: ſi prædictos textus pro ſuo, &
maxime Febroniano more in ſenſum adeo alienum a litterali detorquere
licet; jam ipſum Eccleſiæ dogma *de Primatu Petri*, quem nemo Catholico-
rum ſalva fide, & ſalute ſua negare poteſt, omni ſuo fundamento deſtitu-
unt, & firmum jus Hæreticis in manus tradunt pro negando Petri Prima.
tu eumdem in ſenſum S. Scripturam detorquendi. Demum & hoc mihi
ſincero cordi dicant: ſi talem in Eccleſia ſua Primatum Chriſtus inſtituit,
qui limitibus circumſcriptus ſit, iisque non determinatis uſque in hodier-
num diem, immo nunc maxime controverſis; idne ſapienter Chriſtus fece-
rit, & fini ſuo conformiter, unitatem in Eccleſia, pacem & tranquillita-
tem conſervandi? Non mihi peto, optime Lector, ſed proprio cordi tuo
reſponſum.

§. 13.

Dubium tibi forſan adhuc ſupereſt circa quorumdam Patrum interpre-
tationem, qui *Petram*, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, fidem Petri, ſeu
confeſſionem Chriſti Divinitatis fuiſſe putarunt, aut qui *claves cælorum*
toti Eccleſiæ in Petro traditas docuerunt. Si qua tibi cum SS. Patribus
familiaritas; non credam id ſerio a te opponi: neque enim vel unicus in-
ter illos eſt, qui noſtram plane naturalem verborum Chriſti interpreta-
tionem aut neget, aut omnino contrariam defendat; ſunt tantum aliqui,
qui doctrinæ moralis gratia figurato in ſenſu verba Chriſti explicant. Id
quippe eſt Patribus uſitatum, prætermiſſo ſenſu litterali, haud tamen ne-
gato

Digitized by Google

gato, impropriam aliquam, pro ſuo autem ædificationis ſcopo aptam S. Scripturæ dare explicationem. Sic e. g. Parabolam de decem Virginibus multiplici in ſenſu *morali* Patres explicant; nihilominus veriſſimum manet, & innegabile, in ſenſu proprio & *litterali* Chriſtum voluiſſe nos ad vigilantiam propter ſubitaneum Domini adventum adhortari. Ita & Patres illi, uti S. Hilarius in libris *de Trinitate* ad commendandam fidem in Dei Filium, eamdem noſtræ ſalutis fundamentum, ſeu Petram, qua chriſtiana Eccleſia nititur, jure merito vocarunt. Hic autem *tropicus* ſenſus contra *proprium*, & naturalem nullatenus pugnat, quem nemo antiquorum in Eccleſia negare umquam auſus eſt. Pace igitur mea tu Petram dicas fidem quam Petrus confeſſus eſt: ita dum *objectum* potius, quam *ſubjectum* firmitatis Eccleſiæ nominas; meminiſſe tamen te oportet, hæc duo ſeparari non poſſe, ſed ſtandum eſſe in fide Petri, qui non fruſtra a Domino hoc nomen accepit, & pro quo, ne a fide deficeret, non fruſtra Dei Filius Patrem rogavit. Porro ad litteralem ſenſum neceſſe eſt te reduci per claves regni cœlorum ita manibus Petri aſſignatas, ut nequeant ad fidei abſtractam profeſſionem detorqueri: *& tibi dabo claves regni cœlorum*, Chriſtus dicebat Petrum alloquens, non utique Petri quaſi perſonificans.

§. 14.

Hujus loci aliam quoque, figuratam, quæ S. Auguſtini eſt *), interpretationem libenter admitto: „Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum *Eccleſiæ* gerebat figurata quadam generalitate perſonam. Quod enim ad „ipſum proprie pertinet, natura *unus* homo erat, gratia *unus* Chriſtianus, „abundantiore gratia *unus*, idemque *primus* Apoſtolus. At quando ei dic„tum eſt, *tibi dabo claves* &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam." Ita omnino, ſubtiliter licet pro more Auguſtini, veraciter tamen! Petrus unus, idemque primus inter Apoſtolos ſupremam clavium poteſtatem accipiendo totam repræſentabat Eccleſiam. Quid inde concludes? Non *ſoli* Petro, ſed *univerſæ* Eccleſiæ jus clavium adminiſtrandarum eſſe conceſſum? ergone & Laicis? Sed vide! qui Epiſcopis, quos defendendos ſuſcipis, ſua jura, ne dicam, amplifices, tantum ſarta & integra conſerves. Vide, ne in hæreſin jam damnatam incidas laicorum quoque manibus Eccleſiæ-claves committendo. Vel ſolam rationem, ſi malis, potius, quam fidem attende, & magni Magiſtri Auguſtini ſententiam facile aſſequeris. Princeps reipublicæ non ſuam *unius*, ſed populi *totius* perſonam gerit, quippe in quo non ſua tantum, ſed omnium conjuncta poteſtas eſt. Quid inde? Anne dices univerſum regnum adminiſtrandi jus eſſe penes omnes? Nonne vel ideo, quia in

L 2 una

*) Tractat. 124. in Joan.

una figurata totius populi perſona, id eſt, in Principe, conjuncta omnium poteſtas eſt, conſequitur adminiſtrationis *jus* penes unicum, *fructum* vero penes omnes eſſe? Velim etiam, ut obſerves cum doctiſs. Cerboni *) propter hæreſin Montaniſtarum nonnullos Patres aſſeruiſſe, Petro fuiſſe claves collatas ut Eccleſiam repræſentanti. Montaniſtæ enim peccata graviora in Eccleſia dimitti poſſe negantes ſuum inde tuebantur errorem, quod ligandi, ſolvendive poteſtatem ita ſoli Petro datam exiſtimarent, ut cum eo interierit.

Tertullianus jam ex ſecta iſtorum hominum in libro *de pudicitia* contendit, Petro perſonaliter, non vero Eccleſiæ poſteriori claves a Chriſto traditas fuiſſe. Quapropter ad refellendos hæreticos S. Auguſtinus cum aliis quibusdam Patribus defendit claves regni cœlorum non unice Petro, ſed toti Eccleſiæ perpetuo duraturæ datas fuiſſe in Petro Eccleſiam repræſentante **): „Si hoc Petro tantum dictum eſt, hoc non facit Eccleſia: ſi „autem in Eccleſia fit: — Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam „ſignificavit." Tune ex hisce verbis colliges, toti Eccleſiæ jus eſſe claves cœlorum adminiſtrandi? Quid putas, an populus totus ſupremam in regno poteſtatem exercendi jus habet? Nonne id ſoli Principi omnium ſubditorum nomine proprium eſt? Eodem ſenſu quo Princeps eſt quaſi *univerſalis* perſona totum populum repræſentans, cujus eſt ſuos ſubditos regere; ex mente S. Auguſtini Petrus univerſam Eccleſiam, quam regendam ſuſceperat, ſignificabat, quippe ad cujus perpetuam utilitatem claves cœlorum fuerint Petro, ceu Eccleſiæ Principi a Chriſto commiſſæ. *Tu eſt Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: — & tibi dabo claves regni cœlorum.*

EXCURSUS II.

In doctrinam hodiernam Germanorum de concordatis, forma regiminis mixta, & falſo axiomate Canoniſtarum.

§. 1.

Miſſis jam Gallis video ingentem quaſi exercitum recentiſſimorum Germaniæ Publiciſtarum adverſum me, tantum non patriæ proditorem, & Concordatorum violatorem elatis jubis aſſurgere. Ita certe editores libelli admodum mihi, antequam ipſus monumenta hiſtorica maturius libra- rem,

*) De jure, & legum diſciplina tom. 2. lib. 18. cap. 1 §. 5.
**) Tract. 50. in Joann.

Digitized by Google

rem, commendati *) caſibus, queis Concordata infringuntur, *N.* 4. annumerant, *ſi vel diſputari ſuperioritas Concilii in Papam præſumeretur.* Unde ſubito tanta lux noſtris dilucularìis orta eſt, ut poſt trecentos, & amplius annos ea nunc videant, quæ ab origine Concordatorum ipſi Germaniæ Doctores non viderint? Notum eſt enim, quod communi Theologorum noſtrorum, immo teſte Zalweinio etiam Canoniſtarum conſenſu, & quidem ad Germaniæ noſtræ gloriam Papæ ſuperioritas ſupra Eccleſiam fuerit defenſa **). Primus, quantum ſcio, fuit doctiſſimus alias Barthelius, qui ſingularitate doctrinæ, prout morbus eſt doctorum, forſitan allectus præeminentiam Conciliorum quaſi pacto Germanis a Papa conceſſam defendere tentavit ***), ſed infelici Marte. Præterquam enim, quod ſcire Theologum oportuiſſet, rem illam natura ſua ejusmodi eſſe, de qua inter homines nequaquam tranſigi poſſet, quippe cum non de *uſu*, ſed de ipſa *Poteſtate* Pontificia, eaque divinitus inſtituta ageretur; etiam tale pactum de Eugenio IV cogitari non poteſt, qui conſtanter usque ad mortem in Baſileenſibus reprobavit, quidquid contra apoſtolicæ Sedis authoritatem attentaverant. Quid? quod expreſſe in epiſtola Franciſco Foſcari Venetiarum Duci profeſſus eſt ****): „Potius paratum ſe apoſtolicam dignitatem, & in„ſuper vitam ponere, quam vellet eſſe cauſſa, & initium, ut pontificialis „dignitas, & Sedis apoſtolicæ authoritas ſubmitteretur Concilio contra om„nes canonicas ſanctiones, quod numquam antea neque aliquis Prædeceſſo„rum fecerit, neque ab illo fuerit requiſitum.

§. 2.

Jam vero ipſas artes, & cavillationes juriſticas diſcutiamus. Falſo præjudicio factum eſt, inquiunt, ut pro integris Nationis germanicæ Concordatis ſola illa Aſchaffenburgenſia de Ao. 1448 haberentur: ſed huc quam maxime ſpectant prævii tractatus cum Papa Eugenio IV habiti, & ab eodem initi. Immo iſti *regulam* pacti conſtituunt; illa vero Aſchaffenburgenſia tantum a regula *exceptionem*, utpote in quibus Papæ promiſſa recompenſatio tandem actu ſub Nicolao V fuit præſtita. Hoc ſtabilito principio jam ſic argumentantur: ao. 1439 Moguntiæ ſub Alberto Rege Romanorum a Principibus acceptata fuerunt decreta Concilii Baſileenſis, in ſpecie illud *de authoritate, & poteſtate ſacrorum generalium Conciliorum*: item ex Seſs. 31 decretum *Placuit*, in quo expreſſe Synodorum univerſa-

 lium

*) Concordata Nationis Germanicæ integra variis addidamentis illuſtrata. 1771.
**) Principia juris eccleſiaſtici. Tom. 4. Quæſt. 3. cap. 3.
***) Tractatus hiſtorico - canonico - pragmaticus. c. 1, §. 13. &c.
****) Rainald ad a. 1433. n. 19.

lium juriſdictio ita aſſeritur, ut nulli relinquatur ambigendi occaſio, univerſale Concilium habere authoritatem, cui quilibet, etiamſi papalis ſit dignitatis, obedire teneatur. Inſuper ao. 1446 Electores Imperii fœdere inter ſe inito præeminentiam Conciliorum a Baſileenſibus decretam ita ſtabiliverunt, ut data mutuo fide ſe obligarent, non aliter, niſi ſub hac conditione velle ſe Pontifici obedientiam præſtare. Hanc porro utramque Germanorum acceptationem Eugenius Papa ratam habuit, & confirmavit duabus Bullis a. 1447 Non. Februar. una quæ incipit: *Ad ea ex debito*; altera: *Ad tranquillitatem.* Itaque hæc Baſileenſium decretorum acceptatio ex parte Germanorum, & ejusdem ex parte Pontificis approbatio firmiſſimam germanici Concordati regulam efficiunt, cui etiam Aſchaffenburgenſis exceptio in præſenti materia *de Conciliorum Præeminentia* adeo non officit, ut & novum inde robur accedat. Præmiſſis enim ab illa priori regula quibusdam exceptionibus in fine novo addidamento regula generalis ſtabilitur per hæc verba, *in aliis jam permiſſis nihil fuiſſe immutatum.* Ita fere plerique magno cum applauſu hodierni Publiciſtæ. Hinc plenis buccis gloriantur *integra Germaniæ Concordata* per clar. Horixium fuiſſe feliciter inventa *).

§. 3.

Principio illorum pacis, & brevitatis gratia interim omiſſo, ſi ita velis, germanici Concordati *regulam* vocaveris prævios tractatus, Aſchaffenburgenſem autem a regula *exceptionem.* Nihil jam iſtud moror: falſum tamen eſſe ſuo loco oſtendam. Quæ vero ex hiſtorica rerum veritate nunc ſophiſticæ argumentationi opponam, duo ſunt. Primum: *Multo probabilius eſt, quod Natio germanica doctrinam de Præeminentia Conciliorum numquam acceptaverit.* Alterum: *Res certa eſt, quod in hanc doctrinam nec Eugenius IV, nec Nicolaus V umquam conſenſerint.* Et primum quidem ſatis aperte colligi poteſt ex ipſo Acceptationis inſtrumento, ubi Principes anno 1439 quædam Concilii Baſileenſis decreta, ſalvis tamen declarationibus, modificationibus, & limitationibus acceptarunt, &, quod rei caput eſt, expreſſa cum proteſtatione contra omnia ea, quæ adverſus Eugenium a Baſileenſibus fuerant ſtatuta, ubi non ſolum actualis ſuſpenſionis decretum Principes germani exceperunt, ſed & *alia, quæ illam ſuſpenſionem concernunt, vel quomodolibet reſpiciunt.* Quænam vero ſint illa alia, quæ ſuſpenſionem Eugenii magis reſpiciebant, niſi toties illa recocta Baſileenſium crambe, *univerſali Concilio etiam Papam eſſe ſubjectum*? Nonne poſito hoc principio

*) Horixius ille a. 1758 librum *de fontibus juris canonici* adeo pernicioſum edidit, ut ipſemet Elector Moguntinus eumdem anno poſteriori condemnare debuerit.

Digitized by Google

cipio Baſileenſes Eugenium ſibi refractarium jure, & legitima poteſtate deponere potuerunt? Huic ergo principio contradixiſſe Germanos juſte colliges. Amplius id vel ex ipſo, ſiquis alius, Papis ſumme infenſo Fleurii Continuatore patet *). Cum enim Baſileenſes Deputati in conventu moguntino a Principibus exigerent, ut niſi Eugenius ſtatutis Concilii pareret, ejus obedientiam abdicarent, Conchenſis Epiſcopus coram publico conventu proteſtatus eſt, *ejuſmodi conditionem nec a ſummo Pontifice acceptari poſſe, nec umquam Germaniæ Principes æquitatis amantiores in eam conſenſuros.* Hoc ſermone repulſi Baſileenſes præcipuo legationis ſuæ effectu fruſtrati ſunt. Is ergo tunc fuit Germanorum ſenſus, ut nec ipſi quid vellent, in quod viderent, Papam conſentire non poſſe: nihil autem erat dignitati Pontificis, ejuſdemque conſenſui magis repugnans, quam ſui erga Concilium ſubjectio.

§. 4.

Quæ autem ex Baſileæ decretis Germani acceptarunt, ea unice referebantur ad ſuorum gravaminum levamen, in ſpecie quoad electionum libertatem, nominationem ad beneficia, nec non & annatas. Hinc tantum quæ ſibi pro uſu diſciplinari, & *praxi* inſervire videbantur, ex Baſileæ decretis amplexi ſunt, non vero ſingula eorumdem argumenta, totamque *theoriam.* Sic, quod DD. Adverſariis bene fuiſſet obſervandum cum decretum *Placuit* circa gratias expectativas, beneficiorum reſervationes, & collationes ad viros litteratos & graduatos varia diſpoſuerit, hæc *practica* ſtatuta fuerunt in levamen gravaminum a Germanis aſſumta, hoc eſt, illorum decretorum Baſileenſium *Reſultat*, non vero omnes *ſpeculative* illorum rationes, nec illa in decretum *Placuit* introductio, quam ſi Germani adoptaſſent, neutrales erga Concilium ſe gerere non potuiſſent, eoquod damnationis ſententiam erga non obtemperantes Concilio, hoc eſt, erga ſe ipſos approbaſſent. Demum & hoc nota dignum, quod Principes Germaniæ in illa acceptatione *generaliter* tantum Authoritatem univerſalium Conciliorum, non vero *ſpecifice* illam odioſam, & Papæ oppoſitam Præeminentiam memoraverint: immo expreſſe tantum ex Concilio Conſtantienſi capitulum *Frequens*, ubi de *practica* Conciliorum celebratione agitur, adoptarunt; non vero nota illa ſeſs. 4 & 5 decreta, ubi *theoretica* de Conciliorum ſuperioritate doctrina continetur. Ita ſemper germanica Natio, quod hactenus in ipſius laudem ceſſerat, cum ſummo Pontifice mitius agebat, & moderatius, iis, quæ in Baſileenſium decretis nimium erant odioſa, expunctis.

§. 5.

*) Tom. 27. ad a. 1439. §. 52.

Digitized by Google

§. 5.

Quod vero ad poſtulatum Conventus Francofordienſis de anno 1446 ſpectat, notandum duo hoc anno Comitia ibidem fuiſſe, quorum prima non totius Nationis, ſed tantum ſex Electorum fuerant. Hos inter duo Archiepiſcopi, Trevirenſis, & Colonienſis, aperte ſchiſmatici, & juſte a Papa depoſiti, reliqui vero partium ſtudio abrepti iniquo pacto adverſus Eugenium ſe mutuo obſtrinxerunt; invito, & reprobante Imperatore. Poſtulatum igitur Electorum, ut Papa conſtantienſe decretum de *Conciliorum præeminentia* in ſenſu a Baſileenſibus depravato profiteretur, haud integræ fuit Nationis, ſed potior Germanorum pars neutralitati addicta una cum Cæſare Friderico III tantum declarationem ab Eugenio expetebant, *quod Authoritatem Conciliorum colat*, *NB. ſine Pontificiæ Authoritatis injuria*: ſchiſmatici enim ipſum de contemtis conciliis, etiam rite celebratis invidioſe criminabantur, ſuisque mendaciis jam plures in errorem traxerant, ut apud Rainaldum legitur *). Ceterum illius hiſtoriæ teſtem, quo certe nemo melior, Æneam Sylvium, totius tractationis præcipuum Authorem ex Kollario adducam **). Cum Principes Electores ſua Secreta per legatos Cæſari indicaſſent, is eadem Æneæ ſuo Secretario aperuit, eumque ad Papam miſit, ut illi conſulta Principum, & Cæſaris mentem exponeret; quæ non alia fuit, quam ut pacis gratia Pontifex tantum hæc tria concederet. 1mo Archiepiſcopos depoſitos reſtitui, 2do Nationi quoad gravamina opportune provideri, 3tio decretum *Frequens* eſſe recipiendum. Ita Æneas ſeorſim ab aliis Principum legatis ad Papam vocatus, eidem pacis conſilia Imperatoris nomine ſuaſit, non illam, nimium Papæ odioſam propoſitionem de ſubjectione ſua erga Concilium faciens, ſed tantum, ut generatim Conciliorum generalium authoritatem fateretur. Reverſus Roma Francofordiam Æneas jam in altero conventu Principes invenit congregatos, animosque ab Eugenio admodum alienos. Magna tamen arte ſua id effecit, ut conditiones antea ab Electoribus poſitas, nimiumque aſperas novis emolliret, quas *Notulas* vocavit. Notulæ iſtæ eadem tria puncta, jam prius Eugenio Cæſaris nomine propoſita continebant, ſcilicet ut Archiepiſcopi depoſiti reſtituerentur; ut Nationis gravaminibus opportune provideretur; ut demum authoritas Conciliorum ſalvaretur, quippe quam Germani ex falſis ſchiſmaticorum criminationibus a Pontifice contemni, & opprimi credebant. Hæ conditiones tam æquæ, & juſtæ, prout revera fuerant, Moguntino Electori videbantur, ut ab inito antea Electorum fœdere jam diſcere paratus eſſet, inquiens: „Bona fide ſe intraſſe fœdus, ſibi dictum fuiſſe, nihil

*) An an. 1446. n. 2.

**) Analecta Monumentorum omnis ævi Vindobonenſia. Tom. 2. p. 120 &c.

Digitized by Google

„nihil Electores ab Eugenio velle, quod non eſſet honeſtum. At ſi jam „his non contentarentur, ab honeſtate recederent. Placere igitur ſibi, ut „Notulæ in publico legerentur, quærerenturque vota multitudinis.“ Cum autem ad concionem ventum eſſet, major pars Notulas approbavit, etſi invitis quibusdam, maxime ſchiſmaticis. Hæc ex Manuſcripto Æneæ Sylvii a Kollario in lucem edito, & Concordatis Germaniæ integris haud ſatis provide adjuncto.

§. 6.

Itaque pax ſub hisce conditionibus jam fere erat perfecta; nihilominus Æneas miſſus denuo ad Papam Germanorum legatus, ut votis omnium ſatisfaceret, & forſitan ut haberet, quod cedere poſſet, coram Eugenio publice petitionem ſuam ampliavit, quartamque ad tres illas ſuperiores addidit conditionem de agnoſcenda Concilii Præeminentia. Quam tamen, ut ex dicendis mox patebit, cum Eugenius non admiſiſſet, ſed tantum Francofordienſes Æneæ Notulas acceptaſſet, nemo Germanorum amplius in conventu publico urgebat, niſi forſitan poſteriora quorumdam, uti Mayeri gravamina, eaque privata hic velis recoquere. Sed cum jam non ſit locus ſpecialiter de illis diſputandi; tantum in genere velim noſtris Scriptoribus conſulere, ut ab hac recoctione, quæ Patriæ noſtræ in honorem haud vertitur, in futurum cautius abſtineant, ne & ipſi ſimile Reſponſum, quod Æneas Sylvius Mayero Moguntiæ Cancellario dedit, referant *). Ceterum aliunde jam certo conſtat, famoſiſſima illa centum gravamina in odium Catholicorum, præſertim Romanæ Sedis a Proteſtantibus, Goldaſto, aliisque maximam partem fuiſſe conficta: alia vero, eaque, ut merito videri poſſent, juſtiora quam maxime Epiſcopos, totumque Clerum ſpectabant, non vero tantum Romanos Pontifices, qui tamen plus reliquis ex parte ſua contulerant ad Germanorum gravamina, quoad æquum erat, ſublevanda. Id pro viribus ſuis præſtiterunt Hadrianus VI, Clemens VII, Pauli III & IV, & demum SS. univerſalis Tridentina Synodus. Hac de re conſule noviſſimam, ſolidiſſimamque Diſſertationem in ſermonem vernaculum translatam, in qua pro ſuis meritis Anonymus Scriptor, ſatis tamen jam notus *de Legatis*, & *Nunciis Pontificum* juſtiſſime caſtigatus **). Notum inſuper eſt, *gravamina*, quæ ab una tantum parte, eaque jugi impatiente proveniunt, non pro *juribus* valere; ſecus væ nobis Catholicis! contra quos etſi ſummis injuriis

*) Vid. Rainald ad a. 1457. n. 43. &c.

**) Frage. Iſt die Gerichtsbarkeit der päbſtlichen Nunzien in Deutſchland den Reichsgeſetzen, und der Reichsverfaſſung zuwider? 1787.

juriis affectos innumera DD. Proteſtantes gravamina cuderunt, queis nos opprimerent, ita ut in proverbium abierit: *Dum verberant, lamentantur.* Sie ſchlagen, und klagen. Itane noſtri Epiſcopi erga ſummum ſuum Paſtorem ſe gerant, ut de ipſis quoque idem dici, aut cogitari poſſet?? Quid, ſi gravaminibus Pontifex gravamina, eaque forſitan numero plura, ſed & pondere graviora opponeret? — — Aut num forte decreta Baſileenſia, quæ adeo jactantur, apud nos amplius in uſu ſunt? Nonne ſi umquam valuerunt, jam deſuetudine abrogata fuiſſe dicendum eſt? Quid, ſi eadem Papa, & quidem ex pacto urgeret? — Certe ad dedecus noſtrum ſit, ſi quis nobis Germanis hodie Baſileenſia illa decreta pro diſciplinæ reſtauratione in memoriam revocet.

§. 7.

Alterum erat, quod dixi: *Certa res eſt, quod in doctrinam de Præeminentia Conciliorum nec Eugenius, nec Nicolaus PP. umquam conſenſerint.* Atque hoc ita certum, ut Eugenius imminente morte ſua ſollicitus, ne forſan nimia erga Germanos conniventia quidquam indulſiſſe videretur apoſtolicæ Sedis dignitati contrarium, in eum finem confici Bullam, quam *ſalvatoriam* vocant, curaverit, in qua coram Deo, & mundo ſua ſenſa purgaret conteſtans: „Numquam ſe doctrinæ SS. Patrum, aut Pontificiæ autho„ritati derogare voluiſſe, irritumque eſſe, atque a ſe revocari, ſi quid ejus„modi in ægritudinis infirmitate contigerit emanaſſe." Sed ut plena in meridie veritas eluceſcat, ipſa apoſtolici indulti inſtrumenta luſtremus. Cum nempe quatuor eſſent conditiones, quas pro obedientia Pontifici præſtanda nomine Nationis germanicæ Æneas legatus *publice* propoſuit, 1mo ut generale Concilium tempore, locoque deſignando convocetur, 2do ut Conciliorum generalium Authoritas, & Præeminentia adprobetur, 3tio ut gravaminibus opportune provideatur, 4to demum, ut duo Electores Archiepiſcopi reſtituantur; ad ſingula hæc puncta tribus Bullis Pontifex reſpondit, ita, ut duo prima, utpote inter ſe connexa, *de Conciliorum authoritate* complexus una, eademque Bulla fuerit. Ad primum igitur, ut generale Concilium celebretur; ſuo id conſenſu totum probavit. In altero duæ partes continebantur, ut non ſolum authoritas Conciliorum, ſed etiam præeminentia approbaretur. Prior pars petiti juſta, & æqua, prout erat, ab Eugenio judicabatur, qui Legatis ſuis Francofordiam miſſis eam probandi facultatem jam antea dederat, dicens: „Se veſtigiis Patrum inhærere, & „non dubitare, generalia Concilia cum omni reverentia, & devotione ſuſ„cipere, ac venerari, NB. *dummodo rite inſtituta, & canonice celebrata ſint.*" Quo ſenſu tantum Concilia cum ſummo Pontifice conſpirantia intelligi manifeſtum eſt *).

§. 8.

*) Rainald. ad a. 1446. n. 2. 3.

Digitized by Google

§. 8.

Ejuſdem petiti altera pars odioſam, immo & ſchiſmaticam inter Papam, & Concilium oppoſitionem involvit: hanc Eugenius mori potius, quam Concilio ſe ſubdere paratus, nequidem ad tractationem admiſiſſet, niſi jam *privatim* inſtructus fuiſſet Gobelino, ipſoque Ænea teſte, mitiora eſſe Cæſaris, aliorumque Germanorum ſenſa, tantum ea duriora ex acerbis paucorum Electorum animis proficiſci. Quare pro ſua moderatione, & prudentia Pontifex hac parte omiſſa, *indirecte* autem rejecta propoſitionem ad juſtum ſenſum reduxit aſſerens, *Conciliorum* (rite, & canonice celebratorum) *a ſe agnoſci*, *recipique ſummam authoritatem*, *& eminentiam.*

Et hoc quidem veriſſime, aſſeruit, ſiquidem in Eccleſia eminenter ſumma authoritas hæc eſt, ubi totius Eccleſiæ cum ſuo Capite conſenſus in univerſali conventu expreſſus eſt. Præeminentiam vero illam, quæ inter caput, & membra oppoſitionem indicat, caute omiſit Papa, ſed & *indirecte* rejecit hac adjecta clauſula, *ita ſe venerari Concilia*, *ſicut ceteri anteceſſores eadem venerati ſunt*, *a quorum veſtigiis deviare haut velit.* Nihil ergo novi hac in parte Pontifex conceſſit; immo quod notabile inſuper eſt, ex Conſtantienſi Concilio tantum decretum *Frequens* in ſpecie admiſit; alia quidem ejus decreta, & totum Conſtantienſe in genere, ſed ita tamen, ut *cetera alia Concilia*, quæ niſi a Pontifice fuerint approbata, ſemper in Eccleſia pro illegitimis, nulliusque authoritatis fuere habita. Igitur neque Conſtantienſis Concilii decreta Eugenius IV aliter, quam Martinus V approbavit, id eſt, tantum, & reſtrictive, ut dici ſolet, *conciliariter facta.*

Is ſane genuinus ſenſus eſt Pontificis in Bulla: *Ad ea ex debito*, quem ipſe adhuc ante mortem ſuam, ut omne dubium auferret, declaravit: En autem Bullæ propria verba: „Concilium generale Conſtantienſe, decretum „*Frequens*, ac alia ejus decreta, ſicut cetera alia Concilia catholicam militantem Eccleſiam repræſentantia, ipſorum poteſtatem, authoritatem, honorem, & eminentiam *), ſicut & ceteri anteceſſores noſtri, a quorum veſtigiis deviare nequaquam intendimus, ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur.“

*) In quibusdam impreſſis exemplaribus, uti apud Barthelium loco *eminentiam* legitur tantum *reverentiam.*

§. 9.

Sed in Bulla: *Ad tranquillitatem;* Baſileenſia decreta de ſuperioritate Conciliorum approbaverit Eugenius? Mirari non ſatis poſſum, id a doctis viris ſerio proponi, ut ſibi fidem haberi velint. Quid enim, ſi in decretis illis ſub Alberto Rege a. 1439 acceptatis nihil aliud Germani, niſi *practicum* levamen ſuorum gravaminum, quoad electionum libertatem, beneficiorum collationem, & annatarum ſublationem quæſiverint? Hoc ipſum eſt, quod ſupra §. 33 tantis argumentis oſtendi, ut tranquillum animum, veritatis magis, quam diſputationis amantem facile poſſint convincere. Certe, ut ex ipſa Æneæ legati poſtulatione patet, tertio illo puncto, cui Papa per dictam Bullam reſpondit, nihil Germani voluerunt, quam *practicum* levamen, quo ſuis gravaminibus in ſpecie, circa electiones, beneficia, & annatas opportune provideretur. Verum enimvero, quod omnibus adverſariis una ſimul os obſtruit, ipſa eſt Pontificis hac ſuper re expreſſa declaratio. Cum enim decreta illa Baſileenſia a Germanis acceptata præter ea, quæ ad diſciplinæ, verius politiæ *praxin* ſpectabant, alia continerent circa *theoriam*, e. g. de ſumma Conciliorum authoritate; hæc Pontifex data opera, & expreſſe ab illis ſeparavit hisce verbis: „Per alias noſtras litteras (ſuperioris Bullæ) nonnulla circa Concilium Conſtantienſe, ejusque „decreta, nec non futuri convocationem Concilii mentem noſtram concernentia declaravimus, prout in ipſis litteris plenius continetur." Poteſt etiam Pontificis inſtructio ad ſuos legatos hic intelligi, quæ apud Rainaldum ita legitur *): „Ad imitationem SS. Patrum prædeceſſorum noſtrorum, quorum veſtigiis inhærentes gradum divinæ Majeſtati obſequium „præſtare non dubitamus, ſicut illi generalia Concilia ſuis temporibus *rite inſtituta, atque canonice celebrata* recipere, amplecti, & venerari conſueverunt; ſic generalia Concilia Conſtantienſe, & Baſileenſe ab ejus initio „ad translationem per nos factam *NB. absque tamen præjudicio juris, dignitatis, & præeminentiæ S. Sedis apoſtolicæ, & poteſtatis ſibi in eadem canonice ſedenti in perſona B. Petri a Chriſto conceſſæ*, cum omni reverentia & „devotione ſuſcipimus, amplectimur, & veneramur." His, inquam, *theoreticis* caute ſeparatis, atque ad priora reſponſa remiſſis jam quoad *practica* Germanorum levamina ſe declarat Pontifex: „Super aliis autem decretis „Baſileæ editis, & per claræ memoriæ quondam Albertum Romanorum „Regem acceptatis, ex quorum obſervantia Natio germanica ex pluribus „gravaminibus dicitur relevari, contenti ſumus &c." Ita in hac Bulla Pontifex, quaſi futuram Juriſtarum cavillationem prævidiſſet, ſuam conceſſio-

*) Ad a. 1446. n. 3.

Digitized by Google

ceſſionem expreſſe ad alia Baſileæ decreta, id eſt, *practica* Germanorum levamina reſtrinxit.

§. 10.

Denique ut Aſchaffenburgenſibus Concordatis a Nicolao V probatis multum hic immorer, opus haud eſt, eoquod ipſi DD. Adverſarii in iis parum fiduciæ ponant, hæc ſibi odioſa eſſe palam profitentes, hinc ad priora ab Eugenio conceſſa provocare ſoliti. Quare cum jam demonſtraverim ex Baſileenſis Concilii decretis nonniſi *practica* levamina Germanis ab Eugenio fuiſſe indulta, eamdem neceſſario reſtrictionem habent Inſtrumenti Aſchaffenburgenſis verba: „In aliis autem, quæ per felicis recordationis Domi„num Eugenium Papam quartum pro Natione præfata usque ad tempus „futuri generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta, atque decreta, & „per memoratum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Nicolaum confir„mata fuere, in quantum illa Concordiæ præſenti non obviant, iſta vice „nihil extitit immutatum.„ En dilectiſſime Lector! quam leviter evaneſcat, & in nihilum recidat, quod contra ſummi Pontificis præeminentiam a pluribus abhinc annis inflare plenis buccis ſolent hodierni noſtri Juris publici Reformatores, plerumque falſis Proteſtantium præjudiciis obcæcati, aut quod pejus eſt, voluntarii præ hodiernis DD. Proteſtantibus Romani Pontificis adverſarii.

§. 11.

Unum adhuc hoc loco de Barthelio dicendum reſtat, quod præſentis quæſtionis ſtatum de *Conciliorum Eminentia*, ſecus ac in mente Baſileenſium, atque etiam fœderatorum Germaniæ Principum fuerat, aut ex inadvertentia, aut ex compoſito inverterit. Ita enim ſcribit *): „Ex eo, „quem hactenus præ manibus habuimus textu Concordatorum — omnino „confectum eſt, ſummum Pontificem in vim pacti ſe eo obligaſſe, ut im„poſterum Conciliorum authoritas, poteſtas, honor, & eminentia firma ſtet, „nec iisdem tam facile, & pro libitu poſſit, vel cenſeatur etiam tacite de„rogari.„ Sane hisce verbis & Baſileenſium decreta, & Pontificis conceſſa haud genuine referuntur, ſed duo inter ſe oppido diverſa, quaſi unum forent, male confunduntur. Baſileenſes quippe tale Concilium ponebant, quod a Papa, etiam legitimo diſſentiret, cui proin ſubjici debere & Papam volebant. Ejusmodi concilium, ceu corpus a ſuo capite diviſum numquam in Eccleſia aliquam authoritatem habuit, neque talem vi pacti Pontifex admi-

*) Tract. hiſt. Canon. pragmat. Cap. 1. §. 16.

admiſit, ſed potius ad antiquam Patrum doctrinam provocans rejecit. De canonicis vero Conciliis, id eſt, cum ſupremo ſuo Capite in unum conſpirantibus in Reſponſo ſuo non quidem novi quidquam pro futuro tempore Papa adpromiſit, ut male inſinuare vult Barthelius, ſed mentem tantum ſuam ex SS. Patrum doctrina declaravit, a ſe Concilia univerſalia (rite ſcilicet, & canonice celebrata) ipſorum poteſtatem, authoritatem, immo & eminentiam agnoſci, recipique. Hæc certe longe alia eſt, ac illa Baſileenſium ſententia, nec nova quædam Pontificis conceſſio, ſed antiqua Eccleſiæ doctrina. Quis enim umquam negavit, Concilio univerſali legitimo ſummam eſſe in Eccleſia authoritatem, qua vel ipſe Papa, ſaltem *directiva* vi, licet non *coactiva*, teneatur? Canonibus enim eccleſiaſticis Papa, ſicut legibus etiam ſuis Princeps obligatur. Febronii dumtaxat mala ars eſt ad invidiam Papæ conflandam, ut *arbitrariam* vocet illam, quam nos *ſupremam*, & *illimitatam* dicimus Pontificis poteſtatem. Hæc poteſtas etſi illimitata haud tamen propterea arbitraria eſt, ſed divinis, atque etiam eccleſiaſticis legibus quoad uſum ligata. De bono uſu, malove ſuæ ſupremæ in terra poteſtatis Pontifex rationem Deo reddere, non vero hominibus debet: noſtrum autem eſt ſupremam, quam Dominus ſuo Vicario, & totius ſui corporis Capiti dedit, poteſtatem agnoſcere, & venerari: *Qui enim poteſtati reſiſtit. Dei voluntati reſiſtit?* Hæc interim ad præſentem ſcopum de Germaniæ Concordatis: plura vide Parte III, Corollario 4, Artic. 5.

§. 12.

Monarchiam vero eccleſiaſticam, inquies, non Germanorum tantum, ſed omnium fere Catholicorum auribus noſtro ſeculo tam odioſam eſſe vocem, ut vix a quoquam amplius tolerari poſſit. Ita nimirum nihil noſtro ſeculo intolerantius eſt, aut forte nihil intolerabilius. Scio equidem inde a Bellarmino, qui ut alter Homerus, quandoque dormitat, vulgarem eſſe eam in ſcholis doctrinam, quæ *monarchicum* Eccleſiæ regimen *Ariſtocratia* temperet. Hac ſuper re cum jam locus ſit ſenſa mea declarandi, obſervo diverſi generis eſſe homines, qui iiſdem vocibus, at mentibus plane contrariis loquantur. Sunt (& hi quidem jam plurimi) qui pro more politici noſtri ſeculi non dubitant externam hanc officii ſpeciem dignitati pontificiæ exhibere, ut ejus regimen appellent *monarchico-ariſtocraticum*. Sed præter vocis appellationem jam nihil monarchici juris Papæ relinqui ex ipſorum doctrinis, immo & factis facile apparet. Quidquid enim Papa ordinaverit, nullius eſſe valoris docent, ſuamque denegant obedientiam, niſi Papæ ordinatio per Epiſcopum, quem ſolum vocant *Ordinarium*, antea diſcuſſa fuerit, & adprobata. Hi quidem particularibus adeo Epiſcopi judicio pontificiam ſubjiciunt authoritatem aperte jam a catholico dogmate alieni, *ab omnibus Chriſti fidelibus Papæ obediendum eſſe*. Alii vero cautius ſibi agere viden-

Digitized by Google

videntur, dum non particulares Epiſcoporum ſententias, ſed generale judicium Epiſcoporum, e. g. in Concilio congregatorum ſuperius eſſe papali contendunt. Atqui & hi manifeſte convincuntur, dum monarchico-ariſtocraticum regimen verbis adſtruunt. Monarchiam reipſa deſtruere, & meram Ariſtocratiam inducere: ſuprema enim regendi poteſtas neceſſario vel in uno quodam, vel in pluribus reſidet: in priori caſu Monarchiam efficit, in poſteriori Ariſtocratiam. Illi ergo, qui Concilium Papa ſuperius eſſe docent, ſupremam poteſtatem ab uno auferentes, vere Monarchiam deſtruunt, illamque in pluribus collocantes propriam Ariſtocratiam inducunt. Eſt autem Catholicorum, ipſorum adeo Gallorum cum ſuo Gerſonio conſtans doctrina, ſicut hac in Parte II oſtenſum a me eſt, veram a Chriſto Monarchiam in Eccleſia fuiſſe inſtitutam, immo, ut unum eſſet Chriſti ovile, ita a Deo inſtitui oportuiſſe. Præclara in hanc rem ſunt S. Gregorii Nazianzeni verba *): „Quod ſine Principe eſt, ordine caret; quod „autem multos Principes habet, diſſidiis obnoxium eſt, adeoque tum prin„cipatus, tum ordinis expers. Eodem enim utrumque tendit, ad pertur„bationem nimirum, quin imo ad diſſolutionem.“ Anne ipſorum quoque Conciliorum diſſidia DD. Adverſariis noſtris incognita eſſe poſſunt? Anne Chriſtus Eccleſiam ſuam diſſidiis expoſuerit? Ipſe dixit optimus Paſtor, & verba ejus in æternum manent, *unum eſſe ovile, & unum Paſtorem*: quisnam vero ille? Hic eſt, cui dictum eſt, *paſce oves meas*!

§. 13.

Sed & alii dantur *meticuloſi*, ne Monarchia Pontificis in deſpotiſmum, & tyrannidem degeneret, hinc ajunt cum Zalweinio **), regimen a Chriſto inſtitutum non ejusmodi eſſe, quod dominandi libidinem foveat, ſed potius humilitatis, & manſuetudinis legibus temperetur: hunc autem finem obtineri per regimen *monarchico-ariſtocraticum*, ubi non ex unius voluntate omnia dependeant, quod ſuperbiam aleret; ſed aliorum quoque Præſidum eccleſiaſticorum conſenſus ad ultimam rerum deciſionem requiratur, quod Primatem in humilitate retinere, immo & ſubditis obedientiam allevare poſſit. Quare pro hoc hominum ſtatu hanc optimam eſſe judicant, quam *mixtam* dixeris ſacri regiminis formam. Cur vero non & politici, ſiquid adducta illorum momenta ſua ex natura valeant?—Sed hisce eccleſiaſtico-politicis directe reſpondeo, plura in hac ipſorum hypotheſi falſa latere quibusdam ſpecioſis involuta veris. Verum eſt quidem non ſuperbum dominatum, ſed humilitatis potius obſequium a Chriſto Domino fuiſſe Petro præſcriptum. Nonne autem ſicut Petro, ita & reliquis Apoſtolis prohibita

*) Orat. 35. **) Principia jur. eccleſ. Tom. 1. Q. 4. C. 1. §. 4.

Digitized by Google

hibita fuit a divino Magiſtro ſuperbia, & humilitas præcepta? nonne Epiſcopi in ſuæ particularis Eccleſiæ, ſicut Papa in univerſalis regimine æque ſibi a deſpotiſmo, & tyrannide cavere debent? Quid ergo? an Epiſcopi ordinatio pro ſua Eccleſia ab aliorum, licet inferiorum Præſulum, & Paſtorum conſenſu dependeat? an Epiſcopus erga ſuæ Diœceſis ſubditos non monarchicam, ſed tantum ariſtocratica mixtam poſſideat jurisdictionem? Nonne enim æque periculoſum eſt Epiſcopo, ac Papæ monarchica poteſtate abuti ad ſuperbiæ dominatum? Itaque falſum ante omnia præjudicium eſt, Monarchiam ex *natura ſua* cum dominandi faſtu eſſe conjunctam: dabantur certe, vel adhuc dantur Monarchæ etiam terreſtres, qui ex chriſtianæ humilitatis, & manſuetudinis legibus ſupremam, quam habuere, poteſtatem moderabantur non hominum tribunal, ſed Dei reverentes. Equidem haud negarim, poteſtatis abuſum ſicut interdum a Principibus hujus ſeculi, ita etiam ab Eccleſiæ Præſulibus committi: ſed hoc *per accidens* ex infirmitate humana contingit, quod monarchicæ regiminis formæ ſuam præ omnibus aliis præſtantiam diminuere haud poteſt, minus auferre. Immo in ſimili quoque caſu melius eſt ſubditis unum habere ſuperbum Principem, quam multos non minus ſuperbos, & inter ſe diviſos, totiusque corporis unitatem dilacerantes. Verum eſt etiam ſummos Eccleſiæ Præſules, ne temere, ac deſpotice quidpiam ſuſcipiant, præmiſſis antea deliberationibus, & aliorum rationibus, ſententiisque auditis ad ordinationes ſuas ſanciendas progredi debere. Sed falſum eſt, regulas pro bono poteſtatis uſu datas, etiam limites eſſe, quibus ipſa poteſtatis amplitudo circumſcribatur.

Ergo prævia illa conſultatio non ad hoc requiritur, ut *valida* ſit Superioris ordinatio, & vim obligandi ſubditos habens, ſed ut *legitima*, & *juſta* coram Deo inveniatur. Denique & hoc verum eſt amplius humiliari, atque a ſuperbia removeri Eccleſiæ Prælatos, ſi nihil ſine aliorum inferiorum conſenſu poſſint. Sed quam maxime falſum eſt præjudicium, ita unitati, & obedientiæ ſubditorum melius eſſe proviſum. Quanto enim magis authoritas unius debilitatur, tanto amplius unionis vinculum relaxatur; & quidquid poteſtatis uni auffertur, id inter plures diviſum, iisdem diſſenſionis, ſuperbiæ, & arrogantiæ fit objectum. Igitur ad humilitatem ſummorum Eccleſiæ Præſulum (etiam Epiſcopos intellige) conſervandam medium a Deo ordinatum nullatenus eſt ipſorum poteſtatis ab inferioribus dependentia, quæ unitatem corporis facillime deſtrueret; ſed eſt ipſa ſuprema in cœlo Majeſtas, quæ a ſervis ſuis omnium actionum diſtinctam exigit rationem: verbo divinum, non humanum eſt tribunal.

Digitized by Google

§. 14.

Sunt inſuper & alii, qui cum Bellarmino *) Monarchiam Ariſtocratia mixtam, ceu optimam pro hac vita regiminis formam ita vindicant, „ut „ſit quidem in republica ſummus aliquis Princeps, qui & omnibus impe„ret, & nulli ſubjiciatur; Præſides tamen provinciarum, vel civitatum „non ſint Regis Vicarii, ſive annui Judices, ſed veri Principes, qui & „Imperio ſummi Principis obediant, & interim provinciam vel civitatem „ſuam non tamquam alienam, ſed ut propriam moderentur.“ Sic in Eccleſia præter ſummi Pontificis Monarchiam eſſe contendunt Epiſcoporum, qui veri Principes, & Paſtores proprii gregis, non tantum Papæ Vicarii ſunt, Ariſtocratiam. Hoc ſenſu Bellarminus uti omnes facile catholicos Doctores, ita me ſane habet conſentientem. Nolim de verbo diſputare, ſeu *puram* hanc Monarchiam, ſeu *mixtam* Ariſtocratia dixeris; ſufficit, & neceſſe eſt, ex Bellarmini ſententia ſummum Pontificem poſſe omnibus imperare, & nulli eſſe ſubjectum, ſed omnes etiam provinciarum Præſules ejusdem Imperio obedire debere. Neque tamen hoc obſtat, quominus Epiſcopi veri, & proprii ſint gregum ſuorum Paſtores, non Papæ, ſed Chriſti Vicarii, quamvis ſummo illi Vicario Chriſti, qui Papa eſt, ſubordinati. Hanc Ariſtocratiam in provinciis *ſingularibus* relative ad ſubditos exiſtentem nemo negaverit, ſed ea tamen ſummi Pontificis per totam Eccleſiam *univerſali* Monarchiæ haudquaquam oppoſita eſt, hinc neque video, quare pontificium totius Eccleſiæ regimen relative ad Papam Ariſtocratia *mixtum* dici oporteat.

§. 15.

Lata a Domino ſententia, *unum ovile & unus Paſtor*, finita lis eſt; utinam finiretur & error! Sed nondum errorum ſatis. Pervulgatum hodie, ac tantum non univerſale inter noſtros Canoniſtas axioma eſt, idque oppido fallax, & æquivocum: *Cum primatus propter unitatem Eccleſiæ ſit, nihil Primatem poſſe, quod ad unitatem non ſit neceſſarium.* Hoc axiomate, ut ajunt, indubitabili, certiſſimoque aſſumto ſequales inde plurimas derivant, queis totam quantam ſummi Pontificis poteſtatem aut arctiſſime contrahere, aut penitus enervare, irritamque facere allaborant. Cum enim ex una parte circa dogmata fidei, morumque Papæ ſententiam negent eſſe infallibilem, niſi per accedentem, & quidem univerſalem Epiſcoporum conſenſum; cum inſuper ex altera parte nihil concedant a Papa ſtatui, & imperari

*) Controv. 3. de ſummo Pontifice L. 1. C.

Digitized by Google

perari poſſe, niſi quod *abſolute* neceſſarium ſit ad conſervandam Eccleſiæ univerſalis unitatem, ad hanc vero nulla ſit neceſſaria lex circa diſciplinam, utpote quæ pro varietate locorum varia eſſe poſſit; conſequitur pontificiam authoritatem tam quoad res fidei, & morum, quam & diſciplinæ per ſe ipſam nihil amplius valere, ſed ſine omni jam efficacia eſſe, irritamque, ac nullam. Ita juris epiſcopalis reſtauratores hodierni (ſi Superis placet) ſcopum conſiliorum ſuorum attigiſſe ſibi videntur, magnoque ſibi plauſu adjubilant. Sed triumphi pæana ante victoriam canunt.

§. 16.

Satisne bona fide vel primum jam principium ponitur verbis hisce indeterminatis, & æquivocis: *Primatus eſt propter unitatem*? Quæro ex ipſis, quam unitatem intelligant, an *fidei* tantum, an duplicem illam, quæ a Chriſto in ſua Eccleſia inſtituta eſt, tam *fidei*, quam & *obedientiæ* unitatem? Si primum illud tacite intendant, eo ipſo manifeſta jam ipſorum fallacia eſt: Chriſtus enim non ſolum ejusdem fidei, ſed etiam ejusdem obedientiæ ſuam voluit eſſe dilectam ſponſam unius viri, ſeu unum corpus ſub uno Capite, unum ovile ſub uno Paſtore. In altero, eoque integro tantum ſenſu firmum ſtat hoc principium: *Primatus a Chriſto inſtitutus eſt, ut una in fide, & obedientia Chriſtianorum ſit Eccleſia.* Jam vero principii veritate pleno in lumine poſita, nonne in aprico eſt nuda conſequentiæ falſitas, *ergo Papa nihil poteſt, quod ad unitatem non neceſſarium*? Quam hæc inania & fallacia verba! Ita potius debuiſſet fieri concluſio, *ergo, cum Papa imperat, neceſſario obediendum eſt.* Ipſa enim obedientia ad unitatem a Chriſto inſtitutam neceſſaria eſt: hinc omnes ſuas fideles oviculas Petro ſubditas eſſe voluit, cui ſoli jus totum ovile paſcendi dedit: *Paſce oves meas.*

§. 17.

Miſeret me hominum, qui noſtro illuſtrato ſeculo perſpicaces præ cornicum oculis videantur, circa res tamen divinas hebeti adeo viſu, & myopes ſint. *Nonne Princeps eſt propter bonum reipublicæ ſtatum*? Quid, ſi quis ex hoc principio ſequens vellet axioma ſtatuere, *ergo Princeps nihil imperare poteſt, ſine quo bonus reipublicæ ſtatus adhuc ſubſiſtere poteſt.* Næ! iſte conſequentiarius inſanire videretur. Sanæ autem rationis homines ita argumentantur: „Cui finis committitur, huic & jus ad media datur. Cum „ergo unus ſit Princeps in republica, cum unus ſit Papa in Eccleſia, ut „hac unitate capitis ille reipublicæ bonum commune, hic Eccleſiæ pro„curet; utrique jus eſt ad media imperanda, eaque non tantum abſolute „neceſſaria, ſed & quocumque modo utilia." Poteſtatem Principis reſtringe

ge tantum ad ea, quæ pro bono ſtatus totius neceſſaria ſubditis videantur; & non jam Principem, ſed inanem Principis larvam, & umbram habebis. — Quis hominum, quæſo, ita ratiocinetur: Alimenta ſunt homini a Deo data ad vitam conſervandam; ergo tantum jus habet homo ad vitam *neceſſaria* accipiendi alimenta, e. g. panem nigrum, & nudam aquam? Nonne & alia, etiam *commoda & utilia* licet adhibere vitæ remedia? nonne, inquam, ab humana ratione probatum, juſtumque axioma eſt. *Cui finis committitur, huic jus eſt ad quæcumque, dummodo vera ſint, media?* Finis porro, cur uni Petro totum gregem paſcendum Chriſtus dederit, non ſimpliciter propter ſe ipſam unitas fuit, ſed & hæc altiorem adhuc habuit finem, cui tamquam medium inſerviret, videlicet ut ad ſpiritualem ſalutem totus grex *optimo modo* per unum paſceretur: prævidit enim divinus Salvator, ad bona paſcua vitæ ſpiritualis fideles ſuos melius ab uno paſtore omnium ſupremo dirigi, quam per plures æquales, facile inter ſe dividendos, & ovile una ſecum direpturos. Igitur æterna animarum ſalus omni meliori modo, ſcilicet per unum ſupremum Chriſti Vicarium procuranda proprius eſt, dignusque Deo finis, cur Pontificis primatus inſtitueretur: hinc ad media quæcumque pro animarum ſalute adhibenda jus habet, & illimitatum quidem ſummus Pontifex: *Cui enim finis, huic & media committuntur.* Ita ſane docet Philoſophia, ita & Jurisprudentia, atque quod ſummum eſt, ita & ſancta Dei Religio. *Tibi dabo claves regni cælorum: quidquid ligaveris, quidquid ſolveris ſuper terram, erit & ligatum, ſolutumve in cælis.*

§. 18.

Vere igitur, ac proprie monarchicum eſſe, atque eſſe debere regimen a Chriſto Dei Filio in ſua Eccleſia inſtitutum jam nunc eviciſſe mihi videor, magnaque animi confidentia adverſarios argumentis, non convitiis pugnaturos in arenam provoco. Ab optimo ſiquidem Paſtore non alius poterat, niſi *optimus* paſcendi, ſeu regendi modus inſtitui. Eam ipſam vero, quæ *monarchica* eſt, regiminis formam omnium eſſe *optimam* res ipſa, tota natura, propria experientia, Sapientum dicta, & exempla, Ss. Patrum teſtimonia, demum, quod maximum eſt, divina adeo authoritas acclamant. Ut enim unio pluriùm adſit, in uno aliquo conveniant neceſſe eſt: ubi corpus unum, ibi unum caput: monſtrum naturæ foret, & portentum cum duplici capite unum corpus Unius regimen ſocietati convenire, vel bruta animalia inſtigante natura cognoſcunt: rex unus apibus, unus dux gruibus, & in armentis paſtor unus. Humana quoque huc tendit ratio, & noſtra idem docet experientia: in qualibet domo ad unum patremfamilias pertinet gubernatio conjugis, filiorum, ſervorum, rerum denique ceterarum. Maximæ terræ regiones a ſuis ſingulæ Regibus gubernantur,

Digitized by Google

nantur, & antiquiora, felicioraque in toto regna ſunt, quam reſpublicæ ſine uno Principe *). Longum foret veteres appellare Philoſophos, Platonem, Ariſtotelem, Iſocratem, Plutarchum, Senecam, ex Hiſtoricis Herodotum, aliosque: unicum audiamus illorum Principem: "Unius domina„tio bonis conjuncta conſtitutionibus, quas leges vocavimus, illarum omnium „optima eſt. — Gubernationem vero eam, in qua non multi imperant, me„diam cenſere debemus. — Ceterum multorum adminiſtrationem per om„nia debilem — propterea quod magiſtratus ad exigua redacti ſunt, in „multosque diviſi." Ita Plato **). Ex hebraicis, & græcis, atque latinis Patribus Philonem, Juſtinum, Hieronymum, Cyprianum, plurimosque poſſem producere; ſed unus loco omnium S. Athanaſius loquatur ***): „Ut multitudo deorum nullitas eſt, ita quoque neceſſe eſt multitudinem „Principum id efficere, ut nullus eſſe Princeps videatur. Ubi autem Prin„ceps non eſt, ibi prorſus diſturbatio naſcitur." Atque quod majus omnibus eſt, ſub unius Dei dominio totus mundus eſt poſitus. Inſtitutio humani generis ex uno facta eſt ita, ut ab uno omne genus hominum dependeret. Deus unus dilecto populo ſuo Iſrael dignatus eſt ipſe fieri illorum omnium Rex: in rebus extraordinariis, negotiisque difficilibus unum loco ſui Vicarium, ſeu *Ducem* inſtituit: pro ſacro miniſterio unum elegit ex familia Aaron, qui inter omnes Sacerdotes ſummus eſſet Pontifex. Ipſe Dei Filius ſe unum conſtituit Caput, totius corporis ſui, quod proprio ſanguine ſibi acquiſivit: ſed & ſuo hinc diſceſſu in cœlum nobis inviſibilis factus, viſibilem in terra Sui Vicarium, Caput unum totius Eccleſiæ, univerſalem omnium Paſtorem reliquit S. PETRUM, Cœli, & terra præteribunt, verba autem Domini, & facta non præteribunt: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. — Tu confirma fratres tuos. — Paſce oves meas.*

*) Triſtiſſimo exemplo id hodie docet a ſui, devaſtatum illud olim Galliæ regnum.
) In Politico. Edit. Bipont. de anno 1784. pag. 100. *) Orat. adv. idola.

APPEN-

APPENDIX.

An M. Boſſuetus vere ſit Author Libri,

CUI TITULUS:

Defenſio gallicanæ Declarationis?

CAPUT I.

Hiſtoria Declarationis gallicanæ.

§. 1.

Notiſſima ſunt triſti fato Galliæ comitia anno 1682 juſſu Regis Ludovici XIV habita, in quibus plures ex Epiſcopis, & Clero ad reſtringendam romani Pontificis authoritatem quatuor Declarationis articulos confecere tantum non ab Innocentio XI, ut primum inaudierat, pro hæreticis damnatos. Hujus famoſæ Declarationis ſumma eſt: I. Eccleſiæ poteſtatem nullo modo, ne indirecte quidem ad temporalia ſe extendere, ita ut Principes in his nulli Eccleſiæ poteſtati divina ordinatione ſubjiciantur. II. Sic ineſſe S. Petri Succeſſoribus plenitudinem poteſtatis, ut ſimul valeant, immotaque conſiſtant decreta conſtantienſis Concilii Seſſ. 4 & 5, tamquam a Sede apoſtolica comprobata, ipſoque romanorum Pontificum & totius Eccleſiæ uſu confirmata; neque tantum pro ſchismatis tempore, ac dubio Papa exiſtente, ſed etiam uno Capite legitimo Eccleſiam gubernante. III. Apoſtolicæ Poteſtatis uſum eſſe moderandum per ſacros Eccleſiæ Canones, ac Mores, & Inſtituta Regni Galliæ. IV. In fidei quæſtionibus præcipuas quidem eſſe partes ſummi Pontificis, ejusque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi poſtquam Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

§. 2.

In ipſam hujus Declarationis originem indagare haud abs re fuerit Lectori veritatis ſtudioſo. Gravia tunc exarſerant Regem inter, & Pontificem diſſidia in cauſa Regaliæ ultra, quam par erat, per Galliæ provincias noviter extenſæ. Anno 1681 Pariſiis extra ordinem convocatus Cleri conventus, in quo res pro Rege deciſa aulici favoris gratia, etſi aperte contra libertatem gallicanam, univerſalis Concilii Lugdunenſis II. decreto firmatam, prout ſcilicet, quod dolendum, tantæ infirmitatis exempla haud infrequentia in Eccleſiæ Prælatis tam vetus, quam recens hiſtoria exhibet. Ex adverſo immo-

tus pro Eccleſiarum immunitate ſtetit romanus Pontifex, omnia ab Epiſcopis in cauſa Regalium acta nullius roboris, & irrita declaravit, modicam illis conſtantiam, nimiamque timiditatem, ſecus ac veterum Patrum exempla docerent, objiciens. Præſules gallicani ſequente anno iterum ad comitia convenientes, ut præviſa Vaticani fulmina vel averterent, vel hebetarent, poteſtatem Pontificis enervandam, vel ſaltem deterrendam prædicta ſua Declaratione cogitarunt, cui quidam ex illis id dandum politiæ rati, alii vero metu adacti ſubſcripſerunt. *)

§. 3.

Quantum ab avita Patrum fide hac Declaratione receſſerint Gallicani, ut antiquis oſtendam documentis, meus, quem intendo, ſcopus jam non permittit: id alia occaſione quam proxima Deo dante ſum præſtiturus. Ante me autem invicte præter alios Galliæ Doctores idem jam præſtitit doctiſs. Abbas Petitdidier in Tractatu theologico de *Authoritate, & Infallibilitate Pontificum*, ab Archiordinariatu trevirenſi, & duobus Gallis Theologiæ Profeſſoribus adprobato Luxemburgi anno 1624. Præterire tamen hoc loco non poſſum, poſt conſtantienſe Concilium adhuc ſeculi decimi ſeptimi initio ipſos Galliæ Præſules de pontificia Authoritate longe alia ſenſa foviſſe, ac publice declaraſſe. Ita anno 1626 generalia Cleri comitia in Epiſtola ad omnes regni Archi- & Epiſcopos ſtatuunt. „Magnum eſt te„ſtimonium amoris erga Deum, obſervare, & honorare eos, qui ſunt in „hoc mundo conſtituti, ut illum repræſentent, & loco illius ſint, homi„numque neceſſitatibus pro ſalute animarum viſibiliter præſint. Quod cum „ſit ſingulariter ſummis Pontificibus ſupra omnes Epiſcopos conceſſum; „plane convenit, hoc ſe inferiores agnoſcendo tantum illis honorem, ob„ſervantiam, & reverentiam exhibere, ut omnes reliqui iſtorum exemplo „idem faciant. Admonendi ſunt ergo Epiſcopi, ut S. Sedem apoſtolicam „honorent, & Eccleſiam romanam infallibili Dei promiſſione fundatam in „ſanguine Apoſtolorum, & Martyrum, Matrem Eccleſiarum, quæ, ut S. „Athanaſius loquitur, quaſi ſacratum Caput eſt reliquæ Eccleſiæ, a quo „ejus membra reguntur, cuſtodiuntur, conſervantur. Obſervent quoque „S. Patrem noſtrum Papam, ceu viſibile Caput univerſæ Eccleſiæ, Vica„rium Dei in terra, Epiſcopum Epiſcoporum, & Patriarcharum, uno „verbo S. Petri Succeſſorem, a quo Apoſtolatus, & Epiſcopatus originem „acceperunt, & ſuper quem Jeſus Chriſtus ſuam fundavit Eccleſiam, ei „tradendo claves cœlorum cum *infallibilitate fidei*, quam miraculoſo modo „videmus in ſuis Succeſſoribus usque ad hodiernum diem immobilem permanſiſſe.

*) Vide Fleur. contin. ad ann. 1681, & 82.

„manſiſſe. Et cum fideles Orthodoxi teneantur *NB. omnis generis obedien-„tiam* illis præſtare, ſanctisque illorum Decretis, & Statutis conformiter „vivere; Epiſcopi ſint admoniti, ut hanc continuari faciant obſervantiam, „& quantum in ipſorum viribus erit, reprimant incredulos (libertinos) „ſpiritus (les eſprits libertins) qui in dubium revocare, & minuere vo-„lunt ſanctam hanc, & ſacratam Authoritatem tot legibus divinis, & ec-„cleſiaſticis confirmatam: atque ut Epiſcopi aliis viam oſtendant, ipſi hac „obſervantia primi procedant.“

§. 4.

Nondum ejusdem Seculi dimidio ſua ſenſa Gallicani Patres mutaverant, cum in Epiſtola ad Innocentium X an. 1650 propter Janſeniſtarum turbas, & periculoſa molimina Epiſcopi 85 ita ſe exprimerent: „Majores „cauſſas ad Sedem apoſtolicam referri ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem „*fides Petri numquam deficiens* perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat. „Æquiſſimæ huic legi obſequentes — — Intercludendum autem penitus „ſperamus effugium, ſi ut precamur, Sanctitas tua, quid hac in re ſen-„tiendum ſit, clare, diſtincteque definiat.“ Ergo tantam adhuc in Pontificis definitione Authoritatem agnoverant, quæ effugium excluderet, effugium inquam poſtea primum excogitatum univerſæ Eccleſiæ conſenſum expectandi, quaſi iſthæc a fide Petri, hoc eſt, apoſtolicæ Sedis numquam deficiente aliena eſſe poſſet. Adhuc clarius, quis crederet! iidem Galliæ Epiſcopi, & Clerus an. 1653 emanata Pontificis conſtitutione reſcripſerunt. „Quo in negotio illud obſervatione dignum accidit, ut quemadmodum ad „Epiſcoporum Africæ relationem Innocentius, pelagianam Hæreſin damna-„vit olim, ſic ad gallicanorum Epiſcoporum conſultationem Hæreſin ex ad-„verſo pelagianæ oppoſitam Innocentius X authoritate ſua proſcripſerit. „Enimvero vetuſtæ illius ætatis Eccleſia catholica SOLA cathedræ Petri „communione, & authoritate fulta pelagianæ Hæreſis damnationi absque „cunctatione ſubſcripſit. Perſpectum enim habeat non ſolum ex Chriſti „D. N. pollicitatione Petro facta, ſed etiam ex actis priorum Pontificum „— — judicia pro ſancienda regula fidei a romanis Pontificibus lata ſuper „Epiſcoporum conſultatione, ſive ſuam in actis relationis ſententiam po-„nant, ſive non ponant, prout illis collibuerit, divina æque, ac ſumma „per univerſam Eccleſiam authoritate niti, cui Chriſtiani omnes ex officio „ipſius quoque mentis obſequium præſtare tenentur. Ea nos quoque ſen-„tentia, ac fide imbuti romanæ Eccleſiæ præſentem, quæ in ſummo Pon-„tifice Innocentio X viget, authoritatem debita obſervantia colentes.“ — Nihil clarius hac fidei ſuæ profeſſione, quam Galliæ Epiſcopi triginta circiter annis ante famoſam Declarationem fecerant; Eccleſiam catholicam *ſola* Cathe-

Cathedræ Petri communione, & authoritate fulciri, judicia a ſummis Pontificibus pro ſancienda regula fidei lata divina authoritate niti, queis ipſius mentis obſequium ab omnibus Chriſtianis debeatur, hoc eſt, eſſe infallibilia.

§. 5.

Quam ob rem poſterior Gallorum Declaratio, utpote priſtinæ fidei oppoſita authoritate deſtituta ſit, neceſſe eſt. Accedit, quod nec totus Galliæ Clerus huic Declarationi conſenſum dederit: namque ex centum triginta Epiſcopis, quot Gallia numerat, tantum triginta quatuor huic conventui intererant, ceteri non vocabantur omnes, & ab abſentibus deputati authoritatem nullam acceperunt, de quacumque fidei doctrina judicandi, ac definiendi. Hinc non ſine injuria toti Eccleſiæ gallicanæ hæc Declaratio imputatur. Quid, quod vel ipſa adeo Academia Pariſienſis teſte Hiacintho Serry Sorbonæ Doctore, qui circa id tempus licentiæ ſtadium decurrebat, in acceptandam hanc Declarationem non ſponte ſua conſenſerit, ſed vim non modicam paſſa ſit: Cum enim Præfectus Curiæ cum regiis Conſiliariis, & Procuratore generali ad Univerſitatem accederet, ut ſancitos doctrinæ articulos a Doctoribus accipi, & in publicas referri tabulas curaret; tanta ſunt orta diſſidia, ut re infecta redire debuerint. Poſt aliquot dies non expectata Magiſtrorum deliberatione, nulloque illorum aſſenſu quæſito in ſupremam Senatus curiam vocatus Academiæ Notarius, miſſisque inſcriptionis formulis Declarationem, ut ajunt, regiſtrare juſſus eſt. Quod vero poſtea Candidati pro Gradu theologico eosdem articulos in ſuis theſibus propugnarint, id nullo Sorbonæ ſtatuto factum, ſed in obſequium Regis, qui ſolemni edicto ad preces gallicani Conventus obtento ita mandaverat. Vide Billuartum *). Unde patet, quam tenax avitæ doctrinæ de pontificiis Juribus vel Academia adhuc an. 1682 fuerit.

§. 6.

Haud mirum igitur, tot tantosque adverſarios tam intra, quam potiſſimum extra Galliæ provincias in dictam Declarationem vix editam mox inſurrexiſſe certiſſimo argumento, priſtinam Catholicorum fidem fuiſſe contrariam: neque id diffitetur unus ex ejusdem conventus primipilariis, Gilbertus de Choyſſeul, Epiſcopus Tornacenſis in Proœmio Epiſtolæ ad Steyaertium: „Magna Gallorum catholicorum pars, ac totus, vel ferme „totus extra Galliam orbis chriſtianus contra ſentire videbatur.“ Ipſe cameracenſis Archiepiſcopus comitiis præſens teſtatus eſt, *ſe in ſententia contraria*

*) Curſ. theolog. T. 7. Diſſert. 4. Art. 5. §. 1.

Digitized by Google

traria educatum. Profecto grave bellum Declarationi gallicanæ indicebatur in Germania, Italia, Hiſpania, Belgio, Polonia, & Hungaria. Inter plurimos, qui calamum ſtrinxerunt Viros, eruditione, ac dignitate præſtantiſſimos duo erant Archiepiſcopi, unus Poloniæ Gneſnenſis, alter, cui nomen Georgius Zelepechimi, Strigonienſis, Hungariæ Primas. Is Synodo nationali hac ſuper re habita gallicani-Cleri decreta diſcuſſit, propoſitiones illas interdixit, proſcripſit, & prohibuit, *ut quæ chriſtianis auribus abſurdæ ac plane deteſtabiles, atque a Satanæ Miniſtris diſſeminatæ blanda pietatis ſpecie ſchiſmaticum virus inſtillent.* Ex doctoribus eminet Nicolaus du Bois primarius S. Litterarum in Lovanienſi Univerſitate Profeſſor, qui librum edidit ſub titulo: *Diſquiſitio theologico-juridica ſuper Declaratione Cleri gallicani*, in qua demonſtratum ibat ab Epiſcopis gallicanis minime fuiſſe Patres, & Canones, ad quos tamen provocarent, diſcuſſos, ſed ſimplici perſuaſione allegantibus creditum. Apud nos Germanos usque ad pauca abhinc luſtra communis ſententia de ſuprema Pontificis authoritate, & infallibilitate dominatum obtinuit. Verbo hæc erat doctrina *ubique recepta* pauciſſimis exceptis extra Galliam teſte Benedicto XIV in quadam epiſtola an. 1748, die 13 Julii.

§. 7.

Quam fortiſſime autem, & conſtantiſſime huic novitati ſeſe tota authoritate apoſtolica oppoſuerunt ſummi Pontifices. Innocentius XI per litteras in forma *Brevis* eodem anno 1682, die 11 April. datas omnia in gallicano Conventu acta reſcidit, & perpetuo irrita eſſe declaravit, nec ulli poſt hoc tempus a Rege ad Beneficium nominato confirmationis diploma conceſſit, adeo ut plus, quam triginta Eccleſiæ in Gallia ſuis Paſtoribus obeunte hoc Papa orbatæ eſſent. Hujus Succeſſor Alexander VIII ſolemniori conſtitutione, quæ incipit, *inter multiplices* an. 1690 eamdem Declarationem rejecit, & nullam eſſe coram Deo proteſtatus eſt. Innocentius XII a primis Pontificatus ſui auſpiciis omni niſu laboravit, ut injuria Sedi apoſtolicæ per gallicanos Articulos illata repararetur: propterea Epiſcopis a Rege promotis, qui illis Comitiis interfuerant, apoſtolicas Confirmationis litteras conſtanter denegabat, niſi prius Pariſini conventus decreta revocarent, quod & feliciter obtinuit. Plures quidem ex Epiſcopis acta in Comitiis privatim retractarunt, quos inter & Boſſuetus fuiſſe narratur, atque ex præclaro ſermone *de unitate*, quem in Epiſcoporum conventu habuit, plane credibiſe eſt. Hinc forſitan factum, ut a certis hominibus tamquam *romanæ Curiæ adulator* diffamaretur. Perdemiſſæ autem ſunt publicæ deprecantium, & revocantium litteræ ad Papam, quas alii ſuo ſaltem ſilentio adprobarunt, in quibus profitentur, „vehementer quidem, & ſupra omne id, quod dici poteſt, ex

O „corde

Digitized by Google

„corde dolere, ac quæcumque in præfatis Comitiis ſive circa eccleſiaſticam „Poteſtatem, & pontificiam Authoritatem decreta, ſive in præjudicium ju„rium earumdem Eccleſiarum deliberata, pro non decretis, nec deliberatis „habere, & habenda eſſe, ſerio inſuper ſpondentes, ſe ita in poſterum geſtu„ros, ut nihil penitus de vera eorum erga ſanctam Sedem obedientia, ac de„bito pro juribus ipſarum Eccleſiarum defendendis zelo deſiderandum ſuper„ſit.“ Ipſe Rex chriſtianiſſimus edictum ſuum antea pro Cleri Declaratione *politicis ex motivis* emiſſum nullius roboris fore miſſis Romam Litteris pollicitus, & publice teſtatus eſt. *)

§. 8.

Ut igitur hiſtoriam noſtris diebus tam celebratæ Declarationis gallicanæ a capite repetamus, ea ſane in ipſa radice ſua jam vitiata eſt, quippe ex politia humana, ex ſtudio complacendi, ex metu, aliaque paſſione profecta, nec doctrina etiam ſua antiquitati conformis, ſed vel apud Gallos novitia, atque a priſtina fide aliena, neque totius gallicanæ Eccleſiæ in ſancra Synodo deciſio, ſed paucorum, ſi cum abſentibus compares, in Comitiis opinio, non niſi per violentiam Sorbonæ obtruſa, a plurimis vero Orthodoxis tam intra Galliam, quam univerſum per orbem impugnata, rejectaque, a ſummis Pontificibus conſtanter reprobata, ab Epiſcopis, ſuis Authoribus revocata, ab ipſo demum Rege chriſtianiſſimo abolita, & annihilata. Hæc ſunt dictæ Declarationis natalitia, hæc fata, hic exitus tanto apoſtolicæ Sedi glorioſior, quanto ex ipſa oppugnatione veritas manifeſtior. Nec refert poſt retractationem Epiſcoporum adhuc in Gallia quatuor Articulos ab eruditis plerumque defendi: præterquam enim, quod a gallicis etiam Doctoribus iidem Articuli graviter ſint impugnati, parum nos movent facta hominum a norma legitimæ Authoritatis aberrantia. Non ii ſumus, qui Regulam ab hominibus, ſed a Regula homines dijudicemus.

§. 9.

Abſit autem, ut hiſtorica hac narratione noſtra quidquam atri ſtigmatis præſtantiſſimo Galliarum Clero inurere velle videamur. Inerrantiæ donum ex divina promiſſione ſolius apoſtolicæ Petri Sedis, ſeu romanæ Eccleſiæ privilegium eſt. Eorum etiam, qui lapſi in errorem ſunt, humana id fuit infirmitas, & conditio; reſipuiſſe autem ab errore, hæc virtus eſt, atque gloria. Incaſſum ergo gallicanæ Eccleſiæ doctrinam toties nobis FEBRONIUS deprædicat, qui peſſimus liber, non pœnitens Author, ab apoſtolica Sede, noſtraque Germaniæ Eccleſia, ſingulariter a præcipuis Imperii Archi-

*) Contin. Fleur. ad an. 1692, & 93.

Digitized by Google

Archiepiſcopis jam damnatus eſt *). Diſcant Febroniani vel a Galliæ Præſulibus, quanta ſummo fidelium Paſtori, Chriſtique Vicario reverentia ſit debita. Ex S. Avito vienneſi Boſſuetus Meldenſis laudato ſermone *de unitate* ſumme memorabile dictum adducit: *Dum Papa, & Caput omnium Epiſcoporum impugnatur, non unus ſolum Epiſcopus eſt, ſed totus univerſim Epiſcopatus, qui periclitatur.*

§. 10.

In laudem tantæ Eccleſiæ, qualis Gallicanæ eſt, recentiſſima quædam hujus primum ſeculi exempla proferam, quibus poſteriora illis elapſi ſeculi comitiis ſenſa ſua manifeſtavit. Cum anno 1706 occaſione Bullæ: *Vineam Domini* in Cleri conventu dictum fuiſſet, conſtitutiones pontificias tunc habere vim obligandi, poſtquam a corpore Paſtorum fuiſſent acceptatæ, hancque acceptationem fieri ab Epiſcopis per viam judicii; Clemens XI hac clauſula S. Sedis authoritatem violari conqueſtus eſt. Igitur anno 1711 data ad Papam epiſtola Galliæ Præſules ita ſe explicarunt, „per id „non ſe intellexiſſe acceptationem, quæ ſit *ſolemnis*, neque ut Epiſcoporum „conventus, velut *judex* conſtitutionum ſuo illas tribunali ſubjiceret, ſed „ut ſuæ doctrinæ conformitatem cum apoſtolica ſignificaret, ſimulque omne „Janſeniſtis effugium præcluderet.“ Quam optima hæc eſt Cleri gallicani declaratio, pontificiæ conſtitutioni Epiſcoporum acceptationem eſſe jungendam, non tamen *ſolemnem*, quaſi ſine hac authoritas ad obligandum fideles Pontifici deeſſet, aut hujus ſententia Epiſcopis quaſi ejusdem *judicibus* eſſet ſubjecta, quam ſuo judicio vel approbare poſſent, vel reprobare; ſed propter adverſarios ad ſuperandam eorum proterviam, ut tanto majore authoritate, vel externa apud homines obloquentium ora comprimantur, dum unacum capite membrorum, ſeu corporis conſenſum vident manifeſtatum, omni jam præcluſo humani prætextus effugio. Ita nimirum non *juris*, ſed *facti* neceſſitate ſæpe Concilia univerſalia convocabantur, ut totius orbis chriſtiani expreſſa condemnatio refragarios opprimeret tanto authoritatis viſibilis, atque externæ pondere, cui nemo hominum ſe opponere, & contradicere auderet, vel ſi quidam pauci id fuerint auſi, ob tantæ temeritatis notam apud omnes averſionem excitarent.

*) Weißmanns neue Bemerkungen über das Reſultat des Emſerkongreſſes 1788. S. 120.

§. 11.

Duo inſuper ſunt comitia Cleri gallicani ex noviſſimis temporibus inſigni præconio proſequenda. Anno 1728, die 8 Maji de epiſcopali poteſtate a Chriſto inſtituta Præſules ita loquuntur: „At Jeſus Chriſtus ipſe „ſua inſtitutione limites præſcripſit *huic poteſtati*, quam ſubjecit Sedi Pe„tri, in qua poſuit *plenitudinem* apoſtolicæ poteſtatis.“ Tam longe abſunt Galli ab hodierna Germanorum doctrina, omnes Epiſcopos æquales eſſe, & plenitudinem poteſtatis habere. Notandum pariter a Gallis non ſingulos quosque Epiſcopos; ſed ipſam epiſcopalem poteſtatem dici pontificiæ ſubjectam, quod vel pariſienſis ſcholæ doctrinam corrigere videtur: ſi enim ſuperiora ſunt Pontifice Epiſcoporum Concilia; tunc in his plenitudo poteſtatis eſt, non in illo: nec Petro ſubjecta eſt epiſcopalis poteſtas, ſed ille huic. Certe Chriſtus Dominus Apoſtolis, licet tunc eſſent in unum congregati, non mandavit regere Petrum; univerſim autem Apoſtolos Petro commiſit contra diaboli inſidias in fide confirmandos Luc. 22. In alio conventu anno 1761 gallicani Præſules de apoſtolica Sede hæc effantur: „Su„per hunc montem ſanctæ Sedis paſcimur & nos, ait S. Auguſtinus ad po„pulum ſuum, inibi nos vobis paſcua porrigimus, ſimulque accipimus. In „hoc loco Dominus docet, & ideo ſtatuimus verba Tertulliani uſurpantes „hic, nempe in romano Pontifice noſtram fidem obſirmare nullam aliam „fidem quærendo.“ Ita quod durius ad finem prioris ſeculi in comitiis gallicanis adverſus S. Romanam Sedem diffidiis tunc impellentibus actum eſt, hoc labente ſeculo ad antiquæ ſuæ gloriæ ſplendorem gallicani Præſules emendarunt.

§. 12.

Differentiam adhuc aſſignari oportet inter priſtinam ſcholæ pariſienſis doctrinam ſaltem in Eccleſia toleratam, & recentiorem Cleri declarationem tanta Eccleſiarum fere omnium perturbatione ortam, & conſtanti apoſtolicæ Sedis reniſu demum oppreſſam. Inde a conſtantienſi Concilio duce præcipuo Gerſone pariſienſi Cancellario Pontifex, ut *ſingularis* perſona, ſeu privata, ſeu etiam publica, ſcilicet tanquam *Sedens* ab ipſa *Sede* diſtinctus a quibusdam Galliæ Doctoribus, neutiquam vero univerſis, ſynodo œcumenica inferior credebatur in iis, quæ ad propriam ipſius hæreſin, ſeu ſchiſma, ſeu quodcumque grave ſcandalum ſpectarent. Hæc, inquam, opinio Gallorum de *ſingulari* Papæ perſona, prout, expreſſe Patres Conſtantienſes Seſs. 4, & 5 loquuntur: *Quicumque, etſi papalis dignitatis — obedire tenetur.* Hoc ſenſu in Gallia vulgo defenſæ binæ aſſertiones: *Papa inferior Concilio œcumenico*, veluti caput ſolitarie ſpectatum minus eſt toto collecto corpore. Hinc alteram deduxere: *Papa per ſe ſolum non eſt infallibilis,*

fallibilis, quippe qui a fide ad hæreſin deficere, atque vel ideo in fide ab univerſali congregata Eccleſia reformari poſſet. In hac opinione ſupremæ authoritatis, & inerrantiæ privilegium tantum *Sedenti in Cathedra Petri* denegatur, ipſi vero *apoſtolicæ Sedi*, hoc eſt, romanæ Eccleſiæ cum ſuo Capite, Petri Vicario conjunctæ nihil ſuæ prorogativæ derogatur, ſed potius publica Gallicanæ non minus, quam catholicæ Eccleſiæ profeſſione romana Eccleſia ſemper, & conſtanter agnita fuit *tamquam Mater*, & *Magiſtra omnium reliquarum, cui ex divina Chriſti inſtitutione in rebus fidei interna mentis obedientia debeatur.* Itaque cum univerſali conſenſu ſalva conſiſteret apoſtolicæ Sedis authoritas; inter ſcholaſticas opiniones illa de Sedentis minoritate, & fallibillitate tolerabatur. Quamvis enim communis Catholicorum extra Galliam ſententia eamdem rejiceret, utpote quæ aut aperte opponeretur, aut ſaltem violentiam inferret S. Scripturæ eloquiis, Ss. Patrum doctrinis, Conciliorum actis, & decretis, nec non totius Eccleſiæ fidei de Petri dignitate, & inde defluente Pontificis authoritate; ea tamen opinio non videbatur meram, puramque ſpeculationem egredi, nec in praxi pontificiæ authoritati quidquam detrahere, quippe cum fidei dogmata numquam per ſe *ſolos*, ſed ſemper cum romanæ Eccleſiæ conſenſu, ac antiqua fide ſummi Pontifices definiant.

§. 13.

At e contrario, quæ hactenus tantum inter ſcholaſticos diſputabatur opinio nulla cum authoritate publica, vel eccleſiaſtica, ea in conventu Epiſcoporum nunc declaratur gallicanæ Eccleſiæ doctrina per univerſale Concilium conſtantienſe definita *). Neque jam in ſola ſpeculatione hæretur, ſed vel maxime ad praxin reſpicitur, ut prævisum apoſtolicæ Sedis fulmen infringatur: propterea non ſolum Pontificis *perſonalia*, ſed & apoſtolicæ Sedis, id eſt, *romanæ Eccleſiæ* unacum Capite ſuo conjunctæ judicia ſuperiori quodam judicio reformabilia declarantur, eoque commentitio non tantum *collectæ*, ſed & *diſperſæ* Eccleſiæ, ſecus ac Patres conſtantienſes judicaverant **). Haud ſatis bene rem intelligunt, qui eamdem Eccleſiæ diſperſæ, quam collectæ authoritatem prætendunt: non enim de authoritate tantum, ſed de authoritatis exercitio hic quæritur, id eſt, de judicio uniformi totius Eccleſiæ, quo apoſtolicæ Sedis ſententia reformetur, quale judicium a Collecta ſolum, neutiquam vero diſperſa Eccleſia inſtitui, formari, & publicari poſſet. Quare ſi a conſenſu totius diffuſæ Eccleſiæ dando, vel

*) Baſileenſe, ne quidem quoad illas priorum Seſſionum aſſertiones, allegare gallicani Præſules audebunt.

**) Non verbis quidem formalibus ita declaratur, ſatis tamen aperte ipſo ſenſu inſinuatur.

negando decreta apoſtolicæ Sedis penderent, cum univerſalis hic conſenſus vix, aut ne vix quidem innoteſcere, imo numquam a refragariis poſſet obtineri; neceſſario divinæ fidei regula, Petri apoſtolica authoritate prolata nutaret, eoque amplius unitas in fide diſrumperetur, quo plures Eccleſias particulares error infeciſſet, neque ſolum *univerſalis*, ſed cujuslibet *ſingularis* Eccleſiæ judicio Pontificis ſententia ſubjiceretur.

§. 14.

Plerumque æquivocis verbis ludunt, qui Pontificem non in ſe ſolo, ſed tantum cum conſenſu Eccleſiæ infallibilem prædicant: nam inter duos extremos caſus, ubi vel *ſolus* ſit Pontifex contra totam Eccleſiam, vel cum Pontifice *tota* Eccleſia idem judicet, diſſimulare ſolent medium caſum, eumque frequentiſſimum, cum lite in Eccleſia orta, atque ſententia Pontificis lata pars *una* capiti conſentit *altera* diſſentiente. Duo illi extremi caſus ejusmodi ſunt, ut de poſteriori nulla ſit prorſus inter Catholicos controverſia: de priori, ſi tamen poſſibilis ſit, ex conſtantienſis Concilii decreto pariſienſis ſcholæ, ut placet, doctrinam eligas. De tertio caſu, eoque intermedio nihil Patres conſtantienſes ſtatuerunt: valet igitur antiqua fidei regula, quamlibet particularem Eccleſiam, ut catholica ſit, cum centro unitatis debere eſſe conjunctam. Quotquot in fide jam definita diſſentirent, illæ ab unitate corporis cum ſuo Capite ſe ſepararent, & Catholicæ eo ipſo jam non forent. Hæc, inquam antiqua fides, cujus profeſſio jam ſexto ſeculo a S. Hormiſda P. orientalibus Epiſcopis præſcripta, & ab iisdem ſubſignata eſt, *ſequeſtratos a communione Eccleſiæ Catholicæ*, id eſt, *non in omnibus conſentientes Sedi apoſtolicæ.*

§. 15.

Præſtat uberius, inde ab initio hanc memoratu digniſſimam fidei profeſſionem percipere a Joanne Conſtantinopolitano Patriarcha ad Hormiſdam Pontificem transmiſſam: „Prima ſalus eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & „a Patrum traditione nullatenus deviare, quia non poteſt Domini noſtri „Jeſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: *Tu es Petrus, & ſupra hanc* „*Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede apoſtolica inviolabilis ſemper catholica cu„ſtoditur Religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, & Patrum „ſequentes in omnibus conſtituta anathematizamus omnes hæreſes — — „Quapropter ſequentes in omnibus Sedem apoſtolicam, & prædicamus om„nia, quæ ab ipſa decreta ſunt, & propterea ſpero in una communione „vobiscum, quam apoſtolica Sedes prædicat, me futurum, in qua eſt in„tegra religionis, & perfecta ſoliditas: promittentes in ſequenti tempore

“ſequeſtra-

Digitized by Google

„ſequeſtratos a communione Eccleſiæ catholicæ, id eſt, in omnibus non „conſentientes Sedi apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda „myſteria. — — Huic vero profeſſioni ſubſcripſi mea manu, & direxi „perſcripta tibi Hormiſdæ, Sancto & Beatiſſimo Fratri, & Papæ magnæ „Romæ." In hanc catholicæ fidei profeſſionem annotatio authoris, qui vulgo Boſſuetus dicitur *), æque memorabilis eſt: „Omnes ergo Eccleſiæ „ſubſignata formula profitebantur romanam fidem, Sedis apoſtolicæ, & Ec„cleſiæ romanæ fidem integra & perfecta ſoliditate conſtare, ac ne um„quam deficiat, certa Domini pollicitatione firmatam. Nempe hanc fidem „ab Epiſcopis ad Metropolitanos, ab his ad Patriarchas, a Patriarchis ad Pa„pam mitti oportebat, ut omnium confeſſionem unus exciperet, ac pro con„feſſione fidei communionem omnibus, unitatemque rependeret. Hanc pro„feſſionem eodem initio, eadem concluſione, additis ſubinde hæreſibus, atque „hæreticis, qui ſuis temporibus Eccleſiam conturbaſſent, per ſecuta ſecula „frequentatam ſcimus. Hanc uti S. Hormiſdæ Papæ, ſanctoque Agapeto, „ac Nicolao I. omnes Epiſcopi fecerant, ita iiſdem verbis Adriano II. Papæ, „Nicolai Succeſſori factam in Concilio VIII. œcumenico legimus. Hæc ergo „ubique diffuſa, omnibus ſeculis propagata, atque ab œcumenico Concilio „conſecrata quis reſpuat Chriſtianus?" Utinam author ille hæc ſua verba, id eſt, hanc catholicæ fidei profeſſionem ſemper in memoria tenuiſſet!

§. 16.

Satis aperte nunc ex §§. 12, & 13 differentia apparebit inter priorem pariſienſis ſcholæ opinionem, & recentiorem conventus gallicani declarationem ab Eccleſia jam reprobatam, & ab ipſis Galliæ Epiſcopis ſumma ſui laude revocatam. Ceterum cum gallicana Declaratio hodiedum ſuos jactatores inveniat, hiſtoricum hoc caput, quod veluti εισαγωγικον ad criticam noſtram diſquiſitionem præmiſimus, haud melius, quam cum doctiſs. Fleurii Continuatore concludi poſſe videtur: „Ergone triginta ſeptem Epiſcopi, qui ſuæ „revocationi ſubſcripti leguntur, minoris ſunt authoritatis, quam triginta „quatuor illi Præſules, qui Declarationem approbarunt? nec hucusque Eccle„ſia comitiis Cleri Gallicani attribuit Synodi authoritatem, nec etiam ceteri „Epiſcopi contra horum palinodiam tum reclamarunt. Eſto, quod *poſtea* ali„qui has ſententias ſecuti ſint; ſemper tamen verum eſt, eos a Rege & Clero „fuiſſe revocatas & ab omnibus ſaltem ſilentio, tacitoque conſenſu hanc revo„cationem approbatam: nec Parlamenti authoritas in rebus ſacris Epiſcopo„rum ſententiæ, ac judicio prævalebit, nec quorumdam Præſulum propoſitio„nes Eccleſiæ authoritatem ſibi vindicabunt, utpote quæ ortum habuere in „privato

*) Defenſio Declarat, conv. Cler. Gallic. lib. 10. cap. 7.

Digitized by Google

„privato conventu, in quo Parlamenti imperium præſedit, terror ſuffragium „tulit, adulatio decidit, & complacendi ſtudium ſubſcripſit. *)

CAPUT II.

An magnus Boſuetus Defenſionis Autor?

PARS I.

Criteria externa.

§. 1.

Eadem Fleurii continuata hiſtoria ab authore Anti-Janſeniſticarum partium haud ſuſpecto filum mihi præbet ad alterum hoc Caput criticæ diſquiſitionis, quo Patre liber ſit editus, *Defenſio Declarationis Gallicanæ?* „Jam „a longo tempore (verba ſunt laudati Continuatoris **) *parvæ*, ut ſe vocant, „*Eccleſiæ* Theologi, ſeu Janſeniſtæ ultrajectini deſperatæ ſuæ cauſæ patroci„nium, opemque quærebant in dolis, atque impoſturis: toti in eo erant, ut „factionem ſuam non modo ſectariorum numero, ſed & virorum illuſtrium au„thoritate famoſiorem redderent ***): eo fine in cenſum ſuum revocabant Car„dinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ac maximi nominis Principes, quos „ſibi, ſuisque commentis faviſſe fingunt, in vulgus ſpargunt, atque ementi„to eorum nomine libros, quos tamen ipſi in Hollandica ſua fabrica procude„runt, proterve eis adſcribunt. Cujus fraudis ſpecimen eſt liber *contra Re„galia Apoſtolicæ Sedis* Hollandiæ impreſſus, quem ſub nomine Guilielmi Car„dinalis du Bois Cameracenſis Archiepiſcopi poſt ejus obitum typis edidere „illumque, dum adhuc viveret, Janſeniſtis, atque appellantibus ſtrenue „patrocinatum fuiſſe, falſo jactarunt." Plura ſunt, bone Lector, quæ tibi in hoc hiſtorico exemplo ad Janſenianæ factionis fraudes detegendas velim annotes. 1. Ultrajectini ſunt iſti malarum artium fabricatores: 2. ementito magnorum virorum nomine ſubpoſititios libros procudunt in fabricis Hollandicis: 3. ope controverſiæ in Gallia ortæ *de Regalibus* inviſam reddere Sedem Romanam ſtudent, & 4. ejus authoritatem deprimere ad patrocinandum *Appellantium* cauſæ. Similia illius temporis veſtigia ſi inveneris, ad eumdem ſcopum tendentia; næ tu merito Janſenianam impoſturam ſubodoraberis.

§. 2.

*) Ad an. 1692, §. 37. **) Ad an. 1730.

***) Iſti Janſeniſtæ, ſeu potius Queſneliſtæ jam non tantum circa ſat notas illas quinque aſſertiones errabant, ſed potiſſimum Duce ſuo Queſnello Romanæ Sedis, a qua damnati fuerant, calcaneo inſidiabantur. Vide præſtantiſſimos Commentarios Balleriniorum in Opp. S. Leonis.

Digitized by Google

§. 2.

Aliud exemplum quæſtioni noſtræ adhuc conformius, ac veluti ovum ovo ſimillimum eadem ſuppeditat hiſtoria eccleſiaſtica *) ex duorum Galliæ Epiſcoporum, Rupellenſis, ac Lucionenſis Paſtorali epiſtola, qua fideli ſuæ plebi peſſimum dolum Quesnelliſtarum detegunt, qui ut damnatas Quesnelli *Reflexiones morales in N. T.* authoritate viri non ſolum apud Gallos, ſed & exteras nationes ſumme æſtimati defenderent, BOSSUETI Meldenſis Epiſcopi, quem jure Merito *Magnum* dixeris, nomen mentientes librum divulgarunt *Defenſio Reflexionum in N T.* Hic liber aut falſo Meldenſi ſuppoſitus, prout viris doctis jam viſum, aut certe ab ipſo authore mutata ſententia eſt reprobatus, hinc mala fide a Janſeniſtis, tamquam ultima Boſſueti ſenſa referens, procuſus, prout allatis documentis duo Galliæ Epiſcopi demonſtrarunt. Si quid jam Juriſtarum valet regula, *Semel deprehenſus centies reus:* ſiquid phyſicum Newtoni axioma valet, *Ex ſimilitudine effectuum ad ſimilem cauſſam eſſe concludendum*: ſine temeritate praejudicare licebit, quid de libro ſentiendum BOSSUETI nomen praeferente, *Defenſio Declarationis Gallicanæ*, qui liber mortuo Boſſueto viginti ſex abhinc annis non Pariſiis, ſed Luxenburgi, niſi is ipſe locus impreſſionis ſit fictus, verius Baſileae, aut Genevae primum a. 1730 prodiit; poſtea vero, cum vel ipſe Boſſuetus vulgo Trecenſis prioris Nepos eumdem ut genuinum nollet agnoſcere, poſt hujus quoque obitum multis cum mutationibus, & additionibus ſine editoris nomine Amſtelodami an. 1745 recuſus eſt. Haec licet fortia fraudulentae ſuppoſitionis praejudicia longe fortioribus adhuc hiſtoricis aeque, ac criticis roborantur argumentis.

§. 3.

Et certe, ſi primam illam de an. 1730 editionem ad incudem velimus revocare; ea, ex quo viſa eſt, jam nullam apud Gallos fidem invenit. Cum enim Montipeſſulanus, & Senecenſis Epiſcopi ad eamdem provocarent, illis Ruthenſis, & Maſſilienſis, nec non & Lugdunenſis Archiepiſcopus varias dubitandi rationes, an genuina ſit, inſuper & contrariam exemplaris in Regia Bibliotheca cuſtoditi lectionem oppoſuerunt. Quid de hoc Regi Galliae tradito exemplari manuſcripto ſit judicandum, brevi poſtea ex dicendis apparebit. Interim quod hac in re ſummi ponderis eſt, ipſe Trecenſis Boſſuetus, qui inter alia ſui Patrui manuſcripta jure haereditario etiam hoc opus apologeticum Gallicanae Declarationis acquiſiverit, contra factam publicationem in epiſtola an. 1735 die 31 Auguſti ſcripta proteſtatus eſt, *ſe nullam, nec minimam quidem habere partem vel in hujus Defenſionis publicatione, vel in ejusdem Gallicana translatione.*

§. 4.

*) Ad an. 1711. §. 17.

Digitized by Google

§. 4.

Sed & altera poſterior editio, quae Amſtelodami primum anno 1745 mortuo jam Trecenſi Boſſueto lucem aſpexit, ab ipſis ſuis natalitiis omnem jam fidem perdidit; quippe cum certo conſtet eam, niſi Janſenianus fœtus ſit, ſaltem obſtetricantibus Janſeniſtarum manibus jam in partu ſuo deformatam, ſeu adulterat.m fuiſſe, Atque inprimis ipſum Manuſcriptum vel ex ſola Trecenſis Boſſueti manu, per quam tranſiit, maculam contraxit: ille enim Epiſcopus dudum a viris doctis accuſatus fuit, pro ſua cum Janſeniſtis intima familiaritate ſub ementito Meldenſis nomine plures libros (forſitan & illum pro Queſnello apologeticum) Janſeniſmi plus redolentes, & a compluribus Galliae Epiſcopis damnatos in vulgus ſparſiſſe. Quid, quod proprium ejusdem nomen praeſeferens liber jam nigro carbone Romae ſit notatus, & inter prohibitos decreto pontificio die 7 Octobr. anno 1746 rejectus? *) Gallicana Queſnellianae factionis hiſtoria nos docet, hunc Trecenſem Epiſcopum ſe ſocium junxiſſe Antiſſiodorenſi, aliisque ſectariis Epiſcopis ab ipſo Galliae Clero, ac Rege reprobatis, qui ſub ſpecioſo praetextu regia jura defendendi officium S. Gregorii VII impugnarunt, hanc occaſionem captantes adverſus conſtitutionem *Unigenitus* impune inſurgendi. **)

§. 5.

Nec opus eſt, ut multum extera facta inquiramus ad cognoſcendum Trecenſis illius caracterem; quam verſipellis homo, & prodendæ veritatis, quam tuendæ ſtudioſior fuerit, ipſius propria, quantum colligi poteſt, ad Janſeniſtam familiariter ſcripta, & Præfationi in Defenſionem Declarationis incaute p. 43. inſerta epiſtola teſtatur, ubi notum ſibi, ſed mundo incognitum hujus operis Editorem, ut cœptum ſuum propoſitum compleat, animans ait: „Huic operi totam meam authoritatem adponam, ſi „id licuerit, & per ſuperiores Poteſtates non impediar, id quod a circum- „ſtantiis temporum dependebit, & diſpoſitione capitum ac cordium.“ Itane veritas loquitur, & ſinceritas? quam indigna hæc vox Epiſcopo, in re tam gravi, ubi de catholica agitur doctrina, ſuam interponere teſtandi authoritatem *dependenter* a circumſtantiis temporum, & diſpoſitione animorum & affectionum! Non niſi fraus ſibi conſcia mali tam timido pede incedit. Quid eſt vero, quod a ſuperiore Poteſtate ſibi timeat Trecenſis Epiſcopus, ſi teſtimonium ſuum libro adjunxerit, cujus exemplar manuſcriptum, prout in paſtorali inſtructione publice aſſerit, manibus Regis com-

*) Projet de Repoſe à M. de Tencin Archevêque d'Embrun,
**) Contin. Fleur. ad an. 1730. §. 65.

Digitized by Google

commiſerat? Quid, inquam, timendum, niſi ſi forte publicandum opus, & epiſcopali teſtimonio confirmandum a manuſcripto Regi tradito, prout inconſtans mendacium eſt, diſſenſerit?

§. 6.

Haud iſtud per me ſuſpicari auſus fuiſſem: nunc vero, quod vix credibile, ipſe *Defenſionis* Editor Trecenſi familiariſſimus in Præfatione gloriatur, *ſuæ fidei* Meldenſis Boſſueti αυτογραφα commiſſa. Item p. 33 ait: „Trecenſis Epiſcopus Præviæ Diſſertationis participem fecit prorſus neminem, *NB.* non ipſum Ludovicum Magnum, cui *propter cauſas nobis incognitas* dederat Defenſionis id exemplar, quod erat prioris tantum recognitionis, non dederat additamenta multa, quæ in codicibus ultimæ „recognitionis authoris manu ſcripta erant. Nos primi omnium ſumus, „qui hanc Diſſertationem legimus, quam ultro divulgamus." Hucusque Præfator: nunc maxime obſervandum eſt, hanc præviam Diſſertationem, uti ab Editore vocatur, quæ Regi Galliæ exhibita non eſt, eamdem eſſe, quam Meldenſis ex toto opere *ſolam* in ultima reviſione ac correctione probavit, & retineri voluit, ſub titulo *Gallia orthodoxa*, certa omnia apud ſe ipſum retractavit, & ſubprimi juſſit. Id expreſſe teſtatur M. le Dieu, qui Meldenſi Boſſueto fuit a Secretis, in Diario, in quo ſic legitur: "Le 22 Septembre 1701 M. de Meaux m'a demandé ſon traité *De* „*eccleſiaſtica Poteſtate*, dont il a ſeulement retenu les premiers livres de la „derniere reviſion, & correction ſous le titre de *Gallia orthodoxa*." Iſti tres primi libri poſtrema authoris correctione unice retenti teſte Editore *) ſunt ipſa *Prævia Diſſertatio*. Quis jam non perfidiam Trecenſis agnoſcat & abominetur, qui Regi ſuo ceu Meldenſis Epiſcopi vera & genuina ſenſa poſtumum opus tradidit ab ipſo authore retractatum, & ſubprimi juſſum, aliud vero Authoris ultima cura emendatum Regi abſcondit!

§. 7.

Amplius ex ipſo Editore tam illa Trecenſis, quam ſua ipſius perfidia elucet. Enimvero utriusque mala fides ex eo ſe prodit, quod ambo M. Boſſueti nomine *Defenſionem Declarationis Gallicanæ* divulgarint, quam ille adeo in publicam lucem emittere non voluit, ut ex reverentia erga apoſtolicam Sedem expreſſe illam omittendam declararet, & ſolum Pariſienſium priſcam doctrinam, utpote in Gallia civitate jam donatam, defenderet orthodoxam: *Abeat Declaratio*, inquit **), *quo libuerit: non enim eam*, *quod*

*) Præfat. p. 31. **) Præf. Diſſert. §. 10.

Digitized by Google

quod ſæpe profiteri juvat, tutandam hic ſuſcipimus. Equidem Boſſuetus fervente adhuc Gallorum cum Romanis diſcordia Regis juſſu pro ipſius Declarationis defenſione quædam aut in unum conſcripſerit: aut pro more ſuo in ſparſis ſchedulis annotaverit; at certe ſedatis poſtea animorum motibus, ac veritate tranquillius ponderata in ſcriptis ſuis multa ipſe correxit, multa delevit, in ſpecie omnia omitti voluit, ſi umquam talia conſcripſit, quæ adverſus S. Gregorium VII toto libro quarto *Defenſionis* occurrunt, quod vel ipſe Editor Præf. p. 28 confitetur. Et hæc quidem ultima Meldenſis conſilia, unde, ut verbis Editoris utar, Præf. p. 33 „videre jam poſſis eum „magnum virum non recuſaſſe, quin opus ſuum totum retractaret eam unam „ob cauſam, ne concordia Gallicanæ Eccleſiæ cum Romana læderetur.“ Quare ergo in impreſſo non ea indicata, quæ in manuſcripto tam copioſe correcta? quare deleta ibi, non hic, omiſſa? Falſi per ſe ipſum convictus eſt Editor, dum quod modo p. 33 de retractatione ultima faſſus eſt, ſuperiori p. 32 negare contendit, ſuam editionem correcto difformem purgare cupiens, „quaſi nihil inde publicæ utilitati periret, neque illuſtr. Au„thor res alias fuiſſet dicturus, aliamve doctrinam ſecuturus.“ Falſum hoc, quia ultimo conſilio vere retractavit Boſſuetus: falſum inſuper nonniſi titulum operis immutatum fuiſſe, nam integrum fere opus, primis nempe exceptis libris, deletum: falſum etiam in contextu facile poſſe verbis *Declaratio Cleri Gallicani* alia ſubſtitui *Pariſienſis priſca doctrina*: ita enim ſæpe numero ſoli Declarationi textus eſt *in Defenſione* proprius, ut nequeas illum priſtinæ ſcholarum quæſtioni aptare, niſi illud Horatii velis in te exprimere:

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi — velit — —

§. 8.

Falſarius ille Editor ultrajectinus ſatis ſe Janſeniſtam manifeſtat cum importunis ſuis laudibus in Arnauldum extra locum effuſis, quem in Præfatione, & notis libri ſæpe, ſemperque glorioſe commemorat, tum vero præcipue, qui mos eſt iſtorum ſectariorum, falſa verborum dulcedine erga apoſtolicam Sedem, quam per cuniculos blandiendo infeſtant, atra tamen bile non raro erumpente. Sic Præf. p. 22 Theologos, ac Canoniſtas belle admonet, *ne dum Curiæ Romanæ errores confutant, ſummum Pontificem laceſſant.* Ipſe vero mox p. 23 ſumma ſcilicet ſua moderatione Romanos arguit Pontifices, *qui*, ut ait, *non modo errabant, ſed in errorem ſuum trahere Eccleſiam conabantur, cum decreta quædam dogmatica a veris dogmatibus omnino aliena ederent, quæ ſuæ Sedis authoritate munirent, nec eis eſſet*

pudori

pudori errorum fieri doctores. Item p. 32 erga ſummos Pontifices, ut Catholicum decet, ſuam reverentiam profitetur, & optat, ut Epiſcopus Meldenſis romanæ Curiæ maxime indulſiſſet; nihilominus ultimæ correctionis formam ex reverentia romanæ Sedi debita a Meldenſi factam prætermittit, & ab Authore retractata, novis etiam ex ſe additis, ad calumniam Pontificum typis publicat. Eadem pag. mentitur ſe ſui muneris arbitratum fuiſſe, *nihil operæ ſuæ ad M. Boſſueti, operam admiſcere, non modo ejus tractatus formam non mutare, ſed ne verbum quidem addere, vel retrahere.* Eodem tamen oris hiatu fatetur non ſe exhibere ultimam formam operis, quam ſibi illuſtr. Author *propoſuerat*, ſcribere debuiſſet: actu jam *correxerat.* Præterea qui autographis non verbum addere, vel detrahere pro lege ſibi ſtatuit, unde tantum ſenſerit pondus in paranda editione, ut tanti oneris mole gravari vereretur, & in alios viros laborem cuperet transferre, niſi mandatum Trecenſis Epiſcopi, quem ſumma reverentia coleret —? p. 40. Noſtin ex cantu avem, ex ungue leonem?

§. 9.

Verum & apertius odii ſui venena adverſus apoſtolicam Sedem evomuit, quam ſat noto artificio ſub nomine *Romanæ Curiæ* turpis commercii accuſavit, ut ſibi in malæ cauſæ patrocinium copias compararet Defenſorum, quos præmiis corruperit *oblata nimirum Cardinalatus dignitate* Præf. p. 2. Hac ſordida via Duumviros præſtantiſſimos, eruditionis æque ac pietatis laude eminentes, optimeque de Chriſti Eccleſia, dum viverent, meritos, Daguirreum, & Sfondratum ſibi Purpuram acquiſiviſſe calumniatur, nihil aliud afferens ad aliquem ſuæ calumniæ prætextum, niſi quod, tanti viri cum eſſent, publicis, iiſque doctiſſimis ſcriptis Gallicanæ Declarationis novitatem impugnaſſent. Neque etiam Sancto in cœlis Pontifici Gregorio VII ſuis conviciis pepercit, cui p. 28 *inauditæ audaciæ, & arrogantiæ* crimen ac ſcandalum *infirmorum animorum* intentari non eſt veritus. Hoc loco mihi in memoriam revocantur ea, quæ duo Galliæ Epiſcopi an. 1711 in ſua inſtructione Paſtorali ad utrumque Clerum, populumque ſcripſerunt de Janſeniſtis, dum falſo Boſſueti nomine *Defenſionem Reflexionum Queſnellianarum* publicarent. „Sic ſæpe divina permittit Provi-„dentia, ut hæretici infamiæ notam ultro ſibi inurant, & quaſi dedita ope-„ra id agant, ut homines perditi, atque impudentes ab hominibus habe-„antur.„

§. 10.

Si talia auſus eſt convitiator ille, *Defenſionis* Editor contra Eccleſiæ Romanæ purpuratos Cardinales, contra ſummos Chriſti Vicarios, etiamſi

Digitized by Google

cum Chriſto in cœlis jam regnantes; quid mirum, quod alios viros cauſſæ ſuæ adverſarios, etſi & ipſos dignitate, vel eruditione ſummos impudenti calamo inſectatus fuerit? — De Stringonenſi Archiepiſcopo, & Hungariæ Primate Præf. p. 4. ſcribit, quod *turbæ tam contemtæ ſe adjungens* (duos Doctores Lovanienſes - & Marchionem de Sarreto intelligit) *ultramontanis opinionibus plenus in medium proſilierit*: tum vero *Strigonienſes nugas, & injurias* vocat eam cenſuram, quam Archiepiſcopus, & Primas Hungariæ in Concilio Nationali tulit, cenſuram, non ita ut protenditur p. 5. ſempiterna oblivione deletam. D. Charlas natione Gallum, & eruditione clariſſimum p. 7. arguit, quod eam defendat cauſſam, quæ *niſi malis artibus* defendi non poſſit, & nemini dubium vult eſſe, *quin ille fucum facere voluerit imperitis, & vana eruditione, ſpecioſisque ſermonibus Romanorum aures permulcere*. De Bellarmino, aliisque, quos Gallicana doctrina nacta eſt adverſarios, hæc habet p. 8: *Quam facile eſt videre eos ingenio ſuo nequiter abuti, & fidem publicam, religionemque ipſam violare!* A doctiſſimo P. Gonzalez conſcriptum p. 9 vocat *levis armaturæ opus, res ejus inutiles, & argumenta quo ſubtiliora, eo abſurdiora*. Roccabertum Archiepiſcopum Valentinum p. 11 honorifice, ſi placet, nominat *tam confuſum Scriptorem, quam fraudulentum Diſquiſitorem*. Demum p. 18 Boſſueti patientiam, & moderationem erga tantos viros, quantos vidimus, Declarationis Gallicanæ impugnatores mire commendat hisce verbis: „Poterat nullo „labore eos *furioſos* proponere omnium virorum doctorum *irriſioni ac con-* „*temtui*, qui non minus abſurdis, quam falſis de Papæ dominatu, & infal- „libilitate doctrinis ejus veram poteſtatem, & in docendo authoritatem la- „befactabant, Eccleſiæque ipſius ſtatum, & antiquum ordinem convulſum „ibant. "

§. 11.

Ita ſi ex tripode pronunciare licet, omnesque ſuos adverſarios conviciis oneratos dimittere; facile eſt pæana canere, ſed forſitan ſine triumpho. Sane quisquis fuerit ille haud ſatis conſultus *Defenſionis* Editor, pluribus in locis ſuæ Præfationis contra ſe ipſum ſententiam dixit pag. 12. „Ejus- „modi homines, quos præterita ſecula non paucos tulerunt, noſtra ætas par- „turit non minus multos, qui, quos ad obſequium cogere non poſſunt, ty- „rannorum more opprimant, controverſiæ cauſſas non dirimant, ſed gig- „nant jurgia, veritatem non illuſtrent, ſed obſcurent." — Atque iterum pag. 19.: „Famæ ipſorum ſuæ illi Authores male conſulunt, qui ne ſua „ſcripta langueant, adverſarios ſuos dicteriis, & maledictis inſectantur. — „Hodierni ſunt quidam Theologi, quos ſcribere iracunde, paginæ ipſorum „ſingulæ docent, & injurias potius ſuas ulciſci, quam pro veritate certa- „re.

Digitized by Google

„re. Nam quid eos cenſemus, quos ſæpe videmus adverſariorum ſuorum „dicta in pejorem partem interpretari, errores affingere, qui ex eorum „ſcriptis non ſequantur, eorum peccata, ſi qua deprehendunt, exaggerare?" Quid vero, ſi id Quesnelliſtarum more adverſus unctos Domini, ſummos Sacerdotes, & ipſum ſupremum Chriſti in terris Vicarium temerario auſu moliantur? *Ex ore tuo te judico.* —

§. 12.

Quod demum ad penitius dignoſcendum Editoris characterem adhuc ſingulariter noſtram reflexionem meretur, iſtud eſt Præf. p. 7 aſſertum, doctrinam Gallicanæ Declarationi oppoſitam, quam ipſe fatetur *non modo cum Romanis ingeniis eſſe natam*, *ſed etiam aliquod fundamentum habere in ipſa veritate*, quam veluti pro aris, & focis Hiſpaniæ, Poloniæ, Hungariæ, & ipſius Galliæ Archi- & Epiſcopi habitis etiam in Synodis defenderunt, quæ apud nos Germanos uſque ad dimidium labentis ſeculi pleno jure dominata eſt, quam tres ſummi Pontifices, Innocentius XI, Alexander VIII, Innocentius XII *continua ſerie* conſtanter ita aſſeruerunt, ut contrariam proſcripſerint, & repudiarint, eamque demum ipſi Galliæ Præſules revocarint, hanc *communem* certe Catholicorum doctrinam, ne *univerſalem* dicam, NON NISI MALIS ARTIBUS DEFENDI POSSE. Hic certe ſermo catholici hominis non eſt, eſſe non poteſt: cujus ergo? — Nativitas partus prodit Patrem, ſeu ſi malis, Matrem, ultrajectinam Sectam. Quid jam amice Lector! de hoc libro, quid de libri Editore cogitas, quem conſtat Catholicum, licet forſitan nomine, non tamen revera fuiſſe, ſed apoſtolicæ Sedis inimicum, qui jam convictus eſt falſarius in eo, quod M. Boſſueti nomine librum divulgaverit ab ipſo Authore *retractatum*, quaſi *non retractatum*? Quid non de ipſa prævia Diſſertatione, ſeu primis tribus libris præſumendum vel ſolum ideo, quia per infeſtas hominis hæretici manus tranſierunt? Quam *malæ fidei* a Trecenſi Epiſcopo commiſſum eſt opus! opus, quod ipſe, dum adhuc viveret, in publicum emittere non eſt auſus, quod primum poſt hujus obitum non in Galliis, non ab homine probatæ fidei, & apertæ frontis, ſed apud exteros fidei, tecto Editoris nomine Amſtelodami emiſſum eſt.

§. 13.

Equidem, quod neceſſe eſt facere impoſtorem, ad manuſcriptos codices autographos Editor appellat, quos aſſervari ait p. 40 futuros aliquando, ſi opus fuerit, ſuæ incorruptæ diligentiæ ſinceros teſtes. At ubinam terrarum aſſerventur, tam doloſo reticuit, quam ſuum ipſius nomen, patriam, habitationis locum, Religionem. Quænam ergo huic homini incognito fides,

des, ſi vel ipſum Regi Galliæ ab Epiſcopo Trecenſi traditum exemplar, ut ſupra §. 5., & 6 vidimus, genuinum non eſt? Enimvero haud temere ſuſpicari poſſumus, imo & prudenter debemus, ab homine hoc inimico etiam veris M. Boſſueti ſcriptis, ubicumque occaſio ferebat, ex malo, ac peſtifero corde ſuo virus fuiſſe inſperſum. Atqui hoc ipſum manifeſtum fit ex internis, ut ajunt, criteriis, quod ſequenti adhuc Capite demonſtrabo *Defenſionis* librum in ſe ipſo non nihil ſcrutaturus, & cum certe genuinis M. Boſſueti ſcriptis comparaturus, ex qua palpabili differentia non ſolum, ſed & oppoſitione apparebit illius libri authorem juſto titulo cum doctiſs. P. Zacharia in Antifebronio vocandum eſſe *Pſeudo-Boſſuetum.*

CAPUT · III.

An M. Boſuetus Defenſionis Autor?

PARS II.

Criteria interna.

Evolventi mihi, & ſolertius exploranti integros duos tomos *Defenſionis* a. 1745 Amſtelodami excuſæ, ad evidentiam uſque ipſius Præfatoris, ſeu Editoris veſtigia fuere obſervata, ut nihil de Notis dicam, operi adjectis, iisque non raro aperte Janſenianis. Bellam hujus Authoris, quisquis is fuerit, imaginem doctiſs. Cartier depinxit *): „Hæc nempe ſolida illa argumenta ſunt, quibus *Defenſionis* Author totum negotium perficit. „Quid enim præcipua hiſtoriæ eccleſiaſticæ monumenta huc pertinentia partim ab ipſo prætermiſſa, partim male, & oſcitanter dumtaxat prolata, niſi „ignorantiam; quid detruncata, aut a nativo ſenſu in alienum, & improbandum detorta Conciliorum, Patrumque teſtimonia, contradictiones ſatis frequenter immixtæ, niſi mendacium, & impoſturam; quid denique injuriæ, „ac probra in quosvis pietate, ac doctrina conſpicuos viros jacta, niſi maledicentiam produnt? Hæc ſi libro ademeris, omne robur ei detraxiſti, ut „qui non niſi hujusmodi firmetur.“ Quamobrem ut hanc veluti tabulam membratim ſpectandam Lectoribus proponam, operæ pretium duxi, hoc præcipuum Caput in ſpeciales Articulos dividere, exhibiturus 1mo Authoris in Viros bene meritos, ſummosque Pontifices maledicentiam: 2do contradictiones haud infrequentes: 3tio malas artes circa ſtatum quaeſtionis, item in argumentando, & reſpondendo: 4to Sacrae Scripturae & ſanctorum Patrum

*) Authoritas, & infallibilitas SS. Pontificum in Præfat.

Digitized by Google

trum detortas interpretationes: 5to Pontificum, & Conciliorum falſificationes: 6to demum, quod totius operis propoſitum eſt, authoritatis apoſtolicæ Petri Cathedræ, imo & catholicæ Eccleſiæ ſubdolam infeſtationem.

ARTICULUS I.

Maledicentia Authoris.

§. 1.

Sicut larvatus ille Boſſuetus incipit a conviciis, in viros laude digniſſimos effuſis, ita ab iisdem tantum obiter commemorandis incipiam. Altera mox pagina ſuæ Diſſertationis præviæ univerſim omnes ſuæ cauſſæ adverſarios *iniquos Cenſores* adpellat, tum vero Lovanienſem primarium Profeſſorem Nicolaum du Bois *parum probatum ſuis, clamoſiorem ſcilicet, quam doctiorem.* Pag. 3 Synodi nationalis a Primate Hungariæ celebratæ authoritatem leviter ſpernit, tamquam faſtuoſe oppoſitam & *oſtentatam.* Quæ Chriſtianus Lupus pro apologia Honorii adducit, a viris inter Catholicos doctiſſimis, ipſis adeo Gallis jam dicta, & argumentis certe non condemnendis probata, p. 53 per rhetoricam, ſi placet, figuram trinæ repetitionis ſimpliciter *falſa* pronuntiat. De Bellarmino etiam, & celeberrimo Conditore annalium Baronio memorare non piget, *optima ſcripta multis mendis dehoneſtaſſe.* Doctrinam de ſuprema Pontificis authoritate, quam ipſe Gerſon faſſus eſt, *ante Conſtantienſem Synodum plurimorum fuiſſe traditionem, ita ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate ſuſpectus, vel damnatus*, hanc doctrinam vocat T. I, p. 426 *peſſimum morem, & ab alto inbibitum adulationis virus*, quam Gerſon *irridens* traditionem nominaverit. Interpretationem eam, quam fere totius orbis catholici quibusdam Gallis exceptis usque ad noviſſima tempora decreto Synodi Conſtantienſis pro caſu Schiſmatis dederunt Tom. 2 p. 303, *ludibria* vocat. Authorem de Libertatibus Gallicanis, doctrina inſignem, D. Charlas T. 2, p. 317 egregie laudat, ut qui *mendaciſſime, ac malevolentiſſime* ſcripſerit, *cujus inſulſiſſima commenta jam* (ubi?) *confutata.* Nolim plura ad invidiam adducere: ſatis amarulenta ſenſa ſe produnt hominis, qui oblitus videtur, quid Deo, quid ſuæ & adverſariorum famæ, quid pudori, & honeſtati debeat, qui victorias ſuas non rationum pondere, ſed conviciorum acumine metiatur. Præf. pag. 21.

Digitized by Google

§. 2.

At enimvero ab hoc maledicendi more, quis neſciat, longe alieniſſimum fuiſſe Meldenſem Epiſcopum, Virum, ſi quis umquam alius, erga adverſarios ſuos moderatione celebrem, & vel ideo ipſis adverſariis commendatum? Quem imitari quidem fraus ſtuduit, ſed quæ natura hæreſis eſt, malignitas latere non ſemper potuit, quin ultrò ſe proderet. Certe ego per decem, & amplius annos quotidianus fere M. Boſſueti luſtrator, nihil ſimile umquam in eo legiſſe me memini. Neque etiam credibile eſt de tanto Viro, tamque moderato, quod appendicis p. 12 in Lutherum ſcripſerit probroſum de trivio dicterium, *impurus Nebulo*.

§. 3.

Speciali adhuc animadverſione dignæ ſunt adverſus ſummos Pontifices iniquæ ficti Boſſueti criminationes, qui omnia incerta, dubiave, aut omnino falſa ubiubi corraſit, & ambigua, quantum fieri poterat, in peſſimum ſemper ſenſum detorſit, ut eo turpiore labe plurimorum Pontificum memoriam ex illorum doctrinis, reſponſis, decretis, immo & factis apud poſteros aſpergeret, inviſamque redderet. Ita lapſuum pontificiorum catalogum facturus a fabula de Marcellino incipit *), mox atro commate ſignat Liberium, S. Zoſimum, S. Hormiſdam, (quanta erga utrumque malitia!) Honorium, Gregorium II, Stephanum II, Sergium III, S. Gregorium VII, Bonifacium VIII, Paſchalem II, Alexandrum III, Innocentium III, Nicolaum III, Clementem V, Joannem XXII, & ſingulariter quidem Martinum V, T 2, p. 234 calumniatur, *ejus famam graviter laboraſſe — appellationes bis condemnare viſum ſacræ Synodi* (conſtantienſis) *immo totius Eccleſiæ refugiſſe lucem, atque Synodi talia repellentis prævaluiſſe ſententiam.* Quæ omnia quam falſa ſint, aut male detorta, certe autem convicioſe dicta, vel a ſcholaſticis noſtris Theologis, in ſpecie a Melchiore Cano in Locis theologicis, ipſoque Natali Alexandro, natione & doctrina Gallo in Hiſtoria eccleſiaſtica, abunde jam demonſtratum eſt.

§. 4.

Sed quod hic valere amplius debet, ipſe genuinus Boſſuetus eſt, qui has calumnias aperte confundit: ille enim ubi de romanis Pontificibus ſermonem Chriſti ad Petrum, *Ego rogavi pro te* &c. explicat **), in tota Pontificum ſerie nonniſi duo, vel tria loca *moleſta* inveniri teſtatur, & hoc quidem non certe, aut abſolute, ſed ſub dubio *forſitan*, & *ut creditur*, obſervari. In ſermone vero de *Unitate*, quo pariſienſibus illis comitiis

*) Defenſ. l. 9. c. 32. **) Medit. in Evang. die 71.

Digitized by Google

tiis Meldenſis Epiſcopus initium dedit, erectam Romæ Petri Cathedram expreſſe vocat *æternam*, & romanam Eccleſiam, quippe a S. Petro & Succeſſoribus doctam *hæreſis ignaram.* Dein ſingulariter Pontifices conſiderans, unum aut duos tantum denotat, non qui errorem pro veritate divinæ fidei credendum umquam definierint, ſed qui per vim, aut ſubreptionem fidei doctrinam *non ſatis conſtanter* defenderint, aut *non ſatis plene* explicarint. Demum obſervat Pontifices ex orbe univerſo conſultos tot jam ſeculis reſpondiſſe ad omnis generis quæſtiones de doctrinis, de diſciplina, de ceremoniis, & unicam inveniri reſponſionem (illam Honorii) non fidei definitionem, ſed ſilentii impoſitionem, quæ notata fuerit Concilii œcumenici *NB. extremo rigore*: ejusmodi autem defectus peculiares eſſe ſummorum Pontificum, non communes Petri Cathedræ, hoc eſt, romanæ Eccleſiæ, in qua nullam impreſſionem fecerint. Viden, quantum diſtent æra lupinis, hæc Boſſueti moderata, & ſana ab illis Pſeudo-Boſſueti malignis, falſisque, qui catholicum ſe ſimulans ſuum ſtudium in eo poſuit, ut Patrum ſuorum verenda turpiter denudaret, mundoque ad ſcandalum proponeret!

ARTICULUS II.

Contradictiones non infrequentes.

§ 1.

Vetus verbum habet: *Mendacem oportet eſſe memorem.* Infauſta oblivio, prout plerumque certis hominibus accidit, Editorem libri, eumdem & authorem, vel ſaltem adulteratorem prodidit. Is, qui in Præfatione teſtatus eſt, nec verbum M. Boſſueto addere, vel ſubtrahere ſibi legem fuiſſe, in appendicis ad librum præfatione adhuc ſui memor Meldenſem Epiſcopum tamquam Authorem de ſe in prima perſona *Ego* loquentem inducit; poſtea tamen in operis decurſu ſui oblitus append. l. 3 integrum Caput 12 de *Boſſueto* in tertia perſona, & pleno quidem cum titulo, ac inſigni encomio in medium adducit, quod certe non a *Boſſueto*, ut qui ſemper de ſe ipſo modeſtiſſime ſcripſit, ſed & ſenſiſſe videtur.

§. 2.

Propius adhuc *Defenſionis* Authorem ſpectemus ſecum ipſo pugnantem. Præviæ Diſſertationis §. 6 conqueritur, *gallicanam Declarationem immerito impugnari, tamquam eſſet decretum fidei*, quod ipſo teſte a Cleri gallicani mente alieniſſimum fuit: en propria dicta: „Perſpicuis verbis gal-

 licani

„licani Patres teſtantur, ac probant non eo ſe animo fuiſſe, ut decretum de „ſide conderent, ſed ut eam opinionem tamquam potiorem, atque omni„um optimam adoptarent, opinionem ſane, non catholicæ doctrinæ formu„lam, quæ animos conſtringeret; Itaque revera ab omni cenſura tempe„rant, numquam ſidem ipſam nominant, nemini excommunicationem inten„tandam putant —“ E contrario, quod hic *opinionem*, ſæpius alibi *dogma* adpellat. Amplius videamus, quam importune contendat Conciliorum authoritatem ſupra Pontifices ex conſtantienſi decreto de *fide* eſſe. *Defenſ.* l. 6, c 19 ita loquitur: „*Quæres*, cum ea doctrina, quam tuemur, a con„ſtantienſi Concilio definita ſit, illudque decretum a Sede apoſtolica, tota„que Eccleſia comprobatum; an igitur ad fidem catholicam pertineat? con„traria vero ſententia an hæretica judicari debeat? *Reſp.* Noſtri, atque in„primis pius ille, doctusque Gerſon aperte pronunciavit *hæreticam* eſſe, „quæ Synodi Conſtantienſis definitioni adverſetur. — Porro dubitari ne„quit, quin res, de qua agitur, pertineat ad interpretationem divini juris: „quæritur enim, quam poteſtatem Petro, ac Succeſſoribus, quam Eccleſiæ „atque Conciliis Chriſtus dederit. Definit Synodus eam Conciliis poteſtatem „a Chriſto immediate datam, cui etiam Petri Succeſſorem ſubeſſe oporteat. „Ergo clare agitur de interpretatione divini juris, adeoque de fide, de do„ctrina catholica a Deo revelata — ut nihil obſtare videatur, quo minus ea „ſententia *hæretica* ſit, quæ Concilii œcumenici definitioni tam perſpicue „adverſetur.“ Parcus ſum in hisce abſurdis adducendis, ne paginas impleam dignioribus reſervandas.

§. 3.

Itane vero Boſſuetus loquatur declarationem *defendens*, longe aliter, ac contra, quam antea Declarationem *componens* *)? Quid vere, ac ſincere Boſſuetus de hac Pariſienſis ſcholæ doctrina ſenſerit, genuina ipſius ſcripta demonſtrant. Expoſit. doct. Cath. §. 21 hæc docet: „Quantum ad ea, de „quibus conſtat in ſcholis diſputari, quamvis Miniſtri Reformationis non „ceſſent illa allegare, ut Pontificiam poteſtatem reddant odioſam, non neceſſe „eſt hic loqui de illis, cum de fide catholica non ſint. Sufficit agnoſcere „Caput a Deo inſtitutum ad univerſum gregem in via Domini gubernandum, „quod ſemper ii lubentes facient, qui concordiam fratrum amant, & unani„mitatem eccleſiaſticam.“ — En, ut *ſcholaſticam* opinionem, non dogma *catholicum* Boſſuetus hanc controverſiam nominet hoc loco, ubi data opera fidei catholicæ expoſitionem conſcribit: Inſuper notatu digna ſunt ejus verba, in Capite a Deo conſtituto agnoſci debere poteſtatem *univerſum* gregem guber-

*) Editor prætendit *Præf.* p. 12. a Meldenſi Epiſcopo Declarationem fuiſſe compoſitam.

Digitized by Google

gubernandi, quam loquendi formulam Scholæ Pariſienſi admodum inviſam eſſe Meldenſis ignorare non potuit: ipſe tamen in ſua fidei expoſitione ſcholaſticam diſtinctionem inter poteſtatem oves *collectim*, aut *diviſim* paſcendi adeo non attendit, ut expreſſe gregem univerſum a Pontifice gubernandum aſſerat.

§. 4.

Defenſionis librum perlegendo in tot antilogias offendi, ut Author toto opere retrogradam viam cancrorum inſtar inceſſiſſe mihi videretur. Pauciſſimas adhuc pro exemplis adducam. Defenſ. T. 2. p. 29 ad finem ait: *Neque Chalcedonenſes ullo modo dubitabant, quis eſſet Chriſtus, Deus, an homo verus, an confuſis naturis quid tertium: non id ſane quærebant* (ſcilicet quod Eutychiani docuerant, in Chriſto unicam eſſe naturam) *ſed verene, & ex communi Patrum, & Eccleſiæ ſententia tantum Sacramentum Leo P. exponeret*; (quaſi æque ſuſpecta, & dubia Patribus fides Leonis, ſicut Eutychis fuiſſet) Mox tamen p. 30 fatetur, quod diffiteri non poterat, pleroſque Patres illos jam ante Concilium *epiſtolæ Leonis ſubſcripſiſſe*: quomodo ergo amplius de fide Leonis, *an vera eſſet, & communi conformis*, in Concilio quærere, aut dubitare potuerunt? Sed & aliud, quod ſupra ſimpliciter negabat, modo fatetur, quæſtionem Eutychianam de Chriſti natura, prout revera fuerat, difficillimam Patribus fuiſſe viſam, multosque *optima fide dubitaſſe*, antequam ſubſcriberent Leonis epiſtolæ, per quam fides orthodoxa clare, ac perſpicue fuit explanata. Unum adhuc, manu palpabile contradictionis exemplum Articulo ſequenti proferam, & illud quidem noſtra attentione digniſſimum *de ſtatu quæſtionis ſubdole inverſo*.

ARTICULUS III.

Malæ Artes circa Statum Quæſtionis, item in argumentando & reſpondendo.

§. 1.

De pontificia *infallibilitate*, ſive *fallibilitate* nihil ſe, ac Declarationem Gallicanam aliud docere, quam dudum ſchola Pariſienſis ſenſerit, *Defenſionis* Author perſuadere nobis vult *prævia Diſſertatione*, uti patet cum ex pleriſque, quas allegat, Authoritatibus, maxime Concilii Conſtantienſis, tum vero ex illa Gallis perquam accepta diſtinctione *Sedentem* inter, & *Sedem*. Ex eo quam certiſſime colligas, quæſtionem non eſſe, niſi de ſolitarii Papæ, prout ſingularis *Perſona* eſt, ſeu privata, ſeu etiam publica fallibilitate, ut-

 pote

pote quæ *ſoli* ſedenti, neutiquam vero apoſtolicæ Sedi negaretur; quemadmodum & in Conſtantienſi Synodo univerſa Eccleſia congregata, & conſentiens Papæ *ſoli* oppoſita fuerit, atque propoſita. Amplius id ipſum Author confirmat *Append.* lib. 3, c. 11, ex Declaratione ſacræ Facultatis Pariſienſis de a. 1663: „Doctrinam Facultatis non eſſe, quod ſummus Pontifex ſit ſupra „Concilium œcumenicum: neque etiam, quod ſummus Pontifex *NB.* nullo „accedente Eccleſiæ conſenſu ſit infallibilis;“ Expreſſæ ſub hac conditione, *ſi nullus accedat Eccleſiæ conſenſus*, quod idem eſt, ac ſi *ſolus* ſit Pontifex; tunc Facultas negat eſſe infallibilem. Atqui hanc ipſam eſſe ſuam, & Declarationis Cleri Gallicani ſententiam *Append.* p. 103 aſſerit: *Hæ Declarationes ſacræ Facultatis re, ac ſententia plane conveniunt cum Declaratione Cleri Gallicani.* Quæ cum ita ſint, ipſo fatente Authore ad vana, & exilia, immo ad nulla, hoc eſt, ad mere ſcholaſticam ſubtilitatem, & abſtractionem in praxi nullum uſum habentem tota redigitur quæſtio, de *ſolius* Papæ, ſeu *perſonali* fallibilitate, ſalva manente *apoſtolicæ Cathedræ*, ſeu *Sedis* infallibilitate.

§. 2.

Jam vero eundem Authorem audias longe aliter in toto operis decurſu docentem: *non eſſe Papam, niſi cum conſenſu univerſæ Eccleſiæ infallibilem.* Facile per te ipſum animadvertes maximum inter hæc duo diſcrimen: *Papa, ſi ſolus eſt, falli poteſt definiendo*: atque iterum, *Papa falli poteſt definiendo, quamdiu univerſa Eccleſia nondum conſenſit.* In priori caſu, qui hactenus numquam exſtitit, & mere *fictitius* eſt, ſalvum maneret ſupremum, ac infallibile tribunal apoſtolicæ Sedis, hoc eſt, romanæ Eccleſiæ cum ſuo Capite conjunctæ. In altero caſu, qui maxime *practicus* eſt, & frequenter contingere ſolet, ſi error in Eccleſia ortus, multosque ſibi; ac pertinaces aſſeclas fuiſſet nactus; ad pronunciandam ſententiam veræ fidei nullum in Eccleſia infallibile tribunal foret, quippe cum apoſtolica Sedes hac authoritate ponatur deſtituta, & univerſalis conſenſus propter ipſos pertinaces impoſſibilis. Atque hoc ipſum diſcrimen eſt, quod acutus, ſi quis umquam deceptor, optime inſpexit, quodque *ſuum & Declarationis arcanum* non prius, niſi ad calcem operis, in *Corollario* T. 2, p. 310 detexit: „Hic enim patere volumus Gallicanæ Declarationis arcanum, Gallicanos Patres non id edixiſſe, ne „Romanus Pontifex (ut ſingularis perſona) infallibilis haberetur, de quo in „ſcholis tantæ rixæ ſint. — Procul has ſcholæ voces, rixasque habuerunt, „non id epiſcopale ſuumque æſtimarunt. Ad praxin maxime reſpicere placuit, atque illud pro certo figere, utcumque ſcholaſtica, ac ſubtilis quæſtio „ſe habeat, tamen convenire inter omnes Catholicos, pontificium decretum „(hoc eſt, apoſtolicæ Sedis) non haberi pro irreformabili, neque ultimum „robur eſſe conſecutum, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit. Quo dogmate

„conſtituto

Digitized by Google

„conſtituto tota infallibilitatis quæſtio ſpeculativas inter, vanasque quæſtio-„nes habeatur." Hic propriam vides hominis confeſſionem, quod non ſcholaſtica quæſtio, ſed longe aliud quidpiam ſibi ac Epiſcopis Galliæ ante oculos, & cordi fuerit, nempe medium, ſeu artificium apoſtolicæ Sedis, hoc eſt, romanæ Eccleſiæ cum Capite ſuo conjunctæ in definiendo Authoritatem infirmandi.

§. 3.

Non ſolum ille Pſeudo Boſſuetus, ſed revera Meldenſis etiam Epiſcopus hoc diſcriminis inter Pariſienſem ſcholam, & Gallicanam Declarationem ſatis perſpectum habuit: hinc iſtam quidem fatente Editore *Defenſionis*, ne apoſtolicæ Sedis authoritatem læderet, miſſam voluit; illam vero jam univerſim apud Gallos civitate donatam pro vindicanda Galliæ orthodoxia ſibi ſumſit defendendam. Tametſi porro ipſius Boſſueti infirmitatem non negemus, quod opinione Pariſienſis ſcholæ enutritus, Sedentem a Sede apoſtolica diſtinguens, aut etiam ſeparans, non ſingulis Pontificibus, ſed toti Pontificum ſeriei privilegium inerrantiæ adſcripſerit; attamen romanam Eccleſiam, ceu perpetuam Petri Sedem, & Cathedram eſſe infallibilem agnovit, & in ipſo Conventu Pariſienſi nonniſi cum hac proteſtatione *conſtanti*, & *publica* ſubſcripſit Declarationis Art. 4: *Non eſſe irreformabile ſummi Pontificis judicium*, *niſi Eccleſiæ* (hoc eſt, romanæ) *conſenſus acceſſerit*. Id domeſtica Galliæ documenta de M. Boſſueto teſtantur. Plures enim S. Theologiæ, & Juris canonici Doctores Pariſiis in publica conſultatione coram tota Gallia ſuum dedere teſtimonium: *Au contraire Mr Boſſuet a touyor ſoutenu hautement l'indefallibilité de l'Egliſe romaine* *). Meldenſis Epiſcopi ſenſa de infallibili authoritate romanæ Petri Cathedræ ex propriis ipſius ſcriptis ſuo loco percipiamus. Interim hic adhuc ex ipſo Boſſueto notandum, quod nequidem quoad Pontificis inerrantiam a communi catholicorum doctrina diſſenſerit, ſed eum ſub duplici reſpectu conſiderarit, vel ut Doctorem *univerſalem*, nempe pro univerſa Eccleſia fidei dogma definientem, id eſt, ut vulgo dicunt, *ex Cathedra loquentem*: vel ut Doctorem *particularem*, ad quæſtiones Eccleſiarum particularium reſpondentem. Tantum hoc poſteriori ſenſu concedit Basnagio, Papam erraſſe. **)

§. 4

*) Conſultation de pluſieurs Docteurs en Theologie, & en Droit canon. — donnée a Paris 1718

**) Defenſe de l'Hiſtoire des Variations. §. 62.

§. 4.

Quam vidimus larvati Boſſueti malam artem in ſtatu quæſtionis ſubdole inverſo, eandem fere ubique in argumentando obſervamus. Ut nihil de eo dicam, quod illuſtriſſimis Eccleſiæ monumentis aut omnino præter miſſis, aut nonniſi obiter memoratis, vim ſuam præcipuam ponat tenebrio in obſcuriſſimis factis, dictisve, ſub quorum latebris vix ulla Minervæ lampade illuſtrandis deliteſcat, quod ab aperta Boſſueti fronte maxime abhorret; vix non omnia, quotquot adducit ex Conciliis Conſtantienſi & Baſileenſi, aliisve Authoritatibus argumenta, extra oleas verſantur, cum illæ nullo modo apoſtolicam Sedem, ſeu romanam Eccleſiam cum ſuo Capite conjunctam reliquæ diſperſæ Eccleſiæ, Authoritati ſubmittant, ſed tantum Pontificis *perſonam* judicio univerſalis Eccleſiæ *NB.* non diſperſæ, ſed in unum congregatæ velint eſſe ſubjectam. Quod ad ſcopum tantum non unice ſpectare videtur, eſt S. Cypriani, errantis, inquam, Cypriani exemplum, qui non ſolum Stephano Papæ, ſed romanæ Eccleſiæ traditioni, aliarumque Eccleſiarum expreſſo conſenſui contradicere non eſt veritus, quem S. Auguſtinus *non a toto, ſed a tanto* excuſat peccato, cujus acerba dicteria, juſto commotioris animi indicia non poteſt non reprobare, cujus adhuc in vita pœnitentiam, etſi nullibi ſcriptam, pie tamen ſupponit, quem demum non aliter, niſi *martyrii falce purgatum* declaravit. Quam deſperatam dixeris cauſſam, quæ nullo alio modo, niſi errantium exemplis poſſit defendi! Digna eſt, quæ hac de re legatur, doctiſſimi Thomaſſini *Diſſertatio 2da in Synodos ſub Stephano P.* Verus etiam Boſſuetus in S. Cypriano erga Stephanum P. *irreverentiæ culpam* expreſſe redarguit *).

§. 5.

Eſt hoc ſpeciale, & characteriſticum larvati Authoris artificium, ut in toto opere multoties univerſalis Eccleſiæ Authoritatem commendet, addatque fortiſſimum ſemper robur in hoc totius Eccleſiæ unanimi conſenſu fuiſſe poſitum, quaſi hoc quiſquam Catholicorum negaret, aut in dubium vocaret. Sane non de eo ulla eſt controverſia. Si quam ſemel fidei doctrinam conſtat univerſi orbis catholici conſenſu eſſe probatam, & acceptatam, hoc ſine dubio omnium firmiſſimum eſt *contra hæreticos* argumentum. Sed non in ea nunc verſamur quæſtione: aliud eſt, quod quæritur de conſenſu univerſæ Eccleſiæ nondum manifeſtato, ſed primum manifeſtando, an, uſquedum hoc factum fuerit, *inter Catholicos* nulla detur firma fidei regula, cui neceſſario ſe debeant omnes, ut Catholici ſint, & maneant

*) Contra Dupinum Op. poſth. T. 2. p. 537. edit. Amſterdam. 1753.

Digitized by Google

ant, conformare. Orta e. g. de fide controverſia, lataque per pontificiam Cathedram ſententia, ſi pars notabilis non conſenſerit, fidem *in ſuſpenſo* manere larvatus Boſſuetus pluribus in locis aſſeverat, idque ut perſuadeat, utramque paginam implet. Huic vero falſæ doctrinæ directe, ac ſevere contradicit genuinus Boſſuetus aſſerens „quod hoc artificio Eccleſia ſeduc„tioni exponeretur, quodque nihil ſit injuſtius, & latiorem januam ape„riens manifeſtæ rebellioni, quam defendere, Eccleſiæ judicia omnem ſuam „firmitatem habere non poſſe, uſque dum partes adquieſcant.“ *) Quod ergo ad conſenſum omnium Eccleſiarum pertinet, ex eodem M. Boſſueto diſtinctionem diſcas *ſumme obſervandam*, quam ſe ignorare Pſeudo-Boſſuetus ſimulat, vel potius affectat: eſt enim alius conſenſus *per autboritatem*, qualis Pontifici, aut Epiſcopis in Concilio congregatis convenit; & alius conſenſus *per obedientiam*, ad qualem ipſi Epiſcopi erga Pontificem, aut Concilia ſunt obligati. *Hæc diſtinctio tanti momenti eſt, ut eamdem videamus a quibusdam Epiſcopis expreſſe in ſuis ſubſcriptionibus fuiſſe obſervatam*: genuina ſunt verba M. Boſſueti, qui etiam quædam exempla producit **).

§. 6.

Neceſſe eſt ſane ad finiendas lites circa fidem exortas, ut perpetuum, ac infallibile tribunal in Eccleſia Dei exiſtat, cujus judicio quæcumque particulares Eccleſiæ *per obedientiam* ſeſe conformare debeant. Atque hæc ipſa cauſſa eſt, ſcilicet unitas in fide per totam, qua late patet, Eccleſiam conſervanda, cur apoſtolica Petri Cathedra Romæ collocaretur, id quod Boſſuetus in Catechiſmo docet: „*Quæſt.* in quo conſiſtit Primatus Eccleſiæ „Romanæ? — *Reſp.* In eo, quod illa a Deo eſt inſtituta, ut ſit Mater „Eccleſiarum, & præcipua conſervatrix veritatis, & *NB.* quod omnes Ec„cleſiæ cum illa debent unitatem ſervare“ ***). Hanc *unitatis* neceſſitatem ut vel ipſis Galliæ Epiſcopis eo altius imprimeret Meldenſis, eamdem ſibi pro ſcopo Sermonis illius præſtantiſſimi elegit, quem pro initio Comitiis dando habuit, ubi tam neceſſariam eſſe Epiſcoporum a ſummo Pontifice dependentiam cum S. Cæſareo Arelatenſi affirmavit, ut ipſa jurisdictio epiſcopalis ſubſiſtere non poſſit, niſi quatenus ab illa Petri primitus inſtituta defluens, eidemque ceu fonti ſuo, aut radici inſeparabiliter adhærens. Ipſum præſtat audire Boſſuetum: „Ita miniſterium Apoſtolorum explica-„tur:

*) Lettre a l'Abbaiſſe de Port-Royal. Opp. T. 11. p. 396. edit. Pariſ. in 4. an. 1747.
**) L. c. p. 400.
***) Catechiſme de Meaux Lecon 3. Pour le jour de S. Pierre, & de S. Paul.

Digitized by Google

„tur: omnes eamdem poteſtatem accipiunt, & omnes ex eodem fonte „(Chriſto) verum non omnes in eodem gradu, neque cum eadem amplitu„dine. Jeſus Chriſtus enim ſe communicat ea menſura, qua ipſi placet, „& ſemper eo modo, qui convenientiſſimus eſt ad unitatem ſuæ Eccleſiæ „ſtabiliendam. Propterea incipit a primo (Petro) & in hoc primo format „totum, & ipſe ſalvo ordine extendit, quod in uno poſuit, ut ait S. Au„guſtinus, *Petrus qui in honore ſui Primatus repræſentavit totam Eccle„ſiam, recepit etiam primus, & ſolus ab initio claves, quæ poſtea debebant „omnibus aliis communicari. NB.* ut nos disceremus ſecundum doctrinam „S. Epiſcopi Eccleſiæ Gallicanæ, quod Authoritas Eccleſiaſtica primitus „in perſona unius fundata non ſe extenderit ad plures, quam ſub ea con„ditione, ut ſemper referatur ad principium ſuæ unitatis, & ut omnes „illi, a quibus exercenda erit, eidem Cathedræ inſeparabiliter uniti adhæ„rere debeant“ *).

§. 7.

Unde jam & illud larvati Boſſueti artificium facile diſſolvitur, in quo mirum, quantum confidit Concilia opponens univerſalia, in quibus hæreſes jam a Sede romana confixæ, ipſæque Pontificum ſententiæ novo examini ſubjectæ, adeo non infallibilis authoritatis, ſed dubiæ fuerint viſæ. Ita nimirum obſequium catholicæ fidei non rationabile, ſed irrationabile, eoque ipſo inviſum, ac contentum exigere velle videtur. Aut numquid nobis vel privatis, præcipue vero Theologis hoc modo ipſa etiam generalia Concilia licet examinare, ut eorumdem fundamenta & ipſi inſpiciamus, ut non cæca, ſed rationabili fide obediamus, ut noſtros adverſarios argumentis confundere discamus? immo nonne ex ſimili motivo ipſas licet ſcrutari, & examinare divinas Scripturas, totamque catholicam fidem? anne ideo de divinæ Scripturæ, aut fidei noſtræ authoritate dubitamus, ſi velimus & ipſi veritatum iſtarum firmis argumentis convinci, vel ad noſtram inſtructionem, vel ut eas aliis declarare, & præcipue adverſariis noſtræ fidei rationem dare poſſimus? Itaque non ſemper omne examen eſt *dubitationis*, ſeu *ſuſpenſionis judicii* etiam ad diſſenſionem parati: datur & aliud examen *inſtructionis*, ad conſenſum ſcilicet *per obedientiam*, tamen *cum ratione* præſtandum. Atque hinc poſt latam a ſummo Pontifice ſententiam haud fruſtra tamen in Conciliis examen reſtauratur, eo fine, ut motiva ſententiæ omnibus Eccleſiæ Patribus illuceſcant, iique ſuum, id eſt, membrorum cum capite conſenſum manifeſtent: quæ in univerſali conventu manifeſtata totius corporis cum

*) Sermon a l'Ouverture de l'Aſſemblée du Clergé, an. 1681.

Digitized by Google

cum Capite conſenſio ad ſuperandam obloquentium pertinaciam externæ Authoritatis, quæ dari inter homines poteſt, maximum pondus eſt. Ita obſervante Boſſueto contra Dupinium Epheſini Patres ſuum in damnationem Neſtorii conſenſum manifeſtarunt, licet *ex obedientia* debitum: ita vel ipſe Pſeudo-Boſſuetus cum negare non poſſet, pleroſque Chalcedonenſes Patres jam ante conventum epiſtolæ S. Leonis ſubſcripſiſſe, hinc in Synodo neque de Eutychis errore, neque de vera fide Leonis amplius dubitaſſe; fatetur novum examen a Patribus fuiſſe ſuſceptum ad legitime declarandum ipſorum cum Papa conſenſum *), „jam ordine, & legitime de„clarandum reſtabat, unde is ſibi ſenſus, nempe quod recte examinantibus „conſtitiſſet Leonis ſententiam cum antiqua fide, quam hauſerant, conſen„tire.“ En ex ipſo larvato Boſſueto diſtinctionem ſat claram, ac ſolide fundatam, aliud eſſe examen *declarationis*, ad ſuam, vel alienam *inſtructionem*; aliud vero *dubitationis*, ad propriam ſi ita placet, *diſſenſionem*.

§. 8.

Quemadmodum in ſtatu quæſtionis invertendo, & argumentando, ita non minus, immo quam maxime in reſpondendo authoris vafrities invenitur, qua ſcilicet punctum difficultatis ſtudet aut in alios detorquere, aut ſaltem obſcurare, mentemque Lectoris in aliena diſſipare. Atque inprimis cum ſemper omnium Catholicorum fides fuiſſet, totam, qua late diffunditur, Chriſti Eccleſiam Apoſtolicæ Petri Cathedræ, tamquam ſuæ unitatis Centro & Capiti eſſe ſubjectam: nova doctrina, quæ diſperſæ Eccleſiæ judicio Sedis apoſtolicæ ſententiam cuperet ſubjiciendam, vel ipſi larvato Boſſueto viſa eſt ſummam pati difficultatem, quam diſſimulare non eſt auſus, ſed ut objectionem his verbis expoſuit **): „Hic quærunt, quis ſit „ille conſenſus Eccleſiæ quo nitimur, totiusne, an partis, quot Eccleſiarum „quot Epiſcoporum, quot Capitulorum, quot Abbatum, quot vero Regio„num, etiamne Indiarum, aut Japonenſium? quantæ moleſtiæ! qui ſumtus, „ut Nuntii quocumque diſcurrant, allaturi authenticum conſenſus inſtrumen„tum!“ Gravis certe, & perquam difficilis quæſtio! Sed mirare leviſſimam reſponſionem: *inanes quæſtiunculæ contra rem facti!* — Atqui hoc ipſum maximi ponderis eſſe debet, quia non vana ſpeculatio, ſed res facti eſt, quæ tantas patitur difficultates, quo modo univerſæ Eccleſiæ conſenſus ſit explorandus, quo modo hujus conſenſus neceſſaria expectatio non potius deſtruat, quam conſervet Eccleſiæ unitatem. *Rogent*, ait, *Cyprianum, Auguſtinum, Capreolum, Leonem, alios, quos narravimus in Eccleſiæ conſenſione repoſuiſſe vim, quærant, quibus ſumtibus, quibus curis, curſoribus,*

 nuntiis

*) Defenſ. T. 2. p. 30. **) Præv. Diſſ. §. 77.

Digitized by Google

nuntiis tot regionum explorarint fidem. Ita ſcilicet in alios detorqueri, aut contemni debet, quod ſolvi non poteſt. Factum Cypriani erroneum ſi excipias, doctrinæ ejusdem S. Patris, aliorumque omnium velut digito tibi oſtendunt Cathedram Petri romanam, *ad quam perfidia habere non poſſit acceſſum*, tamquam regulam, cui conformare ſuum adhæſionis, ſeu obedientiæ conſenſum quæcumque Eccleſiæ debeant. Hanc certe magnam difficultatem fruſtra alibi apud *Defenſionis* Authorem quæres diſſolutam.

§. 9.

Jam vero nova & major inſtat difficultas, quid ergo, ſi conſenſus univerſalis obtineri nequeat parte una obſtinata, & potius rebellare, quam ſuum judicium ſubmittere parata? Ita profecto fidei unitati & ſecuritati male conſultum videtur, & arma miniſtrari inobedientibus fide in ſuſpenſo manente. Reſpondet Author *): *Hæc omnia objicienda veniunt non Pariſienſibus, ſed ſummis ex omni gente, ex omni ordine viris, quorum geſta produximus.* Quinam illi viri? quæ geſta? — Atqui hoc certum eſt, hanc ipſam ob cauſam ſummos viros ex omni gente, & ordine adverſus gallicanam Declarationem inſurrexiſſe. Porro ait: *fidei ſecuritati conſultum, ſi fides in illum ſymboli apoſtolici articulum reſolvatur: Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam.* Sic nimirum verbis ludit ſenſu vacuis: neque enim in Eccleſiam catholicam credit, qui cum Cathedra Petri, cum romana matrice Eccleſia, omniumque Magiſtra in unitate fidei non conjungitur. *An ſuſpenſi animi relinquuntur, qui in Eccleſiæ catholicæ authoritate acquieſcunt?* Subdola interrogatio! Qui acquieſcunt, eorum certe animi non ſunt ſuſpenſi: at vero ii Eccleſiæ catholicæ authoritati nullatenus acquieſcunt, qui medium ordinarium, divinitus inſtitutum, quo Eccleſiæ authoritas exerceri debeat, hoc eſt, tribunal apoſtolicæ Cathedræ, ſeu romanæ Eccleſiæ non reverentur, ſed eidem refragantur. *An romanum Pontificem parvi pendunt, qui ejus authoritati poſt Chriſtum ſummæ nihil aliud quam ipſam Eccleſiam catholicam, ſive diffuſam, ſive adunatam anteponunt?* — Mellea verba, ſi obiter aſpicias, ſed venenata & exitialia, ſi in profundum, abſconditumque ſenſum penetres! qui enim Pontifici cum grege fidelium illi conjuncto Eccleſiam, ut ajunt, *univerſalem* anteponunt, ii non jam Eccleſiam, quod falſo dicunt, minus univerſalem, ſed partem Eccleſiæ litigantem Pontifici præferunt, januamque, ut verus Boſſuetus ſupra §. 5 ſcripſit manifeſtæ rebellioni aperiunt. Sic ergo *arma miniſtrari inobedientibus*, cum jam negare non poſſet Pſeudo-Boſſuetus: id denuo in alios longe a ſe diverſa ſentientes nititur detorquere. Demum in *caſibus extra-*

*) L. c. §. 87.

extraordinariis extremum quærit effugium contra, ac antea ipſe pro principio generali ſtatuerat, *fidei regulam non ſtabiliri, niſi cum totius Eccleſiæ conſenſu, nemine, aut pauco tantum numero repugnante* Chriſtus ergo vel tam improvidus fuerit, vel tam impotens, ut pro extraordinariis caſibus ſufficientis authoritatis remedium ad conſervandam fidei unitatem in Eccleſia ſua inſtituere aut non vellet, aut non poſſet ? — Quis eſt vero hæreticus, præſertim ſi plures jam ſuo errore infecerit, qui contra fulmen apoſtolici culminis ſub latibulo *extraordinarii caſus* non jam tutus ſit? Ceterum ſat largus ille Author extraordinarios caſus, quos fingit, bene multos, totque numerat, ut ſi velis, ordinarie apoſtolico judicio poſſis refragari.

§. 10.

Omnium validiſſimum contra novam hanc doctrinam argumentum eſt illud P. Gonzalez, aliorumque: „Apoſtolicæ Petri Cathedræ, tamquam „Tribunali divinitus inſtituto, ad finiendas fidei quæſtiones obedientiam in „fide, & quidem internam mentis adhæſionem, non ſolum externum oris „ſilentium deberi ex conſtanti Catholicorum omnium, etiam Gallicanæ Eccleſiæ contra Janſeniſtas *expreſſa* doctrina.“ Huic invictiſſimæ ac manifeſtiſſimæ veritati Author *Defenſionis* opponit primum arte jam ſatis nota retorſionem in Innocentium IV, & Bellarminum, nihil minus, quam ſuæ opinionis patronos. Mox vero his nominatis ſuum, quaſi alienum, non ſine timiditate addit reſponſum: *Apoſtolicæ Sedis definitioni obedientiam deberi cum exceptione, niſi ejus juſſa contineant hæreſin* *): Itane? Catholicorum omnium, Gallis etiam non exceptis, doctrina nihil ſit ergo, præterquam puerilis verborum luſus in hunc ſenſum: *Apoſtolicæ Sedi de fide aliquid definienti interna mente aſſentiendum eſt, niſi a fide aberraverit?* — Hanc ſi fidei obedientiam pueriliter dixeris; eam non tantum Pontifici, ſed cuilibet, ne dicam viro, etiam mulierculæ debes, hoc eſt, cum ea ſentire, niſi a vera fide aberraverit: hanc certe obedientiam nemo hæreticorum Papæ negaverit, cum eo credendi, quidquid non erroneum in fide Pontificis fuerit viſum. Mittamus nugas, apoſtolica Sedes hunc in finem a Dei Filio inſtituta eſt, ut ejusdem ſententia circa fidem diſſentientes poſſint ad unitatem fidei redigi. Fruſtra hoc tribunal foret, & inſipienter a Chriſto inſtitutum, ſi lata ſententia in ſuſpenſo animi manerent. Quodſi ſub prætextu erroris, vel omnino *hæreſis* liceat contra definitionem pontificiam excipere; tunç non tam Pontifex eſt, qui de fide ſubditorum, quam ſubditi, qui de fide Pontificis judicent, & quidem quælibet *particulares* Eccleſiæ erunt judices Matris ſuæ romanæ, quia id judicii etiam *Diffuſæ* Eccleſiæ Pſeudo-Boſſuetus attribuit.

 §. 11.

*) Præf. Differt. §. 88.

§. 11.

Quis diſceptabit autem in caſu diſſenſionis unius partis cum altera Pontifici adhærente? Audi eumdem I. c. reſpondentem: *Quis diſceptabit, niſi ipſe ab alto Chriſtus*? Chriſtum ergo iterum de cœlo deſcendere oportebit, ut unitas in ſua Eccleſia reſtitui poſſit? non ſufficiet viſibilis ab ipſo in terra conſtitutus Vicarius, non apoſtolica Petri Cathedra, non romana omnium Mater, & Magiſtra Eccleſiarum? *Quis diſceptabit, niſi ipſa traditionis veritas*? Quid vero, ſi id, quod S. Cypriano, ſociisque accidit, pro ipſa veritate traditio falſa habeatur? *Quis diſceptabit, niſi ipſum, ſi res tanti ſit, tamque ambigua generale Concilium*? Audin cantare volucrem appellantium ex ſecta, toties apoſtolico fulmine damnatarum appellationum per 10 integra capita *libri decimi* Apologiſtam, Richerii quoque ab ipſa Gallia reprobati Patronum, voce ſua, quæ Boſſueti vox non eſt, jam plane proditum? Quid vero, ſi Concilium univerſale quacumque ex cauſſa, forſitan intra ſeculum, & ultra obtineri non poſſit, quid ſi in ipſo Concilio pars Pontifici, ac romanæ Eccleſiæ diſſentiens nolit in ultramontanam redire ſententiam? quid ipſius Concilii decretum valebit, ſi non totius congregatæ Eccleſiæ conſenſu firmatum? Aut num forte pars diſſentiens a dando ſuffragio, ab ipſa ſeſſione in Concilio excludetur? Id quidem antiquum morem ſaperet, ſed & antiquam fidem, tantum eam eſſe catholicam Eccleſiam, quæ cum romana in fide conſentiens; quamcumque diſſentientem, eo ipſo non amplius eſſe catholicæ Eccleſiæ partem, ſed factioſam & ſchiſmaticam. *Quis diſceptabit, niſi ipſa denique Eccleſia docente Spiritu S. certiſſima veritatis luce illuſtrata*? Hæccine ergo ipſa catholica Eccleſia, quæ in duas partes diſciſſa, a fide ſanctæ apoſtolicæ Cathedræ aliena, a centro unitatis avulſa, Matri & Magiſtræ ſuæ diſcola? hæccine divinæ veritatis luce illuſtrata, Patris luminum Filia, dilecta Jeſu Sponſa, Spiritus S. Diſcipula? Quales blaſphemiæ! Utut numeroſa ſit, aut ſeculi dignitate conſpicua hæc diſſentientium multitudo; nihil tamen valere poteſt adverſus ſanctam Chriſti Eccleſiam ſupra Petrum inſeparabiliter fundatam: non enim Chriſtus *numeroſitati*, ſed *unitati*, non mundi Principibus, ſed ſub Petro conſtitutis Apoſtolorum Succeſſoribus, uſque ad finem ſeculi ſuam promiſit aſſiſtentiam.

§. 12.

Hæc veri Boſſueti doctrina eſt ab illa Pſeudo-Boſſueti toto cœlo diverſa, „romanam Cathedram eſſe illam, in qua Petrus ſemper præſideat, „& loquatur, quæ hæreſin neſciat, & ſemper virgo fuerit, ſitque, cui in„ſeparabiliter adhærendum, in cujus ſinu tuti ſimus, cujus judicio in fide „divina neceſſe ſit nos uniri, ad cujus judicium, ſi conſenſio partium re-

„qui-

Digitized by Google

„quireretur, janua aperienda foret manifeſtæ rebellioni.“ Hæc, inquam, cum laudato ſermone *de unitate*, tum ſæpe alibi verus Boſſuetus docet: tantum abeſt, ut apoſtolicæ Sedi partem Eccleſiæ *diffuſæ* opponat, ut expreſſe etiam Gallorum doctrinam de poteſtate pontificia ſuperiore reſtringat ad unicum caſum *congregatæ*, & *conſpirantis* univerſæ Eccleſiæ. Non ergo romanæ Petri Eccleſiæ particulares quaſcumque Eccleſias oppoſuit, ſed totam quantam Eccleſiam catholicam ſolius Papæ *perſona* credidit authoritate ſuperiorem ſalva ſemper erga apoſtolicam Petri Cathedram, hoc eſt, *romanam Eccleſiam* reverentia & obedientia.

§. 13.

His quidem ſimilia, æque magnifica in laudem apoſtolicæ Sedis non raro loquitur & Pſeudo-Boſſuetus; ſed parum tamen veteratorum more ſibi conſtans eſt, prout ſcilicet argumentis premitur, in diverſas partes ſe vertere & inflectere doctus. Nunc enim per apoſtolicam Sedem ſincere cum Boſſueto intelligere videtur *ſingularem* romanam Eccleſiam; mox vero, ne propria manu deſtrueret, quod ædificare volebat, apoſtolicam Sedem vocat *totam*, per orbem diffuſam Eccleſiam, iterumque aliter ac frequentius *ſucceſſivam* omnium Pontificum ſeriem, qui duo poſteriores ſenſus, ſi primum illum excludant, uti ex ſe ipſis abſurdi, ita a veritate catholica ſunt remotiſſimi. Si enim in Eccleſia nulla eſt ſingularis Petri Cathedra; tunc neque ſingulariter ſupra Petrum ædificata Eccleſia eſt, nullus Paſtor, nullus Petri Succeſſor cum poteſtate plena clavium, nullum unitatis vinculum; nulla Matrix Eccleſia; verbo nullus jurisdictionis primatus. Si vero apoſtolica Sedes nihil ſit reale, nihil actuale, & viſibiliter exiſtens, tantum, *ſicut tempus*, aliquid abſtractum & ſucceſſivum, hoc eſt, tota ſuccedentium ſibi Pontificum ſeries; præterquam quod impoſſibile ſit, totam hanc veluti catenam a vera fide inſeparabilem, adruptis tamen a vera fide annulis cogitare; eo ipſo, quod ſeries ſucceſſiva nullo tempore plene, & actu exiſtat, ſequeretur numquam in Eccleſia apoſtolicæ Sedis authoritatem plene, & actu exiſtere, hinc neque umquam exerceri potuiſſe, aut poſſe, fruſtraque a Filio Dei fuiſſe inſtitutam, quæ non minus impia, quam inſana ſomnia quantum fidei catholicæ repugnent, nemo non videt.

§. 14.

Non Boſſuetus, ſed Dupinius in ſucceſſione Pontificum Cathedram Petri conſtituit, quem Pſeudocriticum Romanæ Eccleſiæ hanc prærogativam aufferre cupientem pro meritis Epiſcopus Meldenſis caſtigat „unam vocans ex ejus „ſpecioſiſſimis prærogativis, eſſe Cathedram S. Petri, Cathedram principalem, quacum omnes fideles debent ſervare unitatem, quam S. Cyprianus appellat originem unitatis.“ Hujus Cathedræ a S. Petro fundatæ, & exinde

exinde ſemper Romæ exiſtentis perpetuitatem Boſſuetus cum S. Optato ex romanorum Pontificum ſucceſſione contra Dupinium, demonſtrat, *NB.* quæ *unica* eſt Cathedra peculiariter S. Petro ejusque Succeſſoribus commiſſa etiam cum reliquorum Apoſtolorum excluſione, quacum neceſſario omnibus fidelibus ſervanda unitas, & quaſi rivulis ad fontem ſuum inſeparabiliter adhærendum eſt. *) Similiter & alterum æque Pſeudocriticum, falſumque fratrem, Richardum Simonium, qui ut olim Julianus ab Eccleſiæ occidentalis authoritate ad orientalem appellare præſumſit, ex S. Auguſtino Meldenſis confutat: „Credo hanc partem mundi tibi ſufficere debere, „ubi Deus glorioſiſſimo martyrio primum Apoſtolorum voluit coronare, per „quem in occidente Principatum Cathedræ apoſtolicæ conſtituit- — Quid „reſpondebit M. Simon ad tantam authoritatem Eccleſiæ occidentalis, cujus „caput Romana eſt, Mater & Magiſtra omnium Eccleſiarum?" **) En, ut authoritatem romanæ Eccleſiæ ad fidei unitatem *neceſſariam*, ſed & *ſufficientem*. ſine fictitia univerſalis Eccleſiæ conſenſus neceſſitate M. Boſſuetus judicaverit!

ARTICULUS IV.

Sacræ Scripturæ, & Ss. Patrum detortæ interpretationes.

§. 1.

Duo ſunt præcipui S. Scripturæ textus, qui gallicanam Declarationem, ejusque Defenſorem graviter premebant, quibus ergo infirmandis, atque alienum in ſenſum detorquendis omnem impendit operam; irrito tamen conatu, cum utriusque textus genuina interpretatio a vero Boſſueto facta noſtris in manibus ſit. Primus eſt Matth. 16: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* &c., quem ita exponit ***): „Hisce „verbis Chriſtus, qui ſuam maxime unam volebat Eccleſiam, creavit Magi„ſtratum ampliſſima præ ceteris poteſtate, & majeſtate præditum, qui omnes „moveret ad unitatem maxime in fide;" Subdola vel ipſo in limine, ac falſa commentatio! contra conſpicuum Scripturæ textum, quo Chriſtus *ſolum* allocutus eſt Petrum, eumque Eccleſiæ Petram inſtituit, creatum ita a Chriſto *Magiſtratum*, ut non in una perſona, Petro, ejusque Succeſſore collectam, ſed in plures, immo univerſos Epiſcopos diffuſam inſinuaret ſupremam Eccleſiæ

*) Mémoire de ce qui eſt a corriger dans la nouvelle Bibliotheque des Autheurs eccleſiaſtiques de M. Dupin. Oeuvr. poſth. de Boſſuet Tom. 2, p. 532.

**) Defenſe de la Tradition, & des ſaints Peres contre M. Simon. cit. Tom. 2, pag. 10.

***) Defenſ. L. 10, C. 1.

Digitized by Google

cleſiæ poteſtatem. Dein Eccleſiæ fundamentum, quod Chriſtus, ut ajunt, *abſolute*, hoc eſt, ſine adjecta conditione in Petro inſtituit, Author ille *in hypotheticum* commutat, *ſi Petri Succeſſor communem Eccleſiarum fidem pro officio debite promat*, qua ficta conditione totum Chriſti propoſitum, Petrique authoritatem ad divinam fidem firmandam in irritum mittit. Cetera, quæ adhibet verba, ſunt æquivoca, parum aut nihil ſignificantia. Cap. 2 totus in eo eſt, ut perſuadeat, id quidem officii in Petro cuilibet Succeſſori injunctum, ut Eccleſiæ ſit fundamentum, non tamen huic officio gratiæ promiſſionem, hoc eſt, fidem ſemper inviolate conſervandi fuiſſe conjunctam. Maxime animadvertendum eſt, quod Petrum, ceu ab Eccleſia diviſum proponat, majoremque huic, quam illi firmitatem adſcribat, quaſi ſalva Chriſti promiſſione a fundamento ſuo ſeparari Eccleſia poſſet, & aliter, quam ſuo cum fundamento conjuncta portis inferi inſuperabilis eſſet.

§. 2.

Juvat ad confuſionem larvati hujus Boſſueti verum audire Boſſuetum, verba Chriſti, *tu es Petrus*, explicantem *); „Nomen tuum Simonis mu„tavi in illud Petri *NB.* in ſignum firmitatis, quam ego tibi volo com„municare, *NB. NB.* non ſolum pro te, ſed etiam pro *tota* mea Eccleſia, „*eam enim ædificare volo ſuper hanc Petram.* Volo in te modo eminenti & „peculiari ponere prædicationem fidei, quæ ejus erit fundamentum: *Et „portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*, id eſt, illa erit firmata contra „omnes Satanæ conatus, ut ſit inſuperabilis. Et hoc quid eſt aliud, quam „quod Jeſus Chriſtus repetit Luc. 22: *Satan expetivit vos, ut cribraret; „ſed ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu confirma fra„tres tuos.*“ Non ſolum Chriſtus hoc loco confirmandi officium Petro commiſit, ſed interprete Boſſueto etiam ipſam communicavit firmitatem, eamque non pro *ſolo* Petro, ſed pro tota Eccleſia, quam voluit ſupra Petrum ædificare, ut eſſet in perpetuum firma & inſuperabilis contra Satanæ impetus: en privilegium pro bono Eccleſiæ perpetuo duraturæ Petro datum, ergo in Petro vivente ſemper in Succeſſoribus perdurans! — Præterea Chriſtus, quod hic apud Matthæum promiſit non ſoli Petro, ſed Succeſſoribus, apud Lucam repetiit actuque contulit; ergo & Petri Succeſſoribus, non ſoli Petro, hoc tantum officium contulit jubens fratres confirmare, ſed & precibus a Patre impetratam ſtabilitatis in fide gratiam cum officio conjunxit.

§. 3.

*) Meditat. in Evang. die 70.

§. 3.

Adhuc clarius in ſæpe laudato ſermone de *Unitate* ad Epiſcopos Galliæ Meldenſis eumdem textum explicat *): „Chriſtus dum ultimam manum vult apponere myſterio Unitatis, non loquitur ad plures, ſed *perſonaliter* Petrum deſignat per novum nomen, quod illi indidit. Solus eſt, „qui cum eo loquitur, Jeſus Chriſtus, Dei Filius cum Simone Jonæ filio: „Jeſus Chriſtus, qui eſt vera Petra, & per ſe ipſam firma, cum Simone, qui „non eſt Petrus, niſi per firmitatem, *NB.* quam Jeſus Chriſtus ei communicat. Huic Jeſus hic loquitur, & loquendo efficit in ipſo, & imprimit „ſuæ firmitatis characterem: *Et ego,* inquit, *dico tibi*, *tu es Petrus*, & „adjungit: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, & concludit: „*Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* — — Verbum Jeſu Chriſti, „qui de nihilo fecit, quod ſibi placitum eſt, hanc firmitatem dat uni mortali: „*NB. NB.* Ne dicas, ne cogites hoc miniſterium S. Petri cum ipſo finiendum: „hoc, quod ſervire debet, pro fundamento Eccleſiæ æternæ, numquam poteſt finem habere: Petrus vivet in ſuis Succeſſoribus, Petrus ſemper loquetur in ſua Cathedra, hoc eſt, quod dicunt Patres, quod confirmant „ſexcenti triginta Epiſcopi in Concilio Calcedonenſi." Dicat nunc Pſeudo-Boſſuetus officium in fide Eccleſiam confirmandi ad Succeſſores Petri perveniſſe, non firmitatem fundamenti, quæ ſi abſit, ipſum neceſſe eſt labefieri officium, & authoritatem confirmandi: dicat Petrum aut non vivere, nec loqui amplius in Eccleſia, aut ſi Petrus loquatur, Petrum dicat decipi, & a fide poſſe deficere: dicat talia, fingatque. Non certe ita dixere Boſſuetus, non SS. Patres, non ipſe Chriſtus Dominus, qui Petro promiſit gratiam a Patre exoratam, ut ejus fides, quæ deberet fundamentum eſſe Eccleſiæ ſemper duraturæ, nunquam deficeret. Concludamus ex eodem adhuc Boſſueti Sermone *de Unitate* p. 491: „Ita Eccleſia romana ſemper „Virgo eſt: ſemper creditur, quod ſemel fuit creditum: eadem vox ſemper „reſonat, & Petrus in ſuis Succeſſoribus manet fundamentum fidelium: „Jeſus Chriſtus hoc dixit, Cœlum & Terra citius, quam ejus verbum „præteribunt."

§. 4.

Alterum jam textum Luc. 22: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*, ita diſſecat *Defenſionis* Author, ut partem poſteriorem, quæ officium confirmandi fratres imponit, ad Petri Succeſſores tranſiiſſe admittat, partem vero priorem, quæ gratiam divinam propter ipſum officium promittit, Succeſſoribus Petri dene-

*) Mex editionis Pariſienſis de a. 1743 in 4to Tom. 5, pag. 488.

denegat *). — Omnem itaque movet lapidem, ut officium in Petro ſummis Pontificibus commiſſum Eccleſiæ fidem firmandi, ſaltem authoritate Petri exuat, ſpolietque, gratiam negans in Cathedra Petri Succeſſoribus, quam Chriſtus pro bono Eccleſiæ in fide firmandæ Petro promiſerat. — Quapropter triplici ſenſu interpretatur verba Chriſti: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*, a ſubſequentibus abſciſſa, *& tu confirma fratres tuos*: 1mo Soli *perſonæ* Petri vult illam datam promiſſionem, quæ cum ipſo exſpiraverit, quaſi Chriſtus ipſe non indicaſſet finem ſuæ promiſſionis Petro datæ *non deficiendi in fide*, ſcilicet propter officium Petro injunctum, ac perdurabile *fratres confirmandi*. 2do Hoc privilegium ſtabilitatis in fide, non ſingulariter Petro, ſed *univerſæ* Eccleſiæ, cujus tantum perſonam Petrus geſſerit, aſſignat, quaſi ita ineptum fingens Chriſtum, qui Eccleſiam indefectibilem ædificaturus juſſerit defectibili fundamento, ſed quod idem eſt, fallibili authoritate fidem infallibilem ſtabiliri. 3tio Denique Petri fidem in Sede ſua peculiari, quæ romana eſt Eccleſia, ſeu *in Cathedra apoſtolica* non defecturam, qui ſolus integer, ac proprius eſt verborum Domini ſenſus, negare potius directe non audet, quam ut ſincere profiteatur. Quare ſubdole inflatis veluti buccis romanae Petri Cathedrae praerogativas ita depraedicat, ut magnifica dicere videatur, nihil revera dicens **): „Haec „igitur Cathedra, haec Sedes, haec Eccleſia eſt, quae pro ſui Pontificis „dignitate, uniendae Eccleſiae neceſſaria numquam a vera Eccleſia, num„quam a vera fide abrumpatur.“ Quare *abrumpatur*: non vero *abrumpitur*? —

§. 5.

En vulpeculam, quae modo *optativo*, non *poſitivo* praeclare, ſi Superis placet, apoſtolicam Petri Cathedram commendat, *ut a vera fide & Eccleſia numquam abrumpatur!* Quin etiam aliud adhuc latibulum ſub verbo *abrumpi* ſibi paravit: hoc ſiquidem ſingulare privilegium romanae Eccleſiae comminiſcitur, ut a vera fide numquam *totaliter*, ſeu *in perpetuum* abrumpatur, ſed, etſi a fide defecerit, non tamen, ſicut e. g. Græca, vel Anglicana Eccleſia, ſemper in errore perſeveret: tantum ergo ad tempus Eccleſiæ romanæ defectionem a fide vult eſſe admittendam, prudenti ſane conſilio hominis Janſeniani, aut cujuscumque hæretici: ita enim contra *actualem*, & *præſentem* apoſtolicæ Sedis authoritatem omni tempore ſatis tutus erit, romanam Eccleſiam hæreſis arguens, ſed tamen *interimiſticæ* dumtaxat, usque dum ipſa Matrix, & Magiſtra Eccleſia forſitan a ſuis diſcipulis, vel ſaltem ope Concilii œcumenici melius edocta reſipiſcat, id-

 que

*) Defenſ. L. 10, C. 3, 4, 5.

**) Defenſ. Tom. 2, p. 190.

Digitized by Google

que tamquam divinam fidem ampleċtatur, quod antea ceu haereſin damnaverat. Ejusmodi jus docendi ac fidem confirmandi apoſtolicae Petri Cathedrae quadam officii ſpecie, quod *complementum* vocant, quilibet haereticus attribuere poteſt, nihilominus ſuæ, licet damnatæ, ſententiæ firmiter adhærere, imo & unitatem fidei poteſt promittere, ſaltem *pro futuro*, dummodo ad veritatem fidei Eccleſia ſummo Pontifici adhærens, hoc eſt, catholica, depoſito errore revertatur. Quam bella hæc prudentia, ſed filiorum ſeculi! Inſuper larvatus Boſſuetus hoc adhuc officii exhibet Eccleſiæ romanæ, ut ejus fidem a Pontificum fide non diſtinguat Tom. 2, pag. 191: *Neque vero diſtinguimus a romanorum Pontificum fide romanæ Eccleſiæ fidem.* Atqui toto opere evincere, ac perſuadere nititur, romanos Pontifices a vera fide deficere poſſe, & non raro jam defeciſſe. Concluſionem cogita. —

§. 6.

Ab hisce nugis, ſed & nequitiis Pſeudo-Boſſueti quantum verus abhorruerit Boſſuetus, eruditorum neminem fugit: in opere enim ſuo immortali, quod *de Variationibus Proteſtantium* conſcripſit, pro fundamentali poſuit Principio, non eſſe veram Chriſti, non apoſtolicam Eccleſiam, ſed erroneam, ac mortiferam ſectam, quæ umquam in fidei doctrina variaverit, aut variare poſſit. Ut vero S. Scripturæ interpretem Boſſuetum ſequamur; jam ſupra §. 2 vidimus, quomodo verba Chriſti: *Rogavi pro te &c.* non ad ſolam Petri perſonam reſtringat, non ad univerſam Eccleſiam, niſi indirecte, ac per conſequentiam extendat, ſed textum integrum, & inſeparabilem de Petro, ejusque Succeſſoribus explicet, non priorem partem a poſteriore diſſecans, ſed utramque, quod Chriſtus fecit, conjungens, id eſt, tam promiſſum Petro datum, *ut non deficiat fides tua,* quam officium Petro impoſitum, *& tu confirma fratres.*

§. 7.

Singulariter autem partem poſteriorem, *tu confirma fratres*, ita Boſſuetus exponit, ut totam Petri authoritatem, unacum officio confirmandi ad romanam Petri Cathedram in perpetuum deſcendiſſe doceat hunc in modum *): „Sequamur myſterium; verba hæc *confirma tuos fratres*, non ſunt mandatum, „quod Chriſtus ſingulariter S. Petro dederit, ſed officium, quod exigit, „quod in ſua Eccleſia in perpetuum inſtituit. Forma, quam Jeſus Chriſtus „diſcipulis dedit apud ſe congregatis, eſt forma Eccleſiæ chriſtianæ uſque ad „finem ſeculorum. Ab illo momento, quo Simon conſtitutus eſt Caput Collegii

*) Meditat. diei 72.

„legi apoſtolici, & Petrus appellatus, & a Jeſu Chriſto factus Eccleſiæ ſuæ „fundamentum per fidem, quam debebat nomine omnium annunciare, ab „illo momento Chriſtus fecit inſtitutionem, aut ſi malis, deſignationem Pri- „matus in Eccleſia mediante perſona S. Petri, dicens ſuis Apoſtolis: *Ego vo- „biscum ſum uſque ad finem ſeculorum.* Quo oſtendit formam, quam ipſe „inter illos inſtituit, eſſe ad poſteros transmittendam: *NB* Æterna Succeſſio „deſtinata fuit Petro, ſicut etiam Succeſſio ſimilis durationis deſtinata fuit ce- „teris Apoſtolis. Oportebat ſemper in Eccleſia exiſtere Petrum, ut ſuos fra- „tres in fide confirmaret. Hoc erat optimum medium ad unitatem animorum „idem ſentientium, quam Salvator maxime deſiderabat, *NB. NB.* Atque „hæc authoritas tanto magis neceſſaria fuit Apoſtolorum Succeſſoribus, quan- „to infirmior foret iſtorum fides, quam illorum. Eodem tempore, quo J. „C. in ſua Eccleſia hoc officium inſtituit, oportebat pro ejus exercitio Sedem „fixam eligere. — — Dum conſummandum eſſet opus, & Roma chriſtia- „narum omnium Eccleſiarum Caput conſtituenda; Domine illuc magnum Piſ- „catorem hominum miſiſti, hoc eſt, S. Apoſtolum Petrum, ut hanc Eccle- „ſiam ſuo ſanguine conſecraret, & in ea principalem Sedem chriſtianorum „erigeret, unde fides confirmari deberet — — romana fides ſemper fuit Ec- „cleſiæ fides. S. Petri fides, quam ille prædicavit, & tamquam depoſitum „in ſua Cathedra, & in ſua Eccleſia reliquit, quæ ibi ſemper inviolate con- „ſervata eſt, ſemper Eccleſiæ catholicæ fundamentum fuit, & numquam de- „fecit.“ Denique pia ad Deum precatione Boſſuetus hanc Meditationem concludit expreſſe aſſerens divinam promiſſionem Petro datam unacum officio ad poſteros deſcendiſſe: *Navicula, in qua portantur, & cujus gubernaculum tenent, fluctibus fuiſſet obruta, & tempeſtate demerſa NB. ſine promiſſis Petro datis.*

§. 8.

Non minus ſanctos Patres, quam divinas Scripturas falſa interpretatione depravat fictus Boſſuetus. Ut brevis ſim, duo ſufficiant exempla. Celebris eſt S. Bernardi tractatus contra Abælardum, ubi ad P. Innocentium II hæc ſcribit: „Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcan- „dala emergentia in regno Dei, ac præſertim, quæ de fide contingunt: dig- „num namque arbitror, ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, *NB.* ubi non „poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis: cui „enim alteri aliquando dictum eſt: *Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat „fides tua*? Ergo quod ſequitur, a Petri Succeſſore exigitur: *Et tu aliquando „converſus confirma fratres tuos.*“ Quam vere, quam clare S. Bernardus! hunc vero ut pro ſuo guſtu interpretetur Pſeudo-Boſſuetus, Sedentem quidem a Sede diſtinguit, quod mori Gallorum dari poſſet, etſi non omni ſenſu

 probari,

probari, ſed & ipſam Sedem en, quemodo a fide indefectibilem, quaſi ad mentem Bernardi, prædicet: *Ut error in ea Sede non obtineat* (in perpetuum) *in ea Pontificum ſerie, quæ a fide penitus abrumpi nequeat* *). Hoc Bernardus non dixit, ne cogitavit quidem, ſed expreſſe contrarium dixit: ***Ibi reſarcienda eſſe damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire defectum: hanc enim eſſe bujus Sedis prærogativam NB. propter promiſſionem in Petro Succeſſoribus datam.***

§. 9.

Eandem ſortem ſub manu Pſeudo-Boſſueti experiri debuit S. Hieronymus, qui ad P. Damaſum ita ſe exprimit: „Ego nullum primum, niſi „Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione „conſocior, ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio: quicumque ex„tra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe „non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, „ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.“ Hæc non *ex fidei certitudine*, ſed *ex optima præſumptione* ab Hieronymo dicta vult larvatus Boſſuetus l. c. Sicut & illud Juſtiniani Imperatoris ad Pontificem Hormiſdam: *Hoc reputamus Catholicum, quod veſtro religioſo reſponſo fuerit intimatum.* Itane ergo, quid catholica fide credendum, proprioque ſanguine confirmandum, cui Capiti pro unitate fidei communicandum eſſet, id ab antiquis non certitudine fidei, ſed bona duntaxat præſumptione fuerit creditum? Tolle Hieronymo fidei certitudinem, & vide, an *optimam* vocaveris præſumtionem, qua dixit profanum eſſe, qui Cathedræ Petri communione non ſocietur, qui extra hanc domum ſupra Petrum ædificatam agnum comederit; eum perire, qui in hac arca non ſit; qui cum Papa non colligat, eum ſpargere, non eſſe Chriſti, ſed Antichriſti. Hæccine ex bona tantum præſumptione dicta? Brevitatis ſtudio nihil jam de Cypriano dicam, cujus fere non meminit *Defenſionis* Author, niſi ad vituperium, dataque opera id præterit, quod S. Martyr extra ſuam controverſiam poſitus mente tranquilla in laudem romanæ Eccleſiæ ſcripſit, *ad quam perfidia non poſſit habere acceſſum.* Nihil amplius de Auguſtino, cujus verab miſere contorquet dicentis, Pelagianam cauſſam ſententia Romæ lata, haud expectato prius univerſi orbis conſenſu eſſe finitam: *Cauſſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error!*

ARTI-

*) Defenſ. T. 2, p. 207.

ARTICULUS V.

Pontificum & Conciliorum Falſificationes.

§ I.

Cum in materia de appellationibus a Papa ad Concilium, ubi *Defenſionis* Author aperte Janſenianis patrocinatur partibus, hæc verba legerem Tom. 2, pag. 23: *Primus omnium mortalium, qui appellationes a Papa expreſſa ſententia condemnavit, Benedictus fuit ille XIII, ſeu Petrus de Luna in ſchiſmate obſtinatus & induratus;* mirari non ſatis potui audaciam hominis, qui orbi erudito in re propatula, quam ipſe diffiteri non poterat, tam impudenter imponere tentaret. Clariſſima enim ſuperſunt antiquorum Pontificum teſtimonia, quibus hujusmodi appellationes illicitæ declarantur. Ita ſeculo V Bonifacius I ad Rufum Theſſalonicenſem, item Bonifacius II in Concilio romano iisdem verbis: *Nunquam licuit de eo rurſus, quod ſemel ſtatutum eſt ab apoſtolica Sede, tractari.* Gelaſius ad Epiſcopos Dardaniæ epiſt. 13 ſcripſit: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quod de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio Siquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus.* Nicolaus I ad Michaelem Imperatorem epiſt. 8 hæc habet: *Nemo umquam apoſtolico culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis, extitit, niſi qui de ſe voluit judicari.* Hæc quidem ad confrontandam, ut ajunt, mendacii impudentiam. Ceterum quam falſum in ſenſum larvatus Author dicta Pontificum detorqueat, ſatis per ſe in oculos cadit: quod enim *numquam*, quod *nemini* licitum eſſe Pontifices decreverant, id non *ordinarie* licitum dicit: item cum Pontifices expreſſe aſſerunt, de quibuscumque cauſis Eccleſiæ SIBI fas eſſe judicandi, & hoc judicium SUÆ apoſtolicæ Sedis non poſſe retractari; ipſe hæc decreta non de judicio ipſorum Pontificum, ſed univerſalis Eccleſiæ, Papa *Executore* potius, quam *Judice* interpretatur Tom. 2, p. 227. Hac arte evincam tibi, nec a Martino V, nec a Pio II, nec a Sixto IV, nec ab ullo poſteriorum Pontificum appellationes ad Concilium fuiſſe interdictas; quod ſi interpretari eſt, dicas, quid ſit documenta depravare?

§. 2.

Obſervatu adhuc dignius eſt, quam mala fide in allegandis Conciliis œcumenicis Pſeudo-Boſſuetus incedat. Lugdunenſe II, Chalcedonenſe, & Ephe-

Digitized by Google

Epheſinum pro exemplis ſunto! In primo illo anno 1274 Epiſcopi græci de romanæ Eccleſiæ Primatu ſuam fidem ita profitentur *): „Ipſa quoque „ſancta romana Eccleſia *ſummum* & *plenum* Primatum; & Principatum ſuper „*univerſam* Eccleſiam catholicam obtinet, quem ſe ab ipſo Domino in B. „Petro Apoſtolorum Principe, ſive vertice, cujus romanus Pontifex eſt „Succeſſor, *cum poteſtatis plenitudine* recepiſſe veraciter, & humiliter recog„noſcit, & ſicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, ſic & de „fide, ſi quae ſubortae fuerint, quaeſtiones, ſuo debent judicio definiri.“ In hac Graecorum Profeſſione ſyſtemati *Defenſoris* plane repugnant ultima verba, queis ſubortae quaeſtiones *romanæ Eccleſiæ judicio* ſubmittuntur, & quidem *ut definiantur*, hinc judicio irreformabili, quippe quo fidem divinam niti neceſſe eſt. Hunc ut evitaret ſcopulum, duplex excogitavit effugium, nil veritus, etſi textus falſificationem. Ad primum igitur, ne in fidei quaeſtionibus *ſolius* romanae Eccleſiae judicium ſine ſua praetenſa neceſſitate univerſalis conſenſus deberet agnoſcere verba *præ ceteris* a Concilio in praemiſſis poſita, & ſapienter quidem, quia revera etiam omnium ceterarum Eccleſiarum particularium eſt officium fidei veritatem defendere, illa verba *præ ceteris* larvatus Author T. 2, p. 62 in concluſionem retraxit, quaſi non aliter, niſi unacum ceterarum Eccleſiarum judicio ad romanæ Eccleſiæ judicium fidei quæſtiones pertinerent, quod græci Patres non dixerunt, ſed in eo Primatum poſuerunt, ut romanæ Eccleſiæ Tribunal, tamquam apoſtolica Petri authoritate competens forum pro fidei quæſtionibus agnoſcerent.

§. 3.

Ad alterum; ne authoritatem fidei quæſtiones *definiendi* fateri deberet infallibilem, aliud ſibi effugium priori vel ipſe jam diffiſus in luſu vocis quæſivit, hic certe venia indigno, quippe a ſcopo univerſalis Concilii longe alieniſſimo. Hinc ait p. 63: „Certe *definire*, ac *determinare* pro eodem „habentur. Quis autem Theologus non audiit *determinationes* ſacræ Facul„tatis, aut quis eas propterea infallibiles cogitavit? *Definit*, & *determinat*, „qui tota ſua, qualiſcumque eſt, authoritate judicat.“ Quas nugas vel commemoraſſe jam confutaſſe eſt. Quis eſt Catholicorum, qui theologicæ Facultatis judicium vocet *definitionem fidei*, aut ſolum *determinationem?* Nonne ſimpliciter *cenſura*, vel *judicium* audit, cui tamen ſalva fide contradicitur? Quid quod particularium adeo Eccleſiarum, & Synodorum decreta nondum in noſtra Eccleſia *pro fidei defimtione* valeant? Verum e contrario catholica doctrina eſt, apoſtolicæ Sedis *definitioni* ipſam fidei internam æque, ac

*) Epiſt. Michaël. Imper. ad Gregor. X.

Digitized by Google

ac externam obedientiam deberi. Quod *de ſententia definitiva* in foro contentioſo ſcribit, ubi humana inſtitutione adhuc adpellatio datur, quæ priorem ſententiam ſuſpendit, æque id abſonum eſt: in fidei enim *definitione*, cui interna mentis obedientia debetur, ſi ſemel facta fuerit; nulla in terris adpellatio datur, quia ideo tanta Authoritas in Eccleſia divinitus inſtituta eſt, ut unitatis in fide conſervandæ regula haberetur infallibilis. Atque hæc ipſa mens Concilii Lugdunenſis fuerat, hic ſcopus, ut quæſtiones fidei *finirentur*, ſeu *terminarentur*, prout quam certiſſime ex propriis verbis græcorum Patrum & originali idiomate elucet: — *Ἐάν τινες περὶ τῆς πίστεως ἀναφύωνται συζητήσεις, τῇ ταύτης χρεὼν κρίσει διορίζεσθαι.*

§. 4.

Quantum vero a falſa illa interpretatione Pſeudo-Boſſueti genuinus diſſentiat Boſſuetus, ex ipſius ore palam demonſtratur, ſcilicet antiquam „Græcorum fidem fuiſſe, Petrum loqui per os Pontificis, authoritatem „apoſtolicam Petri, quæ fidei firmamentum ſit, in romana Cathedra ſem„per reſidere, quacum neceſſario in unitate fidei vivendum, ſi quis velit de Eccleſia eſſe &c.“ Ita plurimis in locis Boſſuetus e. g. contra MM. Baſnage, Jurieu, & Claude: in litteris ad D. Molanum: item in Inſtructione paſtorali, prima & ſecunda *de Promiſſis Eccleſiæ datis.*

§. 5.

Duo Orientis œcumenica Concilia, tertium & quartum *Defenſionis* Authoritati ſunt præcipuus Achilles, quo mirifice minitatur *). Ea, inquit, quæ Concilium Epheſinum præceſſerunt, ejusdemque acta demonſtrant, plena authoritate latam Pontificis ſententiam non fuiſſe pro irreformabili habitam NB. *poſtquam ingens diſſenſio exorta eſt*, *ac Synodi œcumenicæ injecta mentio* T. 2, p. 14. Ut ordine procedamus, primum eſt diſpiciendum, quæ falſa contra hiſtoriam, dein contra hujus Concilii acta producat, tum vero quantum ab ipſo Meldenſi Boſſueto confundatur.

§. 6.

Atque inprimis quidem falſum contra hiſtoriæ veritatem committit larvatus Author, dum ſententiam Cæleſtini P. adverſus Neſtorium jam latam, perſuadere vult Concilii indictione habitam fuiſſe tamquam *ſuſpenſam*, & quidem *tam de fide, quam de perſonis judicatis* p. 15. Falſum eſt, in-

*) Præv. Diſſert. §. 59; item Defenſ. Lib. 7, Cap. 9 &c.

Digitized by Google

inquam, quod Concilium ad ſuſpendendam de fide, & perſona Neſtorii ſententiam pontificiam fuerit ab Imperatore indictum; ſed id proborum maxime votis a Theodoſio, etſi ſiniſtre contra S. Cyrillum occupato fuit conceſſum ad exequendam modo opportuno, & efficaci Pontificis ſententiam. Ipſe enim Pontifex depoſitionis ſententiam contra Neſtorium, niſi intra decem dies reſipiſceret, latam non aliter voluit per Cyrillum, quam in Synodo ad executionem deduci, ut rei æquitate palam demonſtrato Eccleſiæ judicium vel ab ipſo Imperatoris brachio eo fortius ſuſtentaretur, ſine quo tanti Patriarchæ, ut Conſtantinopolitanus fuerat, exauthoratio proſpero cum eventu ſuſcipi non poſſet. Vide apud Labbeum *).

§. 7.

De fide autem a Cœleſtino definita neutiquam orientales Patres, quibus pontificiæ litteræ innotuerunt, ne ipſe quidem Joannes Antiochenus, tantum perſonæ, non vero cauſæ Neſtorii patronus, dubitabat. De hac ergo ante Concilium inter Orientales non magna, immo nulla fuit diſſenſio, ſi Neſtorium cum paucis ſociis excipias: poſt Concilium vero, ſive per ipſum Concilium, eoquod poſteriores Cyrilli anathematiſmos probaſſet, major diſſenſio orta eſt Joanne Antiocheno cum triginta circiter Epiſcopis Orientis repugnante, ita ut prætenſus a Pſeudo-Boſſueto diſperſæ Eccleſiæ conſenſus magis œcumenico Epheſi Concilio, quam antea Cœleſtini P. litteris deeſſet. Ceterum Pontifex indicto Concilio ſuam de *fide* ſententiam adeo non ſuſpenſam credidit, ut eamdem pro *regula inviolabili* Patribus præſcripſerit, & ſuis ad Concilium Legatis hoc expreſſum dederit commonitorium, „authoritatem Sedis apoſtolicæ cuſtodiri debere mandamus. „Siquidem & inſtructiones, quæ vobis traditæ ſunt, hoc loquuntur, ut intereſſe conventui debeatis: ad diſceptationem ſi fuerit ventum, vos de eorum ſententiis judicare debetis, non ſubire certamen." **)

§. 8.

Quo loco novum Authoris *falſum* ſe prodit; dum Pontificis mandatum ad Legatos de illorum Patrum, qui forte in Concilio contenderent, ſententiis judicandi hiſce ſuis additis, *utique cum Synodo* depravat. Non ſane cum Synodo indicari, ſed in Synodo, *in Conventu* litigantes ſuis a Legatis judicari debere Pontifex edixit: eo ipſo enim, quod membra Conventus inter ſe litigarent, non poterant a Synodo, hoc eſt, a Patribus litigantibus, ſed neceſſe erat authoritate pontificia judicari. Quod vero Imperator

*) Colleſt. Concil. edit. Venet. 1728 T. 3, p. 571. **) Apud Labb. acta cit.

tor ſua epiſtola juſſerit *pietatis doctrinam in ſacra Synodo diſcuti*, & *examinari*, *ac ratum eſſe*, *quod rectæ fidei conſonum videbitur*, & *ut ante coactam Synodum*, *communemque ejus ſententiam nihil quidquam a quoquam in ulla prorſus re privatim innovetur*, id quidem pii Principis bonam voluntatem indicat, qua plenam libertatem relinqui Concilio voluit, & ut nemo Epiſcoporum privatim per violentiam quidquam amplius attentaret, prout antea Neſtorius contra orthodoxos Monachos ſibi adverſantes fecerat: neutiquam vero id regulam fidei tangit a Pontifice Concilii Patribus præſcriptam, quam forſitan Imperator adhuc ignoravit, certe autem epiſtola ſua infirmare non voluit, nec potuit. —

§. 9.

In ipſis Concilii geſtis mox actione 1ma *falſum* committit larvatus Author inquiens: *Lectas fuiſſe Imperatoris litteras*, & *in geſta relatas*, *NB. probatumque a Patribus*, *omnia circa Neſtorium a Cæleſtino decreta ſuſpenſa fuiſſe*, *donec ſacra Synodus ferret ſententiam* *). Duplex hic falſum eſt: primum, quod Imperator *in ſuſpenſo* eſſe declaraverit a Cœleſtino circa Neſtorium decreta, quæ ut modo vidimus, §. præc. Imperator aut ignoravit, aut non tetigit. Alterum falſum eſt, *probatum a Patribus* fuiſſe, quod litteræ Imperatoris continerent: tantum enim ſimpliciter lectæ, & ſine judicio, ac deliberatione in geſta fuerunt relatæ. Equidem verum eſt, & Cyrilli, & Neſtorii doctrinam, alteram a pontifice jam probatam, alteram condemnatam iterum fuiſſe examini ſubjectam: ita vero oportuit fieri, atque ipſe Pontifex voluit, quod certe *non dubitationis* fuit examen, quippe jam præſcripta fidei regula, ſed *declarationis*, ut fidei catholicæ veritas, & oppoſitus error amplius in conſpectu Eccleſiæ manifeſtarentur. Hinc etiam Concilii Patres publico in Conſeſſu profeſſi ſunt *regulam fidei ſibi a Cæleſtino præſcriptam: hujus ſe tantum exequi ſententiam: æque ab hac, ac ſacris Canonibus ſe cogi ad neſtorium damnandum.* — Hæc genuina acta: unde colligitur Epheſinæ Synodi judicium non fuiſſe inſtitutum, quaſi ad rem incertam ambigua deliberatione diſcutiendam, ſed ad certam fixamque Pontificis ſententiam modo competente, & efficaci in executionem deducendam.

§. 10.

Dignum eſt hac de re verum jam Boſſuetum percipere. Adverſus Dupinium ſingulares obſervationes in Concilia Epheſinum, & Chalcedonenſe confecit, utpote in quibus pontificia authoritas ad exemplum ſequioris

*) Defenſ. T, 2, p. 15.

rìs ævi magnifice reſplenduit. Meldenſis Epiſcopus male feriatum illum criticum (du Pin) per plura Capita caſtigat, tam quod *gravia* in iſtorum Conciliorum hiſtoria ſuppreſſerit, quam quod *periculoſa* ex ſuo ingenio admiſcuerit *). In ſpecie mox Cap. 1, Obſerv. 1 falſi arguitur, quod larvatus *Defenſionis* Author inſinuare ſtuduit, quaſi lata per Pontificem ſententia ingens diſſenſio exorta, & fidei aſſenſio uſque ad Synodum œcumenicam ſuſpenſa fuiſſet. Verba Boſſueti ſunt: „Conſtat ex omnibus actis, „quod pontificia ſententia cum ſubmiſſione recepta fuerit per totum Orien„tem, etiam ab ipſis Neſtorii fautoribus, quorum Joannes Antiochenus „Patriarcha caput fuerat.“ Eoquod idem Joannes ſerio Neſtorium monuiſſet, ne Pontificis litteras parvi penderet, ſeque ipſum in exitium *irremediabile* præcipitem daret; Meldenſis ita pergit: „Atqui propoſitum ab illo „exitio cavendi remedium non fuit aliud, quam ut Neſtorius deſiſteret „verbo *Dei Mater* repugnare, idque approbaret, hoc eſt, reipſa retracta„ret modo, quo honeſtiſſime poſſet: id quod etiam demonſtrat, quam diſ„ficile negotium fuerit, & quantum authoritas iſtarum litterarum (Cœle„ſtini P.) valuerit, eoquod Patriarcha Antiochenus aliud remedium ſe de„fendendi non proponat, quam iſtud revocandi.“ Deinde obſerv. 4 ex ſententia, quam Concilium Epheſinum adverſus Neſtorium protulit, præcipue Boſſuetus authoritatem Pontificis in Concilium declarat, quod expreſſe *eodem loco*, quo ſacros Canones, pontificias quoque litteras poſuit, ab iisdemque ad damnandum Neſtorium *ſe coactum* fatetur. Demum Obſerv. 6 & ſeqq. totus in eo eſt, ut contra Dupinium, aliosque pontificiæ authoritatis vilipenſores oſtendat proceſſum Epheſinæ Synodi non alium fuiſſe, quam regulæ a Cœleſtino præſriptæ *executionem*, & Cyrillum Alexandrum Synodo ut *executorem* jam latæ ſententiæ, non propria, ſed authoritate pontificia praeſediſſe, *ſecus aliquid abſolute neceſſarium Concilio defuiſſet, nempe Authoritas ſanctæ Sedis, & Papam in ſua unitate non habuiſſet, quod nemo negaverit ſemper pro regula, & fundamento fuiſſe habitum* **). Satis haec de Epheſino Concilio.

§. 11.

Nunc de Chalcedonenſi: Qua in re eamdem, quam ſupra, viam tenebo primum oſtenſurus, quibus falſis larvatus Author documenta Concilium praecedentia, dein ipſa Concilii geſta depravarit, demum genuinis Boſſueti ſenſis concludam. Ab ovo neceſſe eſt incipiam. Cum S. Flavianus in Synodo conſtantinopolitana Eutychen damnaſſet, mox data epiſtola, eaque, ut videtur, intercepta, etiam altera S. Leonem romanum Pontificem rogavit,

*) Remarques ſur l'hiſtoire des Conciles d'Epheſe, & de Calcedoine. Oeuvr. poſth. T. 2. **) Oeuvr. poſth. T. 2, p. 559.

gavit, „ut propriam faciens communem cauſſam, & ſanctarum Eccleſiarum „diſciplinam, ſimul decerneret damnationem adverſus Eutychen regulari„ter factam eſſe, & per propria dicta confortaret Imperatoris fidem (addi„dit Flavianus) cauſſa enim eget ſolummodo veſtro ſolatio, atque Defen„ſione, qua debeatis conſenſu proprio cuncta ad pacem perducere: *NB.* Sic „enim haereſis, quae ſurrexit *), — facillime deſtruetur Deo cooperante „per veſtras litteras, removebitur autem & Concilium, quod fieri divul„gatur, quatenus nequaquam ſanctae turbentur Eccleſiae" **). Hanc dogmaticam fidei cauſſam *de humana Chriſti natura* expreſſe teſtatus eſt Flavianus, terminari poſſe per ſolam apoſtolicae Sedis confirmationem, quae ad finae, id eſt, particularis Synodi judicium accederet NB. ſine neceſſitate univerſalis Concilii, quo jam provocatum. Ut tanti momenti teſtimonium enervaret larvatus Author, duo commiſit *falſa*, unum contra facti hiſtoriam, alterum contra formalia documenti verba. Itaque ait *Defenſ.* T. 2, p. 23, Eutychianam hanc cauſſam fuiſſe *apertam & planam*, *paucos adhuc ſectatores*, *eosque obſcuros*, *nec magni nominis.* Quae ſingula hiſtorice falſa. Vixdum damnata Neſtorii doctrina multis, praecipue Alexandrinae Diœceſeos, S. Cyrilli doctrinae ultra modum tenaciſſimis videbatur difficillimum unam in Chriſto perſonam agnoſcere remanente duplici, eaque diſtincta natura: hanc difficultatem in Chalcedonenſi conventu quidam adhuc Epiſcopi propoſuerunt. Ad haec Eutyches Conſtantinopolitanus Archimandrita, id eſt, Monachorum, quorum tunc in Oriente ſumma erat aeſtimatio, Archiabbas in Synodo Epheſina contra Neſtorium magnam ſibi authoritatem pepererat, tamquam fidei catholicae columna, ita ut per litteras Leonis P. laudari & commendari mereretur. Is inſuper potenti patrocinio Magnatum in aula imperatoria, & ut videtur, jam manifeſto Dioſcori Alexandrini, aliorumque Epiſcoporum conſenſu erat roboratus, nec non Monachorum turba ſuffultus, reſque eo jam devenerat, ut contra judicium Synodi Conſtantinopolitanæ vel ab ipſo Eutyche, vel ab ejus fautoribus ad univerſale Concilium eſſet provocatum, jamque tumultus excitatus, prout expreſſa S. Flaviani verba docent: *Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ ſunt, facillime deſtruentur.* Quem textum, ut Lectoribus fucum faceret, larvatus Author corrupit ſupprimendo ea verba, quæ *turbas jam factas* teſtantur. En alterum falſum! —

 §. 12.

*) Hic interim eidem omiſſa ſunt, quæ Defenſ. T. 2, p. 23.
**) Inter. S. Leon. Epiſt. 26, edit. Ballerin.

§. 12.

Præterea eoquod S. Leo poſt Epheſinum latrocinium œcumenicam Synodum judicavit neceſſariam; idem Author contendit cit. p. 23, & 228, ex ipſa Leonis ſententia fluctuationem in fide antea *non ſatis tolli* potuiſſe, atque apoſtolicum judicium, quo S. Flavianus appellavit, tantum fuiſſe *proviſorium*. Quæ duo quam falſa ſint, genuinæ, quæ reſtant, litteræ loquuntur. Atque inprimis de cauſſa S. Flaviani: hanc ad ſe appellationis via delatam S. Leo *decretoria* ſtatim ſententia decidit, eamque pluribus litteris in Orientem miſſis publicavit *). „Flavianum in ſua communione, „proinde & priſtina dignitate perſiſtere, quæcumque Epheſi acta non poſſe „rata haberi, & cuncta in eodem ſtatu, in quo ante judicium fuerunt, eſſe „debere." Idem ad Imperatricem Pulcheriam Hilarus Diaconus perſcripſit **): „A præfato Papa cum omni occidentali Concilio reprobari omnia, „quæ in Epheſo contra Canones per tumultus, & odia ſecularia a Dioſcoro „Epiſcopo geſta ſunt, & nulla ratione hæc in his partibus ſuſcipi poſſe." — Rem pleniſſime evincit ipſa Actio 1ma Concilii Chalcedonenſis: cum enim Actorum Epheſi lectio peteretur, quo minus id fieret, & male ibi geſta amplius ad deliberationem admitterentur, Legati Sedis apoſtolicæ obſtiterunt: eam afferentes rationem, *quia a beatiſſimo & apoſtolico romanæ urbis Epiſcopo omnia, quæ ibi geſta ſunt, vana ſunt habita.* Tam *decretorium* ergo, ſi quod unquam, non mere *proviſorium* fuit S. Leonis judicium.

§. 13.

Falſum etiam eſt, S. Pontificem permiſiſſe, ut in ſuſpenſo fides usque ad Concilii definitionem maneret. Quam enim fidei declarationem ipſe in celeberrima ad Flavianum epiſtola ediderat ***), ita ratam, firmamque eſſe præcepit, ut nullam amplius pro exponenda fide Concilii neceſſitatem agnoverit, ſed & in Concilio fidei quæſtionem moveri, atque in diſputationem adduci, quaſi fides adhuc anceps & dubia eſſet, penitus interdixerit Epiſt. 90, & 93. Cur ergo S. Leo poſt Epheſinam Pſeudo-Synodum univerſale Concilium judicaverit convocandum; non id ob incertitudinem doctrinæ, ſed ad gravia Eccleſiæ ſcandala efficaci, & opportuno remedio curanda, pacemque eo ſecurius conciliandam *neceſſarium* videbatur. Hanc non fuiſſe *juris*, ſed *facti* neceſſitatem doctiſs. Fratres Ballerinii invicte demonſtrarunt ****).

§. 14.

*) Epiſt. 44, 45, 50, 51. **) Epiſt. 46. ***) Epiſt. 28.
****) Opp. S. Leonis M. Venetiis 1756 T. 2, p. 1163 &c.

§. 14.

At, inquit larvatus Author *), „ipſe S. Leo non ſuum, ſed tan„tum œcumenici Concilii judicium *irretractabile* exiſtimavit, in epiſtola ad „Theodoretum ita ſcribens: *Quæ Deus noſtro prius miniſterio definiverat*, „*fraternitatis univerſæ irretractabili firmavit aſſenſu* **). — Pariter Leo in„ventos fuiſſe fatetur, qui de ſuis judiciis dubitarent; neque hæretici tan„tum, ſed & Synodi Patres ex horum numero fuerunt, prout acta teſtan„tur. Hiſce jam latam apoſtolica authoritate fidei ſententiam adhuc exa„minandum S. Pontifex permiſit: nihil ſimile *Retractationis* poſt univer„ſalis Concilii deciſionem unquam legitur. — Ergo *ultimum* & *irretracta„bile* judicium non in pontificiæ Sedis ſententia, ſed unice in univerſali „conſenſu eſt reponendum.„

§. 15.

Quantum ille Author verborum luſu delectetur, nimirum ad illudendum aliis, hoc loco noviter manifeſtum fit, ubi, ut cum S. Gregorio Nazianzeno loquar, *levis*, & *jejuna de vocum ſono altercatio eſt*. Duplici enim ſenſu *retractabile* aliquid dicitur, vel ſi idem, ac *reformabile* ſit, quod etiam in contrarium poſſit immutari, vel ſi ſimpliciter tamquam *iterum tractabile* ſumatur, eoquod iterato ad tractationem propriæ inſpectionis, aut amplioris inſtructionis gratia aſſumi poſſit. Non certe in priori ſenſu apoſtolicum ſuum judicium retractari S. Leo permiſit, prout ſupra §. 13 vidimus, & hac ipſa ex epiſtola manifeſte apparet, ubi ait: *a Deo jam prius ſuo miniſterio definitum*, *quod poſtea univerſæ Fraternitatis aſſenſu firmatum*: atque iterum: *quæ fides prius docuerat*, *hæc poſtea examine confirmata*. Fuerunt quidem, qui dubitarent; at ex ignorantia ſane, non quaſi ex incertitudine jam judicatæ veritatis: hiſce permiſſum examen, non certe ad ancipitis judicii ſuſpenſionem, & tamquam de re incerta diſputandi licentiam, ſed tantummodo ad plenam inſcitiæ inſtructionem, & ex illa reſidui adhuc dubii depoſitionem. Hunc in finem apoſtolica Sedes non dedignatur ſuas jam latas ſententias, etſi in ſe irreformabiles, pleniori tamen judicio univerſalis Concilii adhuc examinandas, non ſubmittere, ſed permittere ad veritatem amplius manifeſtandam, præcipue propter fidei adverſarios ad ora obloquentium comprimenda, *ne aliarum Sedium cum Principali conſenſus*, verba ſunt ejusdem S. Leonis, *aſſentatio videretur*, *aut alia quælibet ſubrepere poſſet adverſa ſuſpicio*. Enimvero ita & ſummo Sacerdotio ſua ſervatur authoritas, dum fidei regulam, eamque irreformabilem præſcribit, propoſitis tamen ſuæ fidei fundamentis, ne imperioſe cogere videatur ad cæ-

cam,

*) Prær. Diſſert. §. 61. **) Epiſt. 20.

Digitized by Google

cam, & ſervilem ſubjectionem; & inferioribus ſalva manet per ſe ipſos cognoſcendi, ſeu examinandi libertas, non ea quidem ad obſtinatæ contentionis licentiam, ſed ad rationabilis aſſenſus obſequium. Hoc ſenſu etiamnum hodie cum S. Leone vocamus judicium *irretractabile*, ſolum illud in plenario Paſtorum conventu jam expreſſum; ſiquidem univerſæ Eccleſiæ judicio res ſemel diſcuſſa jam non diſcuſſione ampliore dijudicari poteſt. Si velis hujus judicii, quod inter homines poſſibile eſt, *pleniſſimi* ſupremam, & *ultimam* dicere authoritatem, certe ad opprimendos fidei adverſarios, non ſumus inviti: id tamen non obſtat, quominus inter fideles chriſtianos Sedis apoſtolicæ ſententia ſit *firmiſſima* fidei regula, cui pertinaciter repugnare numquam liceat, & quacum *neceſſario* cuilibet Eccleſiæ, ut ad Catholicam pertineat, ſentiendum ſit. Unum adhuc memineris, quo univerſalis Concilii judicium *completum*, ac *irretractabile* fiat, primæ Sedis Authoritatem quam maxime accedere debere, id quod Patres Chalcedonenſes cum Imperatore profeſſi ſunt, ut paullo infra ex actis demonſtrabimus.

§. 16.

Ad ipſa igitur Concilii acta nunc veniendum. „Celeberrimam illam „Leonis ad Flavianum epiſtolam, quæ fidei deciſionem complectebatur, a „Judicibus in examen vocatam, neque ab Anatholio, aliisque Epiſcopis „ſuſceptam fuiſſe, niſi poſtquam deliberatum, & exploratum, cum antiquioribus Conciliis conſonare“, ait *Defenſionis* Author *): quo loco ſumme momentoſam veritatem reticendo, & falſa ſaltem ſpecie, id quod veri dicit, obfuſcando inſigniter se *falſarium* oſtendit. Actione 2da, ubi judicato Dioſcoro de fide agi cœptum, quid contigerit, primum inſpiciamus. Cum Judices, hoc eſt, Imperatoris Delegati ſeculares fidei expoſitionem a Patribus poſtulaſſent, Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolitanus dixit: „Emerſerunt, quæ ad Eutychen pertinebant, & ſuper iis *NB.* forma data eſt a „SS. Archiepiſcopo romanæ urbis, & ſequimur eum, & Epiſtolæ omnes ſubſcripſimus:“ Neque ſolus ita ſenſit Cecropius, ſed univerſim Epiſcopi, quippe qui jam antea Synodum epiſtolæ S. Leonis ſubſcripſerant: hinc in actis ſubditur: „Reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt, iſta „omnes dicimus, ſufficiunt, quæ expoſita ſunt, alteram expoſitionem non „licet fieri.„ — En pontificiam epiſtolam pro firma, & *irreformabili* regula a Patribus agnitam! Porro recuſata a Concilio nova fidei expoſitione idem Cecropius a Patribus petiit, & obtinuit, ut ad ampliorem inſtructionem jam firmata a Nicænis Patribus, & S. Leone fidei regula prælegeretur.

*) Præv. Diſſert. §. 59.

Google

tur. Quare recitatæ ſunt expoſitiones fidei Nicæna, Conſtantinopolitana, S. Cyrilli, aliorumque Patrum, uti & S. Leonis: quæ ſingulæ cum legerentur, non certe *pro examinatione*, ſed *pro fidei inſtructione* ſuam Patres acclamationem, tamquam ejusdem jam ſatis firmatæ fidei profeſſionem, non vero veluti novæ deliberationis deciſionem dederunt: hinc *NB.* ſine examine ad ſolam lectionem clamarunt: „Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt: „anathema, qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus eſt; Apoſtoli ita docuerunt. — „Hæc vera fides, hæc Patrum fides": — Unde liquide apparet, S. Leonis ad Flavianum epiſtolam a Concilio non quaſi pro fidei diſcuſſione in examen vocatam, ut falſo larvatus Author prætendit, ſed pro Patrum inſtructione ut firmam fidei regulam fuiſſe prælectam.

§. 17.

Inſuper ſincerus Lector malæ fidei hujus Authoris indignabitur, qui ut eluderet inſignes acclamationes, ac laudes, quibus Chalcedonenſes Patres antiquis fidei ſymbolis S. Leonis epiſtolam æquipararunt, inſinuare nititur eos clamores non totius Concilii nomine, ſed tantum a paucis, iisque privatis fuiſſe editos, eoquod Clerici Conſtantinopolitani dixerint: *Pauci clamant, non tota dicit Synodus* *). Quid magis indecens, talique viro, qualis Boſſuetus erat, indignum, quam falſatos proferre textus, & inverſum dare verbis ſenſum? Tale quid nonniſi in Pſeudo-Boſſuetum cadere poteſt: exhibeamus factum! Plures Epiſcopi, præcipue Illyriciani a Dioſcoro in Synodo Epheſina decepti, & pœnitentia ducti veniam a Concilio petebant, non pro ſe tantum, ſed pro omnibus, etiam ipſis (ne excepto quidem Dioſcoro) criminis Authoribus. Hinc inter illos, aliosque Orientales contentio exarſit clamantibus illis, *omnes peccavimus, omnibus indulgeatur:* contra Clerici Conſtantinopolitani dixerunt, hunc paucorum eſſe, non totius Synodi clamorem: *Pauci clamant, non tota dicit Synodus.* Patet igitur luce meridiana clarius, hæc verba Conſtantinopolitanorum tantum intelligenda eſſe de diſſidio per Illyricianos orto, neutiquam vero de Leonis epiſtola ad Flavianum jam ante Synodum univerſim recepta, præſertim vero a Clericis Conſtantinopolitanis maxime æſtimata.

§. 18.

Æque falſum eſt, & (venia ſit verbo) mendacium, quod cit. pag. 26 legitur: *Leonis epiſtolam ad legitimum Concilii examen fuiſſe revocatam, & ab ipſo Synodo de fide conſcriptam Definitionem.* Ne credas hanc a Synodo,

*) Defenſ. T. 2, p. 26.

nodo, ceu proprio Authore profectam fuiſſe Definitionem, etenim ipſiſſimis S. Leonis verbis concepta eſt. Epiſtolam vero Pontificis ad legitimum Concilii examen fuiſſe vocatam, plane falſum eſt. Paucis dumtaxat Epiſcopis, Illyricianis, & Palæſtinis ex ignorantia dubitantibus induciæ aliquot dierum datæ ſunt, quibus apud Anatholium Conſtantinopolis Archiepiſcopum convenirent, *NB.* prout acta loquuntur, *ut qui dubitant, doceantur.* Falluntur plurimum, qui credunt his Epiſcopis a Concilio libertatem relictam ab epiſtola Leonis diſſentiendi, ſecus certe, quod Ægyptiis contigit, a Concilio *pro hæreticis* fuiſſent habiti; ſed hisce quidam Doctores fuerunt aſſignati, ut eos circa dubium ſuæ ignorantiæ melius inſtruerent, *ad docendum eos*, *qui dubitant*, ut denuo in actis legitur. Anatholius autem, ſecus ac *Defenſionis* Author falſo inſinuat, neutiquam in Concilio amplius deliberavit de S. Leonis epiſtola, ſed ut pro Archiepiſcopo Conſtantinopolis a Pontifice agnoſceretur, eidem *abſolutiſſima ſubſcriptione*, ut Natalis Alexander ait, parere juſſus, etiam ante Concilium jam ſubſcripſerat.

§. 19.

Epiſcopis, qui antea ignorantes dubitaverant, jam ſatis inſtructis, ut omnium conſenſus in ipſa Synodo palam fieret, Epiſcoporum omnium ſuffragia actione 4ta petita fuerunt, *NB.* non vero Leonis epiſtola amplius relecta, minus novo examini ſubjecta: expreſſe enim illud, de quo nobis nunc controverſia eſt, *contentioſæ ſuſpenſionis* examen a S. Pontifice Synodo fuerat prohibitum epiſtola 93 ſcripta ad Synodum adhuc Nicææ exiſtentem, en verba: „Unde fratres chariſſimi! rejecta penitus audacia diſ„putandi contra fidem divinitus inſpiratam vana errantium infidelitas con„quieſcat, nec liceat defendi, quod non licet credi; cum ſecundum evan„gelicas authoritates, ſecundum propheticas voces, apoſtolicamque doctri„nam pleniſſime & lucidiſſime per litteras, quas ad beat. mem. Flavia„num Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento In„carnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti pia & ſincera confeſſio." Similia Pontifex ad Auguſtum Marcianum perſcripſit epiſt. 94: *Nulla penitus diſputatione cujusquam retractationis admiſſa.* En ergo, ut *irretractabilem*, hoc eſt, *irreformabilem* ſuam ſententiam S. Leo declaraverit.

§. 20.

Actione 15ta Patres Concilii multos ediderunt Canones, inter eos famoſum Can. 28 de Prærogativa Conſtantinopolitanæ Sedis, quem magno conſenſu univerſi approbarunt. Ut S. Leo id Romæ inaudiit, vehementer indignans Canonem expungi juſſit, & quamvis Anatholius, Concilium, &

duo

Digitized by Google

duo Imperatores, Valentinianus, & Marcianus humillimis litteris Pontificem rogarint, ut eumdem Canonem approbaret, nihil poterant obtinere. Marciano hæc reſcripſit epiſt. 104: „Satis ſit Anatholio, quod Veſtræ pie„tatis auxilio, & Mei favoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ urbis obtinuit." Ad Pulcheriam Imperatricem epiſt. 105: „Conſenſiones Epiſcoporum ſan„ctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, unita no„biscum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per authoritatem B. „Petri Apoſtolici *NB.* generali prorſus definitione caſſamus." Quid ad hoc exemplum pontificiæ authoritatis in univerſale Concilium Pſeudo-Boſſuetus? Reſpondet T. 2, p. 85, tantum ſe cum Conſtantienſibus defendere ſuperiorem Concilii authoritatem *in fide*, *in ſchiſmate*, *& in reformatione generali*: quaſi vero, qui majora poteſt, minora, & leviora non poſſet. Si Concilii authoritas pontificiæ prævalet in rebus hisce graviſſimis, hoc eſt, *in fide*, *in ſchiſmate*, *& in reformatione univerſali*, & quidem divina ex inſtitutione; quomodo in re diſciplinæ mere arbitraria, & ſolum humanæ, non divinæ diſpoſitionis conſenſus univerſalis pontificia voluntate non prævaleat? Nonne hoc præciſe ſenſu verum eſt, *orbis major eſt urbe*? Numquid autem univerſalis reformatio fuit ea in Concilio plenario facta, primarii, in Oriente Patriarchæ, inſtitutio ad exemplum illius in Occidente? Numquid etiam hic caſus ſchiſmatis intraſſet repugnante adverſus Concilium Pontifice, ſi iſtud vim vi oppoſuiſſet, Pontificem, quippe obſtinatum, reformatione indigere, ſibique ſuperiorem pontificia authoritatem a Deo conceſſam prætendiſſet? Quænam hæc in oculis Chalcedonenſium Patrum monſtra, & portenta!

§. 21.

Demum abſolutis omnibus Chalcedonenſe Concilium ſui muneris judicavit, actorum ſuorum relationem ad ſummum Pontificem mittere, eorumque *NB. omnium* adprobationem, ſeu confirmationem petere. Multum hac voce *confirmatio* ludit larvatus Author, quam nonniſi *acceſſum aſſenſus* vult ſignificare. Sane ne de verbo vitilitigemus, hoc ipſi admittimus: attamen ab authoritate illius, qui conſenſum præſtat, magnum diſcrimen *confirmationi* accedit; alius eſt enim, ut ex Boſſueto ſupra Art. 3, §. 5 obſervavimus conſenſus *authoritatis*, alius item conſenſus *obedientiæ*. Chalcedonenſe Concilium authoritatis conſenſum, ſeu *confirmationem* a ſummo Pontifice petiit: hinc miſſa ad S. Leonem ſynodica, quam Baluzius in lucem emiſit, in qua Patres græco idiomate profitentur, ſe in fidei declaratione *tamquam Ducem*, *& Authorem* S. Leonem ſecutos, quibus ipſe *ſicut membris Caput* præerat: tunc exponunt, quid de cauſſa Dioſcori, quid de Metropolitanorum jure in creandis Epiſcopis, quid de privilegio Conſtantinopolitanæ Sedis

dis decreverint, & ita concludunt: „Rogamus igitur & tuis decretis no„ſtrum honora judicium: & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonan„tiam; ſic & Summitas tua filiis, quod decet, adimpleat. Sic enim & pii „Principes complacebunt, qui tamquam legem tuæ Sanctitatis judicium fir„maverunt. NB. Omnem Vobis geſtorum vim inſinuavimus ad compro„bationem noſtræ ſinceritatis, & eorum, quæ a nobis geſta ſunt, confir„mationem, & conſenſionem, *εις την πεπραγμενων βεβαίωσιν, και συγκαταθεσιν* *).

§. 22.

Diu multumque S. Leonis reſcriptum, quo geſta Concilii approbaret, exſpectabatur: quod cum tardius adveniret, anxii admodum viſi ſunt Patres. Ad Marcianum ergo precibus recurrunt, qui Pontificem moneret, ut tanti negotii accelerationem curare dignaretur. Imperator piiſſimus litteras ad Leonem dedit, quibus ſuam admirationem ſignificavit, quod ad transmiſſa *NB omnia in Synodo acta* nihil reſponderet, cauſamque addidit, ut Concilii acta confirmare haud amplius tardaret, hisce verbis: „Quod „nonnullorum animis, qui Eutychetis etiam nunc pravam opinionem & „perverſitatem ſectantur, ambiguitatem multam injecit, utrum tua Beati„tudo, quæ in Synodo decreta ſunt, confirmaverit. Et ob eam rem tua „Pietas litteras mittere dignabitur, per quas omnibus Eccleſiis & populis „manifeſtum fiat, in S. Synodo peracta a tua Beatitudine rata haberi.“**) Marciano Imperatori reſcripſit Pontifex: „Definitiones S. Synodi chalce„donenſis apoſtolicæ Sedi placuiſſe — ratio non fuit ambigendi, cum ei „fidei omnium ſubſcribentium conſenſus acceſſerit, quæ a me ſecundum „formam apoſtolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emiſſa eſt. — Quia „vero omnibus modis obediendum eſt Pietatis veſtræ religioſiſſimæ volun„tati; conſtitutionibus ſynodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei catho„licæ, & de hæreticorum damnatione placuerunt, libens adjeci ſententiam „meam, quæ ut ad notitiam omnium Sacerdotum, Eccleſiarumque perve„niat, veſtræ Clementiæ præceptio ordinare dignabitur.“***) Quæ cum omnia ex geſtis publicis certiſſima ſint; quis æquo animo ferat effrontem hominis inſolentiam, qui M. Boſſueti nomine mentiri attentavit, *a chalcedonenſi Synodo nullam in fidei negotiis confirmationem petitam, ſed eam a S. Leone ultro oblatam*, hoc eſt, invitis fuiſſe obtruſam: *de uno Canone* 28, *qui controverſus eſſet, Patres ad Leonem retuliſſe*? Ita Pſeudo-Boſſuetus.****)

§. 23.

*) Collect. Concil. Venet. T. 4, p. 1779. **) Inter Leon. epiſt. 110.
) Epiſt. 115. *) Defenſ. L. 8, C. 5, & 8.

§. 23.

Nunc ergo palam eſſe demonſtratum confido, hunc Authorem ejusdem ſe perfidiæ reum feciſſe, quam Meldenſis Epiſcopus in obſervationibus Art. præc. laudatis iniquo critico Dupinio exprobravit, partim quod affectata oblivione reticuerit, quæ magni momenti ſunt, partim quod ſuo placito addiderit, quæ magni periculi. In ſpecie Cap. 1, obſervatio 5ta, quæ ſingulariter de Concilio chalcedonenſi eſt, magis Pſeudo-Boſſuetum, quam Dupinium ferire videtur. Senſa Boſſueti veri ex proprio ejus ore percipiamus. *) „Quantum ad titulum Archiepiſcopi, quem Papæ chalcedonen„ſe Concilium dedit, non oportebat oblviſci, quod tunc in Eccleſia Grae„ca hic titulus ſummae dignitatis fuerit, & Papae ſingulari cum emphaſi „& expreſſione datus, ſiquidem S. Leo vocatus eſt *Archiepiſcopus omnium „Eccleſiarum*, aut latino ſermone *Papa omnium Eccleſiarum*, quod convenit „cum relatione Concilii ad Papam, ubi Patres illum agnoſcunt *tamquam „ſuum Caput*, *tamquam eum*, *cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa eſt*, „ſe vero *tamquam illius membra* conſiderant: *Tu autem ſicut Caput mem„bris præeras.* (Dein adverſus Dupinium concludit): Certe ſupprimere „in hiſtoria utriusque tam celebris Concilii (Epheſini & Chalcedonenſis) „quorum acta integra extant, ſupprimere, inquam, tantas res de Autho„ritate Papæ, quæ hic ubique ſplendeſcere deberet, prout revera in ſingu„lis Actorum paginis ſplendeſcit, & tot alia geſta deformare per infirmas, „falſasve translationes, eſt fideles in errorem inducere, & Eccleſiam ſuis „ſubſidiis privare.“ Noſce in his verum Boſſuetum. —

ARTICULUS VI.

Reflexio & Concluſio,

quod totus Liber recenſus ſit Authoritatis romanæ, immo & catholicæ Eccleſiæ ſubdola Infeſtatio.

§ 1.

Si ad ea, quæ tota hac recenſione deteximus, nunc animum reflectamus; totius operis propoſitum, ſed callide ſub ſpecioſo verborum officio involutum, haud aliud eſſe facile conſtabit, quam ad patrocinandum errori ab apoſtolica Petri Cathedra condemnato authoritatem romanæ Eccleſiæ, ſimul autem & catholicæ enervare, atque ſubruere. Vox hominis Appellantium

*) Oeuvr. poſth. Tom. 2, p. 557.

lantium ex ſecta ſatis ſe ipſam prodit, & quidem non ſimpliciter appellantis ad *congregatæ* in Concilio, ſed quod adhuc pejus, ad *diſperſæ* per orbem Eccleſiæ univerſalem conſenſum. In hoc improvidis animis commendando *univerſali* conſenſu fallaces artificii ſui technas exhaurit eo fine, ut orta de fide controverſia *ultimatam* judicii authoritatem ad ipſas litigantes partes transferat, quarum conſenſus, quem *neceſſarium* fingit, cum obtineri nequeat; jam eo ipſo nullum ſupereſt litem finiendi remedium, nulla par authoritas unitati fidei reſtituendæ; quo artificio non ſolum romanæ, ſed generatim totius Eccleſiæ authoritatem in ferendo judicio contra inſurgentes fidei adverſarios eſſe ſubrutam, cæcus eſt, qui non videat.

§. 2.

Et apoſtolicæ quidem Petri Cathedræ quid authoritatis in definiendo tribuat, ſat clare *Defenſ.* Tom. 2, p. 114 explicat his verbis: „Cum Pe„tri Succeſſor ita ex communi traditione pronunciat, ut in ejus ſententia „recognoſcant omnes fidei ſuæ ſenſum; tum ſit illa conſenſio, quæ Judi„ciis pontificiis firmum, & indeclinabile robur conciliet“ — hoc eſt, ut breviter dicas, quod res eſt, ſi nemo ſit, qui diſſentiat, tum Pontificis ſententia valet: *reclamante nullo* ait. p. 115. Bellus, ſi ſuperis placet, finiendi controverſias modus! Is tamen ipſe eſt, quem mendax impoſtor p. cit. commendat: „Hanc communem, pervulgatam eſſe controverſiarum „finiendarum viam, qui non intelligit, eum pacis inimicum, & omnis ec„cleſiaſticæ rei imperitum profiteor“ effrons mendacium! quo ſpectat & illud præc. p. 107: *Omnes intelligunt certam, & exploratam, & plenam veritatis declarationem non in Papa ſolo, ſed in Eccleſia ubique diffuſa collocatam.* En, quod ſupra Cap. 1, §. 14 monui! inter duos extremos, quos memorat caſus, de quibus nulla, vel exigua prorſus ſcholæ quæſtio eſt, tertium caſum, eumque frequentiſſimum, ac fere unice practicum fraudulenter diſſimulat, quod ipſum eſt punctum, circa quod præſens verſatur quæſtio: an orta fidei controverſia in authoritate apoſtolicæ Sedis, hoc eſt, romanæ Eccleſiæ cum Papa conjunctæ ſit irreformabile tribunal, cui pars diſſentiens aut ſe ſubmittere debeat, aut ſi conſentire non velit, catholica eſſe deſinat. Atqui hoc S. Fidei noſtræ characteriſticum dogma eſt, quamlibet particularem Eccleſiam, ut catholica ſit, cum centro unitatis, cum romana, Matre & Magiſtra omnium, Eccleſia debere eſſe in fide conſentientem, & obedientia conjunctam.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

In hac ipſa apoſtolicæ Sedis authoritate evertenda larvati Authoris *arcanum* conſiſtere ſupra Art. 3, §. 2 demonſtratum eſt; hinc ut irreformabile ſit Pontificis judicium, Eccleſiæ univerſalis, hoc eſt, litigantium quoque partium conſenſum eſſe neceſſarium contendit, quo negato pontificia ſententia authoritate deſtituatur. Ita ſane, cum ſine univerſali Eccleſiæ conſenſu nihil firmum ſtatuere poſſit Pontifex, manifeſtum ſit, ſummæ Sedis judicium non ſolum univerſæ, ſed & diviſæ, hoc eſt, particulari cuilibet Eccleſiæ ſubjici, utpote penes quam ſtet, illud conſenſu ſuo vel approbare, vel diſſenſu ſuo reprobare. Neque jam centrum unitatis foret, quod diſperſos radios ſua unius vi ad ſe adtraheret, ſed vires diſperſæ radiorum contra unitatis centrum prævalerent, hoc eſt, ipſam unitatem neceſſario deſtruerent. En quo tendat *arcana* hujus Authoris intentio ſupremam Authoritatem in Eccleſiæ totius conſenſu reponentis! bella verba! ſed ipſo ſenſu ſupremam totius Eccleſiæ authoritatem deſtruentia pro eo caſu, quo neceſſaria foret ad finiendam fidei controverſiam, dum inter diſperſas Eccleſias diſſenſio datur.

§. 4.

Huc reſpicit aſſidua univerſalis Eccleſiæ conſenſus, tamquam ſolius ſupremæ Authoritatis dilaudatio, ut in caſu diſſenſus jam nulla ſuſperſit ſuprema, ac firma ſatis authoritas. Hinc officium apoſtolicæ Petri Cathedræ *confirmandi fratres in fide*, huic furtive ablatum, & in fratres, ſive totam Eccleſiam *pro caſu emergente, ut illa ſuppleat*, translatum *Defenſ.* T. 2, p. 160. Hinc vana verborum æquivocatione *Eccleſiæ romanæ laborantis authoritas per Eccleſiæ catholicæ authoritatem multis caſibus ſuppleri* dicitur p. 156. Qui autem ex Seculo X proferuntur caſus, ad unum omnes extra oleas vagantur: non enim Pontificum judicia de fide, ſed ſcandala ſunt actionum, vel ſchiſmatum, ad quæ Eccleſiæ romanæ vulnera curanda, aut allevianda reliqua Eccleſia ſua authoritate, cur non potius reverentia erga romanam? ſuccurrerit vel intruſum Pontificem pro legitimo agnoſcens, vel dubios inter Pontifices certum congregato Concilio eligens. Hæc vero quid ad rem! certe autem ad odium ſummis Sacerdotibus conflandum, & Patrum verenda pro pudor! denudanda. Hinc demum romana Eccleſia p. 205 expreſſe dicitur a fide poſſe *deficere*, etſi non *permanenter*, & p. 206 *ab Eccleſia catholica dirigi, revocari, doceri debere, perficique omnino, ne error inoleſcat*: quin etiam ead. p. *Mater & Magiſtra Eccleſiarum totam ipſam Eccleſiam matrem, & magiſtram agnoſcat.* Audin lupum ſub ovina licet pelle ululantem?

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

Jam non ergo mirum, ſi fidem romanæ Eccleſiæ a fide romanorum Pontificum non diſtinguat T. 2. p. 191; etſi ab initio larvatus Author videri voluit nonniſi Pariſienſis ſcholæ doctrinam veterem, hoc eſt, *perſonalem* tantum Papæ, ut in Cathedra Petri Sedentis, ab ipſa Sede diſtincti fallibilitatem defendere. Quam ob rem nullum non movet lapidem, ut authoritatem S. Petri tum divinis Scripturis, tum SS. Patrum documentis quam fortiſſime fundatam tortis, falſisque interpretationibus infirmet: ſuum vero, ut putat, validiſſimum robur in eo argumento collocat, quod inceſſanter opponit, ſententiam tota pontificia authoritate jam latam adhuc ad ultimam vim ſuam conſequendam univerſæ Eccleſiæ conſenſu indigere, eamque ob cauſſam ad examen revocari poſſe, ac ſæpius in œcumenicis Conciliis denuo fuiſſe examinatam. Totum hujus argumenti artificium in confuſione notionum conſiſtit, quarum duplicem, eamque clariſſimam diſtinctionem ex ipſo Boſſueto, nec non & Concilio Chalcedonenſi obſervare debuiſſet. Ut enim Boſſuetus docet, ſummi momenti diſcrimen datur inter conſenſum *Authoritatis*, qui ſummo Pontifici, aut in deliberatione conciliari Epiſcopis univerſim convenit; & inter conſenſum *obedientiæ*, qui ab ipſis Epiſcopis ſummo Pontifici, aut œcumenico Concilio debetur. Conſenſus hic univerſæ Eccleſiæ actu jam præſtitus ad conterendos fidei adverſarios maximum ſane authoritatis pondus eſt, quo majus in hac terra, atque humano modo dari non poteſt, id tamen haud officit, quominus apoſtolicæ Sedis ſententia inter orthodoxos fideles pro firmiſſima, & irreformabili regula valeat, cui neceſſario, & ex obedientia conſenſus ſit præſtandus. Sed & hæc ipſa fidei obedientia non tyrannico, & cæco modo exigitur, immo rationabilis ſit oportet, ſalva etiam libertate examinis *ad inſtructionem*, neutiquam vero *ad diſſenſionem*. Hæc ſane æque notabilis eſt differentia, qua Concilii Chalcedonenſis exemplo quibusdam dubitantibus ad ſuæ ignorantiæ inſtructionem, vel ampliorem veritatis declarationem examen permitti poteſt, negato tamen, quod Patres Chalcedonenſes plane negarunt, examine ad pertinacem diſſenſionem, aut judicii ſuſpenſionem. Ita teſte S. Leone & ſubditis *diſquirendi* moderata libertas, & ſummo Sacerdoti *definiendi* plena authoritas ſervatur.

§. 6.

Neque vero ſolum apoſtolicæ, ſeu romanæ Sedis, ſed & totius, ut jam dictum, Eccleſiæ catholicæ authoritatem, ne tunc, cum ea maxime opus foret, cum efficacia exerceri poſſit, impetit & infeſtat larvatus Author. Poſita enim ea, quam prætendit, neceſſitate univerſalis Eccleſiæ conſenſus ad irreformabile judicium, ſequitur hanc ſupremam authoritatem ne œcumenico

co

co quidem Concilio convenire, quippe cui univerſa per orbem *diſperſa* Eccleſia interreſſe nequeat; ſed & hujus decreta primum ultimatam vim ſuam deberent per diſperſarum particularium Eccleſiarum conſenſum adipiſci, id quod *Defenſ.* T. 2, p. 87 non diffitetur: *Haud immerito affirmamus, ultimum, quo Synodi œcumenicæ aſſerantur, eſſe Eccleſiæ univerſalis* (diſperſæ) *conſenſum cum apoſtolicæ Sedis confirmatione conjunctum.* Si ergo vel œcumenico Concilio, quaſi proceſſu ſuo, aliave ex cauſa illegitimo in diſperſis Eccleſiis partes litigantes ſuum negent aſſenſum; jam & hæc pleniſſima licet Eccleſiæ authoritas ſuo robore deſtituetur. Sic e. g. quia Nicæno plurimi Ariani, quia Epheſino & Chalcedonenſi partes Orientis inſignes non conſenſerunt, ita ut hodiedum ibi Neſtorianæ & Eutychianæ dentur ſic dictæ eccleſiæ; quia Marcus epheſinus acquiſita ſibi fere totius Græciæ adhæſione Florentino, quia magna nimium pars Europæ per Lutherum & Calvinum reformatæ Tridentino, tamquam illegitimis Conciliis ſuam non dedere aſſenſionem; ne hodie quidem dogmata de Divinitate Chriſti, deque ejus una Perſona cum duabus Naturis, de Spiritus S. Proceſſione ex Patre Filioque, atque alia plura contra Reformatores definita dici vel haberi poſſent pro ultimatis judiciis, neque litigantes illæ partes jure ab eccleſiaſtica communione excludi, ſed ad unam eamdemque Chriſti Eccleſiam catholicam, diſciſſa licet ſancta unitatis tunica, pertinerent ſectæ Ariana, Neſtoriana, Eutychiana, Græca, omniumque per Europam Novatorum. — Quam monſtroſa hæc facies! hæccine *una* dilecta Jeſu Sponſa!

§. 7.

Ita nimirum ad extrema confuſionis plus, quam babylonicæ devenire neceſſe eſt illos, qui optimæ tuæ, Deus! Providentiæ audent reluctari, qua ſub unius ſupremi Capitis regimine ex univerſa terra ſpecioſiſſimam ſimul ac fortiſſimam tibi Eccleſiam formaſti. Unum ex duodecim Apoſtolis elegiſti Petrum, qui omnium eſſet in fide firmamentum, ne fraude diaboli umquam ab hac Petra avelli poſſet, & expugnari. Quæcumque adhærens Petro, ipſa jam eſt ſupra Petram fundata, invincibilis, atque electa Chriſti Eccleſia, ipſa jam eſt jure ſuo catholica, hoc eſt, eo ſenſu univerſalis, quo omnes per orbem diffuſæ Eccleſiae eidem in una fide, eodemque uno ſub Capite conjungi neceſſario debeant, ut unius Chriſti corporis membra eſſe poſſint. Quaecumque a fide Petri diſſentiant, utut numero, vel dignitate conſpicuae, ad corpus Chriſti non pertinent, non unius membra Eccleſiae, non catholicae, ſed partes abſciſſae & ſectae ſunt. Hic character proprius, eſſentialis, & diſtinctivus eſt catholicae Eccleſiae a quacumque aliena, *Unitatis character.* Ut unum ſit corpus, neceſſe eſt unum eſſe caput. Ut omnium Chriſti fidelium unum eſſet corpus, a

 Chriſto

Digitized by Google

Chriſto inſtitutum eſt unum viſibile in terra omnium Caput. Huic ſupremam auferre in judicando authoritatem, eamque in membra inter ſe diſſentientia, ſeu in partes Eccleſiae litigantes transfundere, eſt unitatem Capitis deſtruere, ſive *manifeſtæ rebellioni januam aperire.*

§. 8.

Hæc genuina M. Boſſueti ſenſa ſunt, quæ in decurſu hujus Recenſionis vidimus ſat clare explanata. Cum eodem Galliæ præſtantiſſimo Doctore, ac Paſtore hanc noſtris diebus graviſſimam certe materiam juvat concludere excerptis quibusdam ex ejus Sermone *de Unitate* ad Epiſcopos in famoſis illis Comitiis habito, quem utinam exſcribere integrum liceret! „Magnum myſterium eſt vobis prædicandum, Fratres! myſterium unita„tis in Eccleſia, quæ interne a Spiritu S. unita aliud adhuc habet commu„ne vinculum unitatis externæ, atque uniri ſemper debet per regimen, „quo Authoritas J. C. repræſentetur. — Quale hoc regimen? — quæ ejus „forma? nihil ex nobis dicamus, Evangelium inſpiciamus! Agnus ſigillum „hujus ſacri libri aperuit, & Traditio omnia explicavit. Legimus in „Evangelio, quod J. C. volens incipere myſterium unitatis in ſua Eccleſia „ex omnibus diſcipulis Apoſtolos duodecim elegerit; ſed hoc idem myſte„rium volens conſummare, inter duodecim elegit unum. — In ſecunda „ſeparatione S. Petrus Caput conſtituitur; & ob eam cauſſam Petrus no„minatur a J. C., ut opus ſuum præpararet, quod meditabatur, totum ſuum „ædificium ſuper hanc Petram ædificandi." Tum verba *Tu eſt Petrus* &c. Meldenſis ſuo Commentario explicat, & perpetuam virginitatem romanæ Eccleſiæ laudat, *in qua Petrus ſemper loquitur*, ut ſupra Art. 4, §. 3.

§. 9.

Pergit Boſſuetus: „Videamus adhuc breviter in textu ſequentia. J. „C. perſequitur propoſitum, & cum dixiſſet Petro, fidei Prædicatori æter„no: *Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*; ad„jungit, *& tibi dabo claves regni cælorum*; Tu, qui prærogativam habes „prædicationis fidei, habebis quoque claves, quæ authoritatem regiminis „deſignant. *Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælo, & „quidquid ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælo*: Omnia his clavi„bus ſubmiſſa ſunt, omnia fratres, reges, & populi, paſtores & greges: „*NB.* cum gaudio id publicamus, nos enim unitatem diligimus, & in „obedientia noſtra gloriamur. Petrus eſt primus, qui jubetur *plus amare „quam omnes alii Apoſtoli*, & poſtea paſcere, & gubernare omnia, & *agnos*,

„*nos*, & *oves*, & filias & matres, & ipſos Paſtores, intuitu ſuæ plebis „paſtores, & oves intuitu Petri, in quo J. C. reverentur — — —

§. 10.

„Sequamur adhuc, & non gravemini magnum hoc attendere myſte-„rium, ad quod praedicandum hodie neceſſaria ratio impellit. — Vidiſtis „unitatem in ſancta Sede; vultin eamdem in toto ordine & toto epiſcopali „Collegio videre? Denuo S. Petrus eſt, in quo illa amplius reſplendet „ex his verbis: *Quidquid ligaveris, erit ligatum, quidquid ſolveris, erit „ſolutum.* Omnes Pontifices, & omnes SS. Patres id communi conſenſu „docuerunt. — — J. C. qui Petro dixit: *Quidquid ligaveris* &c. idem „omnibus Apoſtolis dixit, atque etiamnum dicit: *Quorum remiſeritis pecca-„ta, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt eis.* Quid eſt li-„gare, niſi retinere peccata? & quid eſt ſolvere, niſi remittere? Qui Pe-„tro hanc dedit poteſtatem, etiam proprio ore eamdem omnibus Apo-„ſtolis conceſſit: *Sicut miſit me Pater*, ait, *ita ego mitto vos.* Non da-„tur Poteſtas firmius ſtabilita, non Miſſio magis immediata. Manifeſte er-„go hoc fuit propoſitum Domini primitus in uno ponendi, quod poſtea „pluribus volebat communicare. NB. Verum, quod poſterius, non ever-„tit id, quod prius: & qui primus, non amplius locum ſuum perdit. „Praemiſſus ille ad unum ſermo: *Quidquid ligaveris* &c. jam ſuæ unius „poteſtati ſubordinavit quemlibet eorum, quibus paulo poſt dicitur: *Quo-„rum remiſeritis* &c. nam promiſſa aeque, ac dona Domini ſine Pœniten-„tia ſunt, & quod ſemel indefinite, ac univerſaliter datum, hoc irrevoca-„bile eſt: praeterquam quod Poteſtas pluribus data ſuam reſtrictionem jam „habeat in ſua diviſione; cum e contrario poteſtas uni ſoli, & ſuper om-„nes, & ſine exceptione data plenitudinem complectatur, & nulli alteri „communicanda nullos habeat limites, niſi quos regula praeſcribat. Prop-„terea antiqui Doctores Pariſienſes unanimi conſenſu omnes in Cathedra „S. Petri agnoverunt plenitudinem Poteſtatis. Res haec deciſa, & defini-„ta eſt.“ Hic praecipuus, ac notatu digniſſimus, quem vide Art. 3, §. 6 ſubjungitur Boſſueti locus, ubi ad unitatem Eccleſiae conſervandam Epiſ-coporum a Pontifice tam neceſſariam dependentiam ex S. Caeſareo Arela-tenſi aſſerit, ut ipſa Juriſdictio eccleſiaſtica ſubſiſtere nequeat, niſi ſub ea conditione, quatenus ad illam Petri primitus inſtitutam, ceu Principium ſuæ unitatis ſemper referatur, eidemque inſeparabiliter adhæreat.

§. 11.

De romana Petri Cathedra ex Patrum traditione ita Meldenſis proſequitur: „Quoniam hoc conſilium Dei fuit, ut ſuos probaturus fideles, naſ„ci ſchiſmata, & hæreſes in Eccleſia permitteret; non dabatur inſtitutio „firmior ad hanc ſtabiliendam, neque validior ad illas opprimendas. Vi „hujus inſtitutionis in Eccleſia Dei omnia ſunt firma, quia omnia divina „ſunt, & omnia unum: & ſicut ſingulæ partes divinæ, ita vinculum unio„nis divinum; & tale eſt compoſitum, ut quælibet pars agat fortitudine „totius. Propterea noſtri Praedeceſſores, qui tam ſaepe in Conciliis ſuis „profeſſi ſunt, ſe ſuis Eccleſiis praeeſſe tamquam Chriſti Vicarios, & Apo„ſtolorum Succeſſores accepta ab illo immediata Miſſione; in aliis quoque „Conciliis, in Cabillonenſi, Viennenſi, aliisque, quemadmodum & Ponti„fices dixerunt, ſe agere nomine S. Petri, *vice Petri*, per authoritatem „omnibus Epiſcopis in perſona S. Petri datam, *authoritate nobis in Petro* „*conceſſa*, tamquam Vicarios Petri, *Vicarii Petri*. Et hoc quidem tunc „dixerunt, cum agerent authoritate ſua ordinaria, ſed ſubordinata; quia „omnia primum S. Petro commiſſa ſunt, & quia talis eſt in toto eccleſia„ſtico Corpore connexio, ut, quod facit quilibet Epiſcopus ſecundum re„gulam, & in ſpiritu unitatis catholicae, idem tota ſimul Eccleſia, totus „Epiſcopatus, & Caput epiſcopalis Ordinis unacum ipſo faciat, ſi ita eſt, „ſi omnes Epiſcopi non habent, niſi unam Cathedram per relationem ne„ceſſariam (eſſentiale) ad eam unicam Cathedram, in qua S. Petrus, ejus„que Succeſſores ſedent; ex hac doctrina ſequitur, omnes in ſpiritu unita„tis catholicae ita agere debere, ut nihil ſingularis Epiſcopus dicat, nihil „ſentiat, quod univerſa Eccleſia ut ſuum profiteri non poſſit. — — —

§. 12.

„Quam ſpecioſa es in hac unitate, o Eccleſia catholica, ſimul autem „quam fortis ad reſiſtendum! *Pulchra, & formoſa ut Jeruſalem, terribilis* „*ut caſtrorum acies ordinata!* Pulchra ut Jeruſalem, ubi ſancta uniformitas, „& admirabilis politia ſub uno Capite ſplendeſcit: ſpecioſa certe in pace „tua, dum intra muros tuos collecta eum laudibus celebras, qui te elegit, „ejusque veritates fidelibus annuncias! Verum ſi ſcandala ſuſcitentur, ſi „inſurgant adverſarii, qui ſuis blaſphemiis Dominum laceſſere audeant; „mœnibus tuis egrederis, o Jeruſalem! atque ad oppugnandum illos exer„citum formas, ſemper etiam in hoc ſtatu formoſa (pulchritudo enim tua „numquam deficit) ſed jam tuis hoſtibus formidanda! Acies enim militum „bene ordinata, quae tam pulchra ſolo aſpectu eſt, quam terribilis ſit om-

„nium

„nium jacula contra ſe intenſa, & omnium haſtas contra ſe erectas conſpi-„cienti! Quam igitur terribilis es, o ſancta Eccleſia! dum ad pugnam pro-„cedis, armati tui tecum, in fronte Dux omnium Petrus, omnes ad uni-„tatis vexillum, quod eſt Cathedra Petri, conjuncti. Tu ſuperba capita, „& omnem altitudinem adverſus ſcientiam Dei ſe extollentem proſternis: „tu toto pondere denſi agminis hoſtes tuos ſtatione cedere cogis; tu ſimul „univerſos tota authoritate ſeculorum praeteritorum, & tota futurorum „execratione opprimis; tu haereſes diſſipas, & interdum in ortu ſuo ſuf-„focas; tu parvulos Babylonis, recentes errores apprehendis, adque ad Pe-„tram alliſos confringis. Jeſus Chriſtus tuum Caput ab alto tuos movet, „& unit, ſed movet, unitque per apta inſtrumenta, per media convenien-„tia, per unum Caput viſibile, quod ipſum repraeſentat quod, ſimul om-„nes ad omnia movet, & ad unam actionem collectis omnium viribus con-„currit." — — — —

DUM PAPA, ET CAPUT OMNIUM EPISCOPORUM IMPUGNATUR, NON UNUS SOLUM EPISCOPUS EST, SED TOTUS UNIVERSIM EPISCOPATUS, QUI PERICLITATUR.

Digitized by Google

PARS III.

COROLLARIA

ex divina inſtitutione monarchici Primatus antiquiſſimis Eccleſiæ documentis illuſtrata.

Divini verbi eloquia in eo, qui Eccleſiae catholicae eſt, ſenſu a me Parte I allata, profecto pontificii Primatus immobilia fundamenta ſunt, nullis quibuscumque rationis humanae argutiis, aut torſionibus infirmanda. Ex quibus cum reflexione critica, quod confidenter ſcribo, in Parte II demonſtraverim, ejusmodi a Chriſto in ſua Eccleſia inſtitutum fuiſſe Primatum, qui *vere*, ac *proprie* eſt, non tamen, ut ad invidiam garrit Febronius, *arbitrarie*, *&* *abſolute* monarchicus; jam ex ipſa Monarchiae natura, quae ſacri hujus Primatus *eſſentialia* jura ſint, facile datur intelligi. Quidquid enim ſuprema, eaque illimitata poteſtas univerſam Chriſti Eccleſiam gubernandi in ſe juris complectitur, id omne Chriſti Domini in terra univerſa Vicarius, B. Petri Succeſſor poteſt. Nimium prolixa, & quodammodo infinita mea fieret oratio, ſi pontificiae Majeſtatis jura omnia, & ſingula enumerare, eorumque amplitudinem, efficaciam, applicationem, & uſum pro diverſa temporum ratione vellem adcurate deſcribere. Is tantum mihi animus eſt, hodierni temporis neceſſitati, aut utilitati contra Novaturientium falſiloquia patriae noſtrae perniciem minitantia ſelectis quibusdam, atque e diametro oppoſitis veritatibus ſuccurrendi. Quamobrem cum ea ſit plurimorum hodie vafricies, ut vagam, & generalem Papae poteſtatem quaſi quadam officii ſpecie noſtro ſeculo uſitata profiteantur, omni vero actuali, & ſpecifico pontificiae jurisdictionis exercitio quam cautiſſime viam praecludere, & obſtacula ponere conentur; ego hisce directe contrarie mihi propoſui, atque hunc in finem tantum aliqua ad externum maxime regimen ſpectantia, & plurimum noſtris diebus ſolita impugnari Corollaria, ex ſtabilitis antea principiis licet ſua ſponte fluentia, hac tamen Parte III diligentius adhuc ex genuinis antiquitatis monumentis mihi ſumſi diſcutienda, & illuſtranda.

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM I.

De jure leges ferendi.

§. 1.

„Romano Pontifici, tamquam ſupremo Eccleſiae Capiti competere poteſtatem ferendi leges univerſales in tota Eccleſia obligatorias, nemo „Catholicorum dubitat", ſunt verba doctiſs. Zalweinii *), qui cum eſſet in archiepiſcopali Sede Salisburgenſi publicus juris canonici Doctor, adeo non ſupra, quam neceſſe erat, pontificiam jurisdictionem extulit, ut eamdem potius non ſemel in ſcriptis ſuis fraudis etiam occulto artificio, quod admodum moleſte legi, ultra quam par erat, deprimere ſtuduerit. Immo ea eſt hujus *theſeos* certitudo, ut recentiores Canoniſtae (tantum noviſſimos quosdam, hoc eſt, *ſpurios* excipe, ipſo Eubelio iniquiores **) pro ea ſtabilienda, utpote re omnibus Catholicis exploratiſſima vix ſoleant argumentum afferre, ſed ſtudium ſuum mox ad limites legi pontificiae *in hypotheſi* ponendos ſedulo convertant. Ita ſaltem antiqua fide ſervata ſeculi hujus laudem, quam non invideo, aucupantur. Haec porro catholica veritas, *præcipienti Papæ eſſe obediendum*, tam alte ſemper fidelium animis inſedit, ut inde ab orta Lutheri reformatione Pariſienſis Facultas theologica publico teſtimonio fidem ſuam ſaepius profeſſa fuerit. „Certum eſt „unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia chriſtiana militante Pontifi„cem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur" ***).

§. 2.

Ipſi adeo Baſileenſes Patres, quos pontificiae authoritatis conjuratos hoſtes merito dixeris, de catholica hac fidei doctrina adeo ſibi erant conſcii, ut eamdem verbis ſaltem ſimulatoriis non potuerint non confiteri. Cum enim Joannes Tarentinus Epiſcopus in praeclara ſua oratione ad Concilium Baſileenſe habita inter alia multa pontificiae Sedis privilegia aſſereret, *ei tradita eſſe jura cœleſtis, terrenique imperii* (in rebus ſpiritualibus) *a Domino Redemtore noſtro*; ita reſponderunt, ut odioſa quidem dicta ſibi eſſe proderent, negare tamen palam utpote notiſſima non auderent, hinc frigida licet ipſorum confeſſio ****): „Late explicat jurisdictionem, & po„teſtatem ſummi Pontificis, quod Caput ſit, & Primas Eccleſiae, Vicarius „Chri-

*) Princip. jur. eccleſ. T. 1, Q. 4, C. 2, §. 7.
**) Introductio in jus eccleſiaſticum Catholicorum T. 3, L. 2, C. 3, §. 176.
***) D'Argentré Collect. judic. T. 1, P. 2.
****) Conc. edit. Labb. T. 12 inter epiſt. Synod. n. 3.

Digitized by Google

„Chriſti, & a Chriſto non ab hominibus, vel Synodis aliis praelatus, & „Paſtor Chriſtianorum, & ei datae ſunt a Domino claves, & uni dictum „eſt: *Tu es Petrus* &c. & ſolus in plenitudinem poteſtatis vocatus ſit, alii „in partem ſollicitudinis, & multa hujusmodi, quae cum vulgatiſſima ſint, „minime neceſſarium erat recenſere. Ita plane fatemur, & credimus." Quid? quod jam deciſa res eſt univerſalis Eccleſiae ſententia *): „Romano „pontifici in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſam Eccle„ſiam a Domino noſtro J. C. plenam poteſtatem traditam eſſe."

§. 3.

Sane hoc catholicae fidei dogma tam aperte in ſacris Scripturis continetur, ut nulla Eccleſiae declaratione aut definitione, niſi propter obſtinatam haereticorum contumaciam opus fuiſſet. Claves enim regni cœlorum Petro promiſſae tam ex Scripturarum aliis locis parallelis, quam ex ipſa Chriſti Domini explicatione, ac demum ex vulgari inter homines jam recepta loquendi formula ſupremam indicant gubernandi, & imperandi poteſtatem. Eodem quoque ſacrae Scripturae ſenſu, & communi loquentium uſu Chriſtus promiſſis ſuis ſtans univerſi gregis Paſtorem ſeu Rectorem, & Gubernatorem Petrum inſtituit. Aut num forte ſuprema gubernandi poteſtas, num univerſalis Rectoris officium non jam ex ſua natura jus imperandi, ſeu leges ferendi in ſe includunt? Id ſi tu mihi neges, aeternum jam mihi tecum ſilentium erit, nolim enim vel verbum ad inſanos perdere.

§. 4.

Hac imperandi, aut ne invidia verbo ſit, dirigendi, ſtatuendive poteſtate erga Apoſtolos aliosque fratres jam uſus fuit ſanctus Petrus, in locum proditoris Judae unum aliquem Apoſtolum eligi jubens Act. I, 21, & univerſos fideles viſitando abs dubio, prout Superioris offiicum eſt, quae corrigenda videbantur prohibitione emendans, & quae utilia, praecepto inſtituens Act. IX, 32. Inde ab Apoſtolorum aevo exortis circa Religionem dubiis, aut controverſiis ad romanam Petri Sedem ex ſingulis Orientis aeque, ac Occidentis provinciis relationes mittebantur, atque obtenta hinc decreta vel in controverſiis vim definitivae ſententiae, vel in dubiis firmae regulae valorem habebant. Etſi quidem pretioſiſſima illa primaevae antiquitatis monumenta propter perſecutionum procellas fere omnia interierint, divina tamen Providentia factum, ut quaedam nobis reliquae ſupereſſent. Certum eſt ſane, atque innegabile a primis jam Pontificibus

*) Conc. Flor. ſancta Unionis littera Cap. 4.

Digitized by Google

bus ad propoſitas ſibi ex omnibus locis conſultationes plurima emanaſſe decreta, quorum cum pleraque hodie authentiæ fidem inter Criticos perdiderint, tantum ea, quæ ſeveriſſima criſi probata ſunt, commemorabo. Quod maxime omnium memorabile eſt, brevi poſt Petri obitum Corinthi Presbyterorum exemplum occurrit, qui a ſuo miniſterio per Schiſmaticos injuſte dejecti viventibus adhuc Apoſtolorum quibusdam non ad hos, ſed ad Petri Succeſſorem, Clementem ſcilicet Papam romanum appellarunt. Is vero in præſtantiſſima, quæ adhuc extat, epiſtola, licet ſumma cum humilitate & moderatione, attamen ſuprema ſua Capitis authoritate uſus ſeditioſos pœnitentiæ addixit, juſſitque ſuis, ab apoſtolicis viris rite ordinatis, Presbyteris ſubditos eſſe *): „Vos ergo, qui ſeditionis fundamenta jeciſtis, ſubditi eſtote Presbyteris, & correptionem ſuſcipite in pœnitentiam, „flectentes genua cordis veſtri diſcite ſubjici, deponentes arrogantem, ac „ſuperbam linguæ veſtræ jactantiam. Melius enim vobis eſt in ovili Chriſti parvos, & probatos inveniri, quam altum ſapientes e ſpe illius dejici.“

§. 5.

Simile ſupremæ jurisdictionis pontificiæ documentum ex ſecundo ſeculo Euſebius ſuppeditat fragmenta exhibens epiſtolæ, quam Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus romano Pontifici Soteri reſcripſerat **). Ex ea conſtat Soterem antea ad Corinthios ſcripſiſſe epiſtolam, quæ, ſicut prior illa Clementis, tanti ab illis æſtimabatur, ut eam quoque in Eccleſia perpetuo legendam conſtituerent, *quo præceptis, ac documentis optimis abundarent*, verba ſunt Conſtantii minime certo Iſidorianis decretalibus occupati. Aliud in hanc rem teſtimonium ſecundi ſeculi ex S. Irenæo deſumitur ***). Propter aſiaticam enim Paſcha celebrandi conſuetudinem a romana alienam ad Anicetum Papam profectus eſt Polycarpus, ut eidem ſiquidem Eccleſiæ Capiti rationem redderet. Cum Aſianorum ratio Aniceto expoſita ejusdem Succeſſori, Papæ Victori pro temporum diverſa jam ratione haud amplius probanda videretur, is judaicam celebrandi Paſchatis conſuetudinem ſevera prohibitione, etiam cum anathematis comminatione interdixit. Neque fuit, qui tantam Pontifici authoritatem denegaret, etſi Epiſcopi eſſent, quibus nimia, ut putabant, Victoris ſeveritas diſplicuerat, inter quos præcipue Irenæus eminebat: hinc ad conſilia pacis, & charitatis Papam adhortabantur, non quaſi ipſam *poteſtatem* in dubium vocantes, ſed unice poteſtatis *abuſum*, & hunc quidem ſatis energice arguentes.

*) Epiſt. 1 ad Cor. apud Conſtant. n. 57. **) Hiſt. eccleſ. L. 4, C. 23.
***) Epiſt. ad Victorem apud Euſeb. L. 5, C. 25.

Digitized by Google

entes. Dicerene Febronius audebit, ſanctos illos Eccleſiæ Patres falſis quibusdam, forte Iſidorianis præjudiciis captos majorem juſto pontificis authoritatem credidiſſe, vel S. Victorem contra divinum jus ſibi arrogaſſe? — At, ajunt, Aſiaticos Pontificis decreto morem non geſſiſſe: hos breviter, ſed invicte doctiſs. Thomaſſinus refutat *): „Si renitentium enim pervi„cacia principantem authoritatem enervare potis eſſet, quæ usquam re„ſidua foret umbra legitimi imperii? Nicænæ etiam, & Conſtantinopoli„tanæ Synodo illuſere Quartodecimani: an ideo caſſa, & effœta œcumeni„carum Synodorum majeſtas blaterabitur?“

§. 6.

Ex tertio Eccleſiæ Seculo ſat celebre eſt in cauſſa Rebaptizantium S. Stephani Papæ decretum **): „Siquis a quacumque hæreſi venerit ad nos, „nihil innovetur, niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur in pœ„nitentiam.“ Nec obſtat, quod huic pariter Pontificis ſententiæ S. Cyprianus ſe non ſubmiſerit, immo etiam oppoſuerit: certum eſt enim Cyprianum erroneam defendendo cauſſam in modo etiam juſto pertinaciore, atque animi vehementius comoti amaritudine exceſſiſſe, quippe qui apoſtolicam, & univerſalem Eccleſiarum traditionem, ſi tantum paucas Orientis, & Africæ excipias, ubi in Conciliis novitas introducta fuerit, *ceu veterem errorem* contemnere ſatis temere auſus eſt, & ſummum inſuper Pontificem ſannis, ac dicteriis inſectari, eum vocando *Hæreticorum amicum, & inimicum Chriſtianorum*, nec non, quod adhuc indignius, ironico ſale perfricando ***). Facile hic poſſet Cyprianus paſſione abreptus ſibi ipſi opponi, ubi mente, ac ratione tranquilla *de Unitate Eccleſiæ* ſcripſit, hanc ſcindi per diabolum: „Dum ad veritatis ****) originem non reditur, nec Caput quæritur, nec „Magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur — *Quia tu es Petrus.* — Quam uni„tatem (cum Cathedra Petri) firmiter tenere, & vindicare debemus maxi„me Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ip„ſum unum, atque indiviſum probemus.“ Hæc nempe hominum infirmitas eſt, ut a propriæ cognitionis ſuæ regulis *in praxi* non raro paſſione inſtigante recedant, præcipue ubi falſa de cauſſæ ſuæ veritate perſuaſio illudit. Sed Cyprianus, ut cum Auguſtino loquar *****), maculam ſuam paſſionis falce purgavit. Quam deſperata ſit adverſariorum cauſſa neceſſe eſt, qui nonniſi peccantium exempla nobis opponere poſſunt, hisce denuo cum

*) Diſſert. I. in Con. gener. n. 21 edit. Colon. 1784.
) Epiſt. Cypr. 74. *) Epiſt. 73 & 74.
****) Videtur potius legendum *unitatis*.
*****) Cont. Donat. de Baptiſmo L. 1. C. 18.

doctiſs. Thomaſſino reſpondemus *): „Culpa liberari (ab Auguſtino) non „poterat Cyprianus, qui conſuetudinem univerſalis Eccleſiæ,& traditionem „ab Apoſtolis uſque ipſis derivatam contemnebat, poſthabebatque nuperæ „per Agrippinum invectæ corruptelæ. Minus adeo eſt mirum, ſi apoſtoli„cæ Sedis ſtatuta minoris faceret, qui apoſtolicas traditiones, & univerſalis „Eccleſiæ leges flocci faciebat. Ab hoc Cypriani contemtu, quem marty„rio expiavit, nihil adverſus vel primæ Sedis, vel Eccleſiæ univerſalis, „vel apoſtolicarum traditionem authoritatem ritę excipi poteſt." Velim tamen adhuc ex Neotericis noſtris quærere, unde ſciant, Cyprianum ante mortem ſuam non reſipuiſſe, factique pœnitentiam egiſſe? Ipſe enim Auguſtinus, qui non ab omni culpa, etſi ſummo ſuo ſtudio, Cyprianum purgare poterat, ita ſcribit **): „Fortaſſe factum eſt, ſed neſcimus: ne„que enim omnia, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, memo„riæ, litteriſque mandari potuerunt, aut omnia, quæ mandata ſunt no„vimus."

§. 7.

Quarto jam ſeculo pace Eccleſiæ reddita latiſſimo veluti in campo pontificia authoritas ſua jura antehac vinculis conſtricta expandit, quod ex innumeris documentis usque adeo certis conſtat, ut etiam hodierni noſtri Hypercritici eadem impugnare vix audeant. Inde enim a Syricio decreta pontificia, quæ Dionyſius Exiguus ſuæ Canonum collectioni inſeruit, genuina eſſe cum diffiteri nulla ratione poſſint, vel inviti fatentur. Atque his decretis vim veræ legis, ſeu obligandi vim ineſſe antiquitus jam creditum fuiſſe patet, ſiquidem eorum obſervantiam ſummi Pontifices pœnarum eccleſiaſticarum interminatione exigebant. Ita Syricius adverſus Clericos incontinentes, decreti ſui prævaricatores ſententiam tulit ***): „Qui illiciti „privilegii excuſatione nituntur, ut ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſ„ſum, noverint ſe ab omni eccleſiaſtico honore, quo indigne uſi ſunt „apoſtolicæ Sedis authoritate dejectos, nec umquam poſſe veneranda attre„ctare myſteria." Tum ipſis quoque Epiſcopis atque Archiepiſcopis pœna indicitur, ſi quosdam contra ſummæ Sedis prohibitionem ad majores ordines promovere præſumſerint ****): „Sciturí poſthac omnium provin„ciarum ſummi Antiſtites, ſi ultra ad ſacros ordines quemquam de talibus „crediderint aſſumendum, de ſuo, & de eorum ſtatu, quos contra Cano„nes, & interdicta noſtra provexerint, congruam ab apoſtolica Sede pro„mendam eſſe ſententiam." Demum Pontifex Himerium Tarraconenſem

Y 2 Epiſco-

*) In Conc. general. Diſſert. 2. n. 27. **) De Baptiſ. L. 2.
) Ad Himerium Epiſt. 1, n. 11 apud Conſtant. *) Ibid. n. 19.

Digitized by Google

Epiſcopum monet, ad *ſervandos Canones*, & *tenenda decretalia conſtituta*, & ut ea non ſolum ad omnes Coepiſcopos, ſed ad univerſos Carthaginenſes ac Boeticos, Luſitanos, & Gallicios, aliosque finitimas provincias litteris perferri faciat: „Quatenus & quæ a nobis non inconſulte, ſed pro„vide ſub nimia cautela, & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, „intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationibus aditus, „qui jam nulli apud nos patere poterit, obſtruatur." Hæc ſcripta ſunt 2 Febr. a. 385. En præſtans perantiquæ diſciplinæ documentum!

§. 8.

Siricium ſecutus Innocentius I quinto Seculo ad Exuperium Toloſanum de Clericis incontinentibus ita reſpondet *): "De his, & divina„rum legum manifeſta eſt diſciplina, & beatæ recordationis viri Siricii „Epiſcopi monita evidentia commearunt, ut incontinentes in officiis tali„bus poſiti omni eccleſiaſtico honore priventur, nec admittantur accedere „ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri." poſtea tamen diſcrimine facto inter eos, qui Siricii monita ignorantes, aut ſcientes violaverint, ſcribit **): „Si ad aliquos forma illa eccleſiaſticæ vitæ pariter, „& diſciplinæ, quæ ab Epiſcopo Siricio ad provincias commeavit, non pro„babitur perveniſſe, his ignorationis venia remittetur, ita ut de cetero pe„nitus incipiant abſtinere. — Si qui autem ſciſſe formam vivendi miſſam „a Siricio detegentur, neque ſtatim cupiditates libidinis abjeciſſe, illi ſunt „modis omnibus ſubmovendi, qui poſt admonitionem cognitam præponen„dam arbitrati ſunt voluptatem." Hæc diſciplina vetus: eamne hodierni Reformatores cupiant reſtitutam? — Zoſimus Papa ad Heſychium Salonitanum ſcribens modum ordinationis ſacræ ab Epiſcopis ſervandum ſevere præcepit ***): „Sciet, quisquis hoc poſthabita Patrum, & apoſtolicæ Se„dis authoritate neglexerit, a nobis diſtrictius vindicandum, ut loci ſui „minime dubitet ſibi non conſtare rationem, ſi hoc putat poſt tot prohi„bitiones impune tentari." Talis eſt Cœleſtini I epiſtola ad univerſos Epiſcopos per Apuliam, & Calabriam, ex qua apparet, licet tantum *monita* dicantur Pontificum decreta, vim tamen ſtrictæ obligationis eisdem ineſſe ****). „Quisquis conatus fuerit tentare prohibita, ſentiet cenſuram „Sedis apoſtolicæ minime defuturam. Quæ enim ſola *admonitionis* autho„ritate non corrigimus, neceſſe eſt per *ſeveritatem* congruentem regulis „vindicemus." Inſigne eſt Leonis M. de Pontificum authoritate legislativa decretum *univerſis Epiſcopis per Campaniam, Picenum, Tuſciam, & univerſas*

---

*) Epiſt. 6, n. 2. **) Ibid. n. 4.

) Epiſt. 9, n. 4. *) Epiſt. 5, n. 3.

Digitized by Google

verſas provincias inſcriptum, in quo legimus *): „Omnia decretalia con„ſtituta, tam beatæ memoriæ Innocentii, quam omnium Deceſſorum noſtro„rum, quæ de eccleſiaſticis ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſ„ciplinis, ita a veſtra dilectione cuſtodiri debere mandamus, ut ſiquis in illa commiſerit, veniam ſibi deinceps noverit denegari."

§. 9.

Neque vero tantum ad Occidentales, verum etiam ad Orientales pontificia mandata dabantur: præterquam enim quod tribus primis ſeculis Pontifices Clemens, Soter, Victor, & Stephanus ſua decreta, uti vidimus, in Orientem quoque miſerint, Siricius expreſſe ſuam ſupremam univerſalis Pontificatus jurisdictionem profitetur in hunc modum *1): *Quid ab univerſis poſthac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum generali pronunciatione decernimus.* Eodem Pontifice teſte *2) Liberius Anteceſſor *generalia decreta* edidit, quibus prohibuit ab Arianis baptizatos denuo in Eccleſia baptizari. Jam antea Julius I. Antiochenis contemtam ſuam pontificiam authoritatem graviter exprobraverat *3): „Oportuit omnibus nobis ſcripſiſſe, „ut ita ab omnibus, quod juſtum eſſet, decerneretur. — An ignoratis hanc „eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & hinc, quod juſtum eſt, „decernatur? — Obſecro, bono animo ferte! quæ enim ſcribo, ad publi„cum bonum conferunt. Nam quæ accepimus a B. Petro Apoſtolo, ea vo„bis ſignifico, non ſcripturus tamen, quod nota apud omnes ea eſſe exiſti„mem, niſi quæ geſta ſunt, me conturbaſſent." Jam ergo in primitiva Eccleſia ubique notum fuerat Pontificis jus eſſe a S. Petro deſcendens, in locis quibuscumque id, quod juſtum eſt, decernendi. Non minus poſteriores Pontifices jus ſuum exercuerunt. Inter plura, quæ Innocentius ad Orientales dedit, decreta, memoratu dignior eſt ad Alexandrum Antiochenum epiſtola, in qua duo diſciplinæ capita ſtatuuntur *4): primum eſt, quo Patriarchæ Antiocheno jus attribuit, ſicut Metropolitas, ita omnes Orientis Epiſcopos ſive per ſe, ſive per ſuos Delegatos ordinandi; alterum prohibet, ne diviſis Imperii provinciis in duas Metropoles, duo propterea Metropolitani conſtituantur. Celebris eſt Zoſimi Papæ adverſus Pelagium, Cœleſtinumque Tractatoria, cujus exemplaria *& ad Orientales Eccleſias, Ægypti diœceſin, & Conſtantinopolin, & Theſſalonicam, & Hieroſolyma ad Epiſcopos* transmiſſa fuiſſe, Scriptor quinti ſeculi Marius Marcator teſtatur *5). Ita in Orientem quoque generaliter Pontificum decreta propagabantur, quod inſuper ex Xyſto III conſtat, qui Cyrillo Alexandrino de

 ſcriptis

*) Epiſt. 4, n. 7. *1) Epiſt. 1, n. 12. *2) Ibid. n. 2. *3) Epiſt. 1, n. 22. *4) Epiſt. 24, n. 1 & 2. *5) Edit. Baluz. p. 134.

Digitized by Google

ſcriptis ad ipſum miſſis mandavit *) „Hæc ad vicinorum fratrum notitiam „volo mitti per pietatem tuam, ut ut diſcant in re tanta, etſi olim cuncta „pleniſſime definita fuerint, non ceſſare aut ſegnem eſſe tamen apoſtolicam „Sedem: neque enim permittit nos quietos eſſe ab ejusmodi curis omnium „Eccleſiarum ſollicitudo.“

§. 10.

Quam multa, variaque in regimine utriusque Eccleſiæ, Orientalis æque, ac Occidentalis Pontifices ſexti ſeculi ordinarint, poſſem innumeris propemodum exemplis oſtendere, niſi brevitatis ſtudio in re notiſſima a plurimis abſtinerem. Omiſſis itaque Symachi, Hormisdæ, Agapeti, Vigilii, Pelagii, aliorumque decretis de S. Gregorio M. ſuorum Præceſſorum veſtigiis fideliter inſiſtente, ſuamque eximiam ob humilitatem vel ipſis adverſariis commendato unicum proferam exemplum ex Fleurio deſumtum *1), quod non ſolum ſupremam gubernandi poteſtatem, ſed alia etiam jura pontificia circa diſciplinam ſexti Seculi ad non exiguam Febronianorum confuſionem luculenter oſtendit. Adrianus Epiſcopus Thebanus a duobus a ſe depoſitis Diaconis apud Joannem Lariſſæum Metropolitam accuſatus, ab eodem injuſte fuit ad arctum carcerem condemnatus *2), cauſſa ad Epiſcopum primæ Juſtinianæ, Primatem Illyrici, & apoſtolicæ Sedis Vicarium remittebatur. Hujus quoque ſententia cecidit Adrianus Thebanus. Quare is ad ipſum Papam appellavit, ſuæque appellationis certiorem fecit Joannem Juſtinianæum Primatem, qui Legatos ſuos ad Honoratum Papæ Nuntium Conſtantinopoli habitantem miſit *3), promiſitque, ſe viros ſuæ ſententiæ defenſores Romam ablegaturum. S. Gregorius, cum diu, ſed fruſtra Primatis Delegatos exſpectaſſet, judicium utriusque Joannis, tam Lariſſæi, quam Juſtinianæi examinavit, & iniquum invenit *4), ergo ſententiam nullam declarat, ipſumque Primatem ad triginta dierum pœnitentiam, quo tempore ſacra Communione privaretur, damnat, & graviores adhuc pœnas, niſi obediat, comminatur *5). In epiſtola vero ad Lariſſæum Metropolitam Papa loquitur in hunc modum: „Communione Corporis Domini noſtri privari meritus es, quoniam „contemſiſti Anteceſſoris mei admonitionem, dum a jurisdictione tua Adrianum,

*) Epiſt. 1, n. 6.

*1) Hiſt. eccleſ. T. 8, L. 35, §. 27, verſ. Parod.

*2) Similia Metropolitanæ violentiæ exempla non mirum, quod ad conſtringendam illius authoritatem Papæ ex votis Epiſcoporum anſam dederint.

*3) Iam tunc ergo in Eccleſia græca Nuntii apoſtolici, iique ſtabiles fuerant, ut ex hiſtoria patet, cum facultatibus pro ratione temporum diverſis.

*4) Ita appellationes, & quidem extra provinciam pariter tunc erant in uſu.

*5) Tanta tunc fuit Pontificis authoritas, & in Primatibus etiam obediendi neceſſitas ſub graviſſimis pœnis ſuſpenſionis, aut depoſitionis.

Digitized by Google

„num, & Eccleſiam ipſius Thebanam exemit *): verum plus jam a te non „exigimus, ut ſi quam actionem civilem, aut criminalem contra Adrianum „Epiſcopum movere velis, de hac cauſſa Nuncii noſtri, qui Conſtantinopoli „ſunt, judicent, ſi ſit mediocris momenti; ſi vero majoris, ad ſacram Sedem „deferatur **). Hæc tibi injungimus ſub pœna excommunicationis, a qua „non aliter, quam jubente romano Pontifice, ſolo mortis articulo excepto, „abſolvi poteris ***). Volumus etiam, ut ſine omni tergiverſatione omnia „bona, ſacra aut profana, mobilia aut immobilia Eccleſiæ thebanæ, quæ ſur„ripuiſſe accuſaris, & quorum commentarius in noſtris manibus eſt, reſti„tuas, & ſi hac ſuper re aliqua contentio oriatur, jubemus, ut de ea Nun„cius noſter conſtantinopolitanus cognoſcat" ****). Huic facto hiſtorico, quod fere ſingula puncta diſciplinæ hodiernæ, quæ impugnantur, jam ſeculo ſexto teſtatur, M. Fleury ſequentem notam apponit: „Unde jurisdictionis, & judi„ciorum eccleſiaſticorum rationem perſpicue videmus, nobisque exemplum, „quanta illa ætate ſacræ Sedis authoritas fuerit, memoratu digniſſimum per„hibetur." Quid ad hoc criterium laudati ſui Fleurii Febronius? quid Febroniani??

§. 11.

Apologiſta Febronii a ſancto P. Gregorio breviter ſe putat poſſe expedire inquiens *****): „Apparebit multa, quæ Magnus hic Pontifex ſine exem„plo, & cum authoritate ſuſcepit, vere tamen jurisdictionis papalis actus „non eſſe, quamvis tales eſſe videantur. Nonnulla a ſancto Pontifice ex „abundanti zelo, ex ſingulari confidentia Epiſcoporum, ex Imperatorum be„neplacito ſuſcepta fuiſſe, quæ ad univerſalis Primatis officium non perti„nent; etiam a ſancto Gregorio (quæ ſummorum quoque Virorum infirmitas „eſt) pro extenſione pontificiæ authoritatis ultra nativos fines allaboratum fuiſ„ſe." Breviſſimus ſane modus, isque facillimus ab authoritate SS. Patrum ſe expediendi officioſa hypocriſi dicendo, *pro infirmitate humana id magnis etiam viris accidiſſe.* Si opportuna ſeſe occaſio obtulerit, eodem jure, & ſine officii ambage cum Febronio dicere poteris, ejusmodi eſſe hæc facta, quæ contra divinam inſtructionem eſſentialia Epiſcoporum jura injuſte violarint, quæ puram Eccleſiæ diſciplinam fœde deturparint, quæ malo ſuo, & deceptorio exemplo, hoc eſt, eo pernicioſiore ſcandalo, quo ſub ſanctitatis prætextu, plus chriſtianæ Religioni, quam omnes hæreſes nocuerint, quæ demum

*) En exemtionis ab archiepiſcopali jurisdictione exemplum ſub Pelagio II.

**) Exemplum cauſſæ majoris ad Papam deferendæ.

***) Aliud exemplum pontificiæ reſervationis etiam pro foro interno.

****) Talis tunc Nunciorum jurisdictio pro foro etiam contentioſo fuit.

*****) De Stat. Eccleſ. Tom. 2. Flores ſparſi p. 420.

mum ex ſpiritu ſuperbiæ, & dominandi libidine, tamquam nativa radice ſua prodierint. Hac ratione Sanctos ab univerſali Eccleſia agnitos ex Beatorum albo expungere, & quidem ad ipſius Eccleſiæ ignominiam & infamiam licebit, ita ut poſt Gregorium VII jam Magno quoque Gregorio I juſſu noſtrorum Diluculariorum toto cœlo cedendum ſit. Ego autem aliter ſentio, regulam & normam, ad quam ſummorum Pontificum facta ſint examinanda, non eſſe Febronianum Oraculum, ſed potius divini Verbi effatum: *Paſce oves meas. Quidquid ligaveris, aut ſolveris ſuper terram, erit ligatum, ſolutumve & in cœlis.*

§. 12.

Inſuper meminiſſe Apologiſtam oportuiſſet, non primum ſine exemplo injuſtæ poteſtatis uſurpatorem dicendum fuiſſe ſanctum Gregorium M., ſed eo ipſo teſte jam anteceſſiſſe Pelagium, immo ab oculato Febronio ſimilem maculam jam in Victore P. ſeculo II, in Stephano ſec. III, (quidni in Siricio, Julio, aliisve ſec. IV?) in Bonifacio, Zoſimo, Cœleſtino, Gelaſio, & præcipue Leone M. ſec. V. fuiſſe obſervatam. *) Quodſi ita eſt, prout facta SS. Pontificum negari nullatenus poſſunt, ſaltem ab hiſce Dominis jure id petimus, ut honeſtiore modo nobiscum agant, & ab illa mendaci, attamen vulgari hypocriſi abſtineant, ſimulantes prioribus octo ſeculis exercitam Pontificum authoritatem, illorumque temporum puram adhuc diſciplinam ſe venerari. Manifeſtum eſt quippe ex plurimis, iisque certiſſimis factis, eadem pontificia jura, quæ nunc tanta contentione impugnantur, jam tunc a ſanctis Pontificibus exercita, atque ab univerſali Eccleſia ceu divinitus inſtituta apoſtolicæ Sedis jura, & privilegia fuiſſe agnita.

§. 13.

Ex ſeculo ſeptimo vulgatiſſimum vel inter ipſos Adverſarios Papæ Honorii factum eſt, quo de Chriſti voluntate una, duabusve diſputantibus inter ſe Patriarchis, Sergio conſtantinopolitano, & ſancto Sophronio hieroſolymitano, ſilentium utrique impoſuit. Poſtea Heraclii Imperatoris Ectheſis, etſi a Sergio, & pluribus Epiſcopis ſubſcripta, nihilominus a Papa Joanne IV fuit condemnata. Sed cum pontificio decreto Paulus conſtantinopolitanus Sergii Succeſſor morem non geſſiſſet; alter Sergius Metropolita in inſulam Cypro illum apud Theodorum Papam accuſavit in libello Papæ oblato aperte agnoſcens, profitensque *ſanctæ Sedis authoritatem in poteſtate S. Petro collata eſſe fundatam.* Idem Papa Stephano Dorienſi Epiſcopo, quem ſuum pro Palæſtina Vicarium nominavit, per litteras poteſtatem tradidit in cauſis eccleſiaſti-

*) De Stat. Eccleſ. Cap. 8, §. 2.

Google

cleſiaſticis decernendi, atque Epiſcopos a quodam Sergio Joppenſi illegitime ordinatos, niſi reſipiſcerent, deponendi. Tanta tunc Papæ poteſtas, etiam in Oriente, vel ſuis in Vicariis exiſtebat, & hoc quidem virtute clavium S. Petro traditarum, uti expreſſe S. Martinus I teſtatur in epiſtola ad Orientales data, qua Joannem Epiſcopum Philadelphiæ ſuum Vicarium in omnibus Eccleſiis Hieroſolymitanæ & Antiochenæ ſubditis inſtituit: „Quod facimus illa poteſtate, quam a S. Petro accepimus, id exigente temporum „calamitate. — Fac ut hæc decreta ab omnibus fidelibus regionum illarum „obſerventur“ *).

§. 14.

Seculo octavo Germania noſtra, & ſingulariter quidem noſtra Patria digna fuit, quæ ſummæ Sedis attentionem ad ſe traheret. Viri apoſtolici Roma ad nos ablegati in his quoque terris Regnum Dei dilatabant. Neceſſe erat novas fundare Eccleſias, in iisque diſciplinam inſtituere locis, & temporibus illis convenientem. Hac ſuper re apud Fleurium occurrit Capitulare Gregorii II **), quo Legatis ſuis in Bavariam profecturis in mandatis dedit: „Ubi epiſtolas noſtras reddideritis, cum Duce illius Provinciæ deli„berabitis, ut congregetur Conventus Sacerdotum, Judicum, & omnium il„lius gentis Primorum — Jubebitis obſervari traditionem Eccleſiæ roma„næ — Epiſcopatus conſideratis locorum diſtantiis, & cujuslibet Ducis juris„dictione creabitis, & cuilibet Sedi terminos ponetis. Si tres, aut quatuor „Sedes conſtitueritis, majorem Archiepiſcopo reſervabitis, & congregatis „tribus Epiſcopis novos ordinabitis ex authoritate S. Petri. Si virum inve„neritis dignum, qui in archiepiſcopali Sede collocetur, aut datis litteris „veſtris eum ad nos dirigatis, aut vobiſcum adducetis.“ Ergo noſtrorum Epiſcopatuum inſtitutio, & in ſpecie archiepiſcopalis jurisdictio apud nos inde ex apoſtolicæ Sedis gratia ſuam trahunt originem. Eccleſiæ romanæ traditio fundamentum eſt primitivæ noſtræ, & antiquiſſimæ diſciplinæ, nec non, ſi ita loqui fas eſt, libertatum noſtrarum eccleſiaſticarum, eo forſitan in ſenſu, ut immunes ab acceptatione decreti eſſent noſtri inferiores Prælati, & Paſtores, ſi contra veterem Eccleſiæ romanæ traditionem Epiſcopi, aut Archiepiſcopi vellent aliquid ordinare, quod uti facile præſumendum non eſt; utinam experiri non foret neceſſe! Præterea Epiſcopos ordinare, aut ſaltem confirmare, & Archiepiſcopos conſtituere, horumque, uti & illorum jurisdictioni limites ponere ad authoritatem S. Petri pertinere credebatur. Non defuit ſummorum Pontificum cura, quo majores adhuc progreſſus divina

*) Fleury Hiſt. eccleſ. T. 9, L. 38, §. 54. **) Lib. 41, §. 34.

vina Religio in noſtra Germania faceret: hinc novos prioribus ſubmiſerunt Delegatos, inter quos præcipuus eminebat S. Bonifacius novorum Epiſcopatuum erector, quorum confirmationem litteris a Papa petiit, atque etiam ut cujuslibet Epiſcopi limites definirentur. Zacharias P. novos hosce Epiſcopatus confirmavit, at in epiſtola ad Burchardum Würzeburgenſem prohibuit, *ne quis alius præter Papæ Vicarium ibi Epiſcopos ordinet* *). Ex quo decreto iterum apparet, in Germania vel ab ipſa origine Epiſcoporum ordinationem, aut confirmationem non ad Metropolitas, ſed ad ſummum Pontificem pertinuiſſe.

§. 15.

Hactenus octo priora Eccleſiæ ſecula tantum obiter percurri, queis vel ipſo Febronio conteſtante juſtos intra limites pontificia jurisdictio continebatur, utpote falſis decretalibus nondum exiſtentibus. Unicum adhuc ex nono ſeculo exemplum græcæ Eccleſiæ haud poſſum præterire, tum quia ibi adhuc plane incognitæ fuerant Iſidori merces, tum quia falſis iſtarum præjudiciis omnes, etiam Orientis Eccleſias præter Occidentalem fuiſſe deceptas, ne Febroniani quidem noſtri aſſerere audebunt. Ad notum itaque Photii ſchisma venio. Cum S. Ignatius Conſtantinopolitanus Patriarcha Cæſarem Bardam ob vitæ inhoneſtæ ſcandala communione ſancta privaſſet; is furore adverſus S. Virum exardeſcens Concilium convocavit, in quo Epiſcopi, prout ſæpe jam contigit, mundano favore capti Patriarcha depoſito Photium, etſi laicum hominem elegerunt. Ut Sedis ſuæ firmitati conſuleret Photius, ad romanum Pontificem Legatos miſit quatuor Metropolitas, electionem ſuam, & Ignatii depoſitionem Romæ nunciaturos. Pontifex Nicolaus I hujus rei novitate contra Eccleſiæ Canones audita duobus a ſe Conſtantinopolin Delegatis præcepit, ut Synodo indicta canonice in rem inquirerent, ſibique totam renunciarent. Inſuper ad Michaelem Imperatorem epiſtolam dedit, in qua conqueritur, ſacra Sede inconſulta Conſtantinopolitano in Concilio Ignatium fuiſſe depoſitum, Laici quoque electionem reprehendit, quod contra Conciliorum, & SS. Pontificum decreta facta ſit, dein ita concludit: „In Con„ſecrationem hujus viri conſentire non poſſumus, donec per Legatos noſtros, „quid in hac cauſſa actum ſit, ad nos relatum fuerit. Atque ut in omnibus „rectus ordo ſervetur, *volumus*, ut Ignatius in conſpectu Legatorum noſtro„rum, & totius Concilii veniat. — Tum ſi omnia nobis fuerint ſignificata, „quid pro pace Eccleſiæ veſtræ agendum ſit, *apoſtolica Sanctione definiemus.*“ Legatis Papæ Conſtantinopoli præſentibus, ſed & Photii ſollicitatione corruptis S. Patriarcha Ignatius ad ipſum Papam appellavit, inquiens: *Ducite me*

ad

*) Lib. 42, §. 34 & 35.

ad Papam, cujus judicium lubens ſubibo. Idem S. Patriarcha in epiſtolis antea ad epiſcopos miſſis adduxit Decretalem Innocentii P. pro cauſſa S. Chryſoſtomi, pariter quartum Canonem Sardicenſem, vi cujus in locum depoſiti Epiſcopi, qui defendere ſe apud ſuperius tribunal velit, non intrudi alium liceret, antequam Epiſcopus romanus ſententiam pronunciaſſet. Mentitus itaque eſt Photius in ſua ad Papam epiſtola negans Sardicenſe Concilium, & Decretales Pontificum apud Græcos recipi, cui Pontifex ita reſpondit: „Quod „vero dicis, neque Sardicenſe Concilium, neque Decretales SS. Pontifi„cum a vobis recipi, credere non poſſumus, maxime cum Sardicenſe Con„cilium, quod penes vos in veſtris regionibus actum eſt, ab omni Eccle„ſia recipitur, decretales autem epiſtolæ a ſacra Sede emanarunt, *cujus „Authoritate omnia Concilia confirmantur.*“ Hoc adeo inter ipſos Græcos notum erat, ut ipſi Conciliabuli ſui anno priore 861 contra Ignatium congregati a Papa confirmationem petierint, quam ille conſtanter negavit. Summe memorabilis ejusdem Papæ ſententia eſt, quam Orientis Imperatori, hoc idem Concilium Conſtantinopoli habitum propter Epiſcoporum multitudinem commendanti, reſcripſit: *Nos in Conciliis non ad numerum Epiſcoporum attendimus, ſed ſententiæ pronunciatæ juſtitiam æſtimamus:* quod utique judicis eſt Concilio Superioris. In tertia epiſtola ad omnes Orientis Fideles directâ, cum Pontifex Legatorum ſuorum acta reprobaſſet; tres Patriarchas, Alexandrinum, Antiochenum, & Hieroſolymitanum, item Metropolitas, & Epiſcopos ſpeciatim ita alloquitur: „Vobis *Autho„ritate apoſtolica præcipimus*, ut de Ignatii, & Photii cauſſa nobiscum ea„dem ſentiatis, atque has litteras noſtras in Diœceſibus veſtris prædicari „curetis, quo ad omnium notitiam perveniant“ *). Quid cogitatis Febroniani! quid eſt, quod tota Orientis Eccleſia tantam apoſtolicæ Sedis authoritatem agnoverit? etiamne illa æque, ac Occidentalis judicio veſtro decepta fuit per Pſeudo-Iſidori mendacia? Num contra, ac tota retro antiquitas docuit, intolerabile papalis arrogantiæ jugum (veſtra ſcilicet opinione) ſubito ſibi, quin verbo contradiceret, imponi paſſus eſt totus Oriens? Num nativa ſua, & eſſentialia jura tam turpiter pro nihilo vendiderunt omnes illi Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & favente quidem ſibi contra Papam Imperatore? Quid quod ipſe adeo Photius a Sede romana jam damnatus, eamque propterea contumeliis proſcindens, hanc tamen jurisdictionis ſupremæ poteſtatem, cui hactenus ſe ipſum ſubmiſerat, impugnare non eſt auſus!

 §. 16.

*) Fleur. Tom. 12, Lib. 50, §. 11, 12, 13.

§. 16.

Mortuo Michaele Imperatore ejusdem Succeſſor Baſilius primam ſuam in eo poſuit curam, ut detruſo Photio legitimum Paſtorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ reſtitueret, quo facto mox ad romanum Pontificem epiſtolam miſit, in qua ea, quæ fecerat, narrans ita pergit: „Jam Veſtrum eſt „ea, quæ fecimus, rata habere, & reliqua componere: nimirum *decernen-„dum* vobis eſt, quid de illis faciendum, qui cum Photio communicarunt.— „Quia vero omnes ferme Epiſcopi, & Presbyteri noſtri hanc culpam admi-„ſerunt, rogamus, ut ſuper eos veſtra miſericordiæ viſcera commoveri ſina-„tis.“ S. Ignatius quoque in ſuæ ad Papam epiſtolæ exordio mox Primatum ſanctæ Sedis, ejusque authoritatem, quam ad ſananda totius Eccleſiæ vulnera accepit, ſincere profitetur. His epiſtolis Hadriano II Papæ redditis Græcorum Legati multiplices gratias Eccleſiæ romanæ referebant propterea, quod a ſchiſmate ipſos liberaſſet; dein Imperatoris, & Patriarchæ nomine librum de Conſtantinopolitano Conciliabulo Papæ examinandum offerunt potentes, ut quid de illo ſentiendum eſſet, *tamquam ſummum Eccleſiæ Caput* declaret. Pontifex Concilio Romæ habito Photium cum actis ſui Conciliabuli anathemate feriit, ita ſententiam concludens: „Quicunque, „ſi ad ejus notitiam *hæc ſanctio apoſtolica* pervenerit, exemplaria illius Con-„ciliabuli penes ſe retinuerit, ea non indicaverit, vel igni tradiderit, excommu-„nicetur, vel ſi Clericus eſt, deponatur. Quæ non ſolum de Conſtantinopolitanis, „ſed etiam Alexandrinis, Antiochenis, Hieroſolymitanis, atque de omni-„bus omnino Fidelibus decernimus.“ Interim Pontificis Legati Conſtantinopolin advenientes Imperatori Baſilio amicabiles exhibuerunt litteras, in quibus Papa petiit, ut in Concilio apud Orientales celebrando omnes ſubſcribant decretis romani Concilii adverſus illa Photii decreta celebrati. Imperator Legatis honorifice exceptis inter alia reſpondit: „Ab annis duobus „cum Patriarchis Orientis, Metropolitis, & Epiſcopis Eccleſiæ romanæ, „*Matris noſtræ*, judicium exſpectamus“ *). Ita ab orientalibus quoque Eccleſiis, ab ipſa Hieroſolymitana, in qua primum nata eſt chriſtiana Religio, tamquam univerſalis tamen omnium Mater agnita eſt romana Eccleſia. Igitur per prima octo ſecula uſque ad triſtiſſimam græci ſchiſmatis epocham ex monumentis præcipue orientalibus oſtendi, quantum in totius Eccleſiæ regimine pontificia ſemper authoritas valuerit; reſtat, ut breviter adhuc ex Conciliis, iisque generalibus demonſtrem, quantam & hæc ſubjectionis, ac obedientiæ erga Papam neceſſitatem agnoverint.

§. 17.

*) Ibid. Lib. 51, §. 18, 26.

Digitized by Google

§. 17.

Atque de Nicæno primo univerſali incipiam: Can. 6 profitetur, prout expreſſe Patres Chalcedonenſes act. 16 declararunt, *Eccleſiam romanam habuiſſe ſemper Primatum.* Non hic intelligendum eſſe inertem, aut vani dumtaxat honoris abſque jurisdictione Primatum, res per ſe ipſam manifeſta eſt, neque enim Alexandrino, aut Antiocheno Patriarchis ſuus inter ſuos Primatus ſine jurisdictione adjudicabatur. Huc forſitan adhuc ſpectat ſequens Canon 39, qui ita latine legitur: „Ille, qui tenet Sedem Romæ, eſt primus ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes chriſtia-„nos, & omnes populos eorum, ut qui ſit Vicarius Chriſti Domini noſtri „ſuper cunctos populos, & univerſam Eccleſiam chriſtianam, & quicum-„que contradixerit, a Synodo excommunicetur.“ Hujus autem Concilii plus, quam 20 Canones fuiſſe confectos, ſeu, ſi ita loqui præplacet, *ſtatuta,* præter Franciſcum Turrianum inſigniter eruditum, etſi vulgo noſtri ævi contemtum, fortiter probat doctiſs. Cardinalis d'Aguirre *). Præterea Nicæni Patres acta Concilii ad Sylveſtrum Papam transmiſerunt, ejus aſſenſu confirmanda, & roboranda, uti conſtat ex Felicis III epiſtola IV: „Eam vocem ſequentes (Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram) trecenti „decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati confirmationem re-„rum, atque authoritatem ſacræ romanæ Eccleſiæ detulerunt.“ Aliunde pontificiam in omnes Eccleſias authoritatem tunc fuiſſe agnitam Sardicenſe Concilium a. 347 teſtatur **): „Hoc enim optimum, & congruentiſſimum „eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis „quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes.“ En Caput totius Eccleſiæ, utique non iners, ſed viribus præditum, id eſt, S. Petri Sedem, cui ligandi, ſolvendi, paſcendi univerſalis jurisdictio divinitus conceſſa eſt.

§. 18.

Sat notum eruditis omnibus eſt, Conſtantinopolitanam I Synodum ad œcumenicam authoritatem nonniſi occidentalis Eccleſiæ, maxime autem romani Pontificis conſenſu perveniſſe. Plura in hoc Concilio memoratu digna ſunt, quæ monarchicum Papæ in tota Eccleſia Imperium atteſtantur. 1mo Antequam ad Synodum Patres convenirent, unacum Imperatore Theodoſio ad Damaſum legationem decernunt, ut quid ille ſentiret, explorarent, & fideliter ſequerentur. 2do Macedonium damnantes non ſuis utuntur verbis, ſed miſſis a Damaſo anathematiſmis. 3tio Cum rumor ſpargeret, Patres ultra debitos terminos fuiſſe progreſſos, Pontifex acta Synodi ad examen vocavit, eaque confirmavit, quæ Orientales ad normam fidei decre-

 vere,

*) Conc. Hiſp. T. 1. Diſſert. 8.

**) Epiſt. ad Jul. 1.

vere, Canones autem contra ſtatuta Patrum editos rejecit. 4to Papa ad Concilium œcumenicum Orientales Romam vocat, eumque in finem ad Imperatorem litteras ſcribit. Nec Imperator, nec Epiſcopi contra Papam reclamant, quaſi indebita ſibi jura arrogantem, ſed humilem per Legatos ſynodicam mittunt, qua promtam obediendi voluntatem, ſed & graviſſimas, queis impediuntur, cauſſas ſignificant. 5to Damaſus in Reſcripto ſua jura magnifice ſuſtinet, *filios* appellando, non tantum *fratres* Orientis Epiſcopos in univerſali apud ipſos Concilio congregatos, quos propterea laudat, quod *debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam* tribuerint. Inſuper Timotheum Apollinaris diſcipulum, quem orientales Epiſcopi a Papa deponi petierunt, jam ab apoſtolica Sede depoſitum declarat. Ergo quarto jam ſeculo ne orientales quidem Epiſcopos deponendi poteſtatem habuerunt, quin pontificia authoritas intercederet *).

§. 19.

In Concilio Epheſino I a. 431 habito ſuprema Pontificis poteſtas, ſeu Monarchia mirifice eminuit. Cœleſtinus enim Papa in cauſſa Neſtorii legem, & decreta toti Concilio præſcripſit, Legatis ſuis mandavit, ut ſi Epiſcopi diverſa ſentirent, ipſi eos ſententia ſua ad unitatem redigerent: *Ad diſceptationem ſi fuerit deventum, vos de eorum ſententiis judicare debetis, non ſubire certamen.* Ipſi Epheſini Patres adverſus Neſtorium non ſe proferre, ſed exequi judicium faſſi ſunt: *Coacti per S. Canones, & litteras ſanctiſſimi Patris, romani Epiſcopi, Cæleſtini lacrimis ſuffuſi, & pene inviti ad lugubrem hanc ſententiam urgemur* **).

§. 20.

Splendidiora adhuc teſtimonia pontificiæ authoritatis ex Actis Concilii Chalcedonenſis elucent. Ante omnia Pſeudo - Concilium Epheſinum II ſolus Leo Papa ſua authoritate contrivit teſte Gelaſio I ***): „S. Memoriæ Flavianum Pontificum congregatione damnatum ****) pari tenore, quoniam ſola Sedes apoſtolica non conſenſit, abſolvit, potiusque, qui illic receptus fuerat, Dioſcorum ſecundæ Sedis Præſulem ſua authoritate damnavit, & impiam Synodum non conſentiendo ſubmovit, ac pro veritate, ut Synodus Chalcedonenſis fieret, ſola decrevit.“ Poſthæc in ipſa Synodo Chalcedonenſi Patribus congregatis epiſtola S. Leonis ad ipſos ſcripta, quin vel unus contradiceret, fuit prælecta, in qua Pontifex expreſſe diſputari prohibet de fide jam a ſe expoſita, inquiens: „Unde Fratres chariſſimi

*) Rom. Pontif. ſumma Authoritas Lib. 1, Cap. 5.
) Ibid Cap. 4. *) Epiſt. 13.
****) Quanta Eccleſiæ ſtrages, ſi Concilium ſupra, & contra Pontificem eſſe poſſet!!

Digitized by Google

„riſſimi! rejecta penitus audacia diſputandi contra fidem divinitus inſpira-„tam vana errantium infidelitas conquieſcat, *nec liceat defendi, quod non „liceat credi*: cum ſecundum evangelicas authoritates, ſecundum propheti-„cas voces, & apoſtolicam doctrinam pleniſſime, & lucidiſſime per litteras, „quas ad B. Memoriæ Flavianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, „quæ ſit de Sacramento Incarnationis D. N. J. C. pia, & ſincera con-„feſſio“ *). Actione 1ma: Concilii dum Paſchaſinus Papæ Legatus Dioſ-corum Alexandriæ Antiſtitem inter. judices ſedere vidit, aſſurgens ait: „Beatiſſimi, atque apoſtolici Viri Papæ urbis Romæ, quæ eſt Caput om-„nium Eccleſiarum, *præcepta* habemus præ manibus, quibus præcipere dig-„natus eſt ejus Apoſtolatus, ut Dioſcorus Alexandrinorum Epiſcopus non „ſedeat in Concilio, ſed audiendus intromittatur. Hoc nos obſervare ne-„ceſſe eſt, eum dare rationem, quia Synodum auſus eſt facere ſine autho-„ritate Sedis apoſtolicæ, quod numquam licuit, numquam factum eſt.“ Juſſioni Leonis obtemperatum eſt, Dioſcorus in medio ſtare, & judicium ſubire juſſus. Secus de Theodoreto, Cyri Epiſcopo actum, qui in Con-cilio admiſſus eſt ea ſola ratione, quia S. Leo ei Epiſcopatum reſtituit, prout Acta teſtantur. Inter accuſationes contra Eutychetem prolatas ea quoque fuit, quod S. Leonis epiſtolam reſpuerit: „Et poſthæc om-„nia inſuper & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia a Salvatore commiſſa „eſt, oſtendit inſaniam, id eſt, contra tuam Sanctitatem — epiſtolam qui-„dem tuæ reſpuens Sanctitatis.“ Actione 16ta rogant Patres Synodum a Leone confirmari, in ſpecie quoad prærogativam Conſtantinopolitano Epiſ-copo Can. 28 conceſſam: „Rogamus & tuis decretis noſtrum honora ju-„dicium, & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & Sum-„mitas tua *filiis*, quod decet, adimpleat.“ Ita Præſules tantum ſe Leonis filios nominant ſuam indicantes ſubmiſſionem, & profitentur ad comple-mentum ſui in Concilio judicii decere ſummæ Sedis confirmativum de-cretum: immo cum Papæ confirmatio retinente Anatholio Conſtantinopoli-tano, qui ſuæ ambitionis repulſam tulerat, diutius non comparuiſſet, Pa-trum precibus exoratus Imperator Marcianus ad Leonem P. ſcripſit, anxietatem Fidelium exponens, ne ipſius Eutychianæ hæreſis damnatio am-bigua videretur. Tantum authoritatis tunc pontificiæ litteræ habebant, quæ in publicis Eccleſiis prælegebantur, ut in omnium Fidelium notitiam ve-nirent. Demum 28 Canonem, etſi totius Synodi conſenſu roboratum, Pontifex irritum pronunciavit, nec ullis duorum Imperatorum, & Impe-tratricis precibus, ut conſentiret, inflecti ſe paſſus eſt, reſcribens: "Satis ſit

*) Falſum eſt a Patribus Chalcedonenſibus regulam fidei a Leone datam fuiſſe ad examen vocatam, quaſi de veritate doctrinæ adhuc dubitaſſent: jam antea enim eidem ſubſcrip-ſerant.

„ſit Anatholio, quod Veſtræ pietatis auxilio, & mei favoris aſſenſu Epiſ-„copatum tantæ urbis (Conſtantinopolitanæ) obtinuit.“ Item: „Conſen-„ſiones Epiſcoporum SS. Canonum apud Nicæam conditorum regulis re-„pugnantes — in irritum mittimus, & *per Autboritatem B. Petri Apoſtoli* „generali prorſus definitione caſſamus“ *). Tantumne Leo M. potuiſſet, niſi univerſali etiam Concilio Superior fuiſſet?

§. 21.

Propter famoſam trium Capitulorum cauſſam a. 553 celebrata fuit Synodus Conſtantinopolitana II. Cum orientales Epiſcopi ſatis perſpectum haberent, fieri non poſſe œcumenicum Concilium, niſi Rom. Pontifex vel per ſe, vel per Legatos præſideret, omnem moverunt lapidem, ut Vigilium P. ad præſidentiam permoverent. Quamobrem per ſolemnem legationem trium Patriarcharum cum ſexdecim Metropolitanis eum tunc in urbe præſentem invitarunt. At plura non poterant omni ſuo niſu impetrare, quam ut Pontifex promitteret, poſtero die ſe manifeſtaturum, quid ſibi de hoc conventu placuerit. Animadverſione hic plane dignum eſt, Orientales non eo progreſſos, ut Vigilio *citationem* intimarent, quemadmodum Baſileenſes auſi ſunt erga Eugenium IV; ſed illi in Concilio licet congregati, tanta cum reverentia de ſummo Pontifice locuti ſunt, ut ipſe Fleurius in ſermonem Patrum orientalium ſuam fecerit annotationem, quam magna tunc de pontificia authoritate perſuaſio fuerit **). Inter Seſs. 6tam, & 7mam Vigilius celebre ſuum *Conſtitutum* fecit publicari, in quo pro fundamento futuri judicii ſtatuit definitiones SS. Patrum, quatuor primorum Conciliorum generalium, & romanorum Pontificum: pariter legem Patribus dedit, ne circa tria Capitula quidquam proferant, ante ſententiæ ſuæ promulgationem: „Antiquum, & regularem cuſtodientes ordinem, ne „ante noſtræ, hoc eſt, Sedis apoſtolicæ, cui per Dei gratiam præſidemus, „promulgationem ſententiæ quidquam proferre tentarent.“ Conſtitutum porro his claudit verbis: „Statuimus, & decernimus, nulli ad ordines, & „dignitates eccleſiaſticas pertinenti licere quidquam contrarium his, quæ „præſenti aſſeruimus, & ſtatuimus Conſtituto, de ſæpe dictis tribus Capi-„tulis aut conſcribere, vel proferre, aut componere, vel docere, *aut ut ali-„quam poſt præſentem definitionem movere ulterius quæſtionem.*„ Denique Act. 8 a Concilio trium Capitulorum damnatio pronunciata fuit ad normam pontificii conſtituti: „Servemus, ajunt Patres, unitatem ad apoſto-„licam ſacroſanctæ Eccleſiæ Sedem antiquioris Romæ, omnia ſecundum te-„norem lectarum apicum peragentes.“ Concilii Acta Vigilius ſua authoritate confirmavit, ut patet ex epiſtola ad Eutychium CP., quam Petrus de Marca

*) Lib. ſup. cit. 5.

**) Hiſt. eccleſ. L. 33, §. 50.

Marca primus evulgavit, uti eam accepit ab antiquo volumine in Bibliotheca regia aſſervato, pro qua adornanda idem etiam Diſſertationem lucubravit ſub hoc titulo: *De decreto P. Vigilii pro confirmatione Synodi V.* Quamvis Joan. Garnerius in Notis ad *Breviarium* Liberati ſuſpectam facere hanc epiſtolam voluerit; rationes tamen exigui adeo momenti adduxit, ut facile illas Natalis Alexander dilueret *).

§. 22.

Dum generale Concilium Conſtantinopolitanum III contra Monothelitas meditabatur Conſtantinus Auguſtus, cognomine Pogonatus; hac ſuper re antea romanum Pontificem conſuluit a. 678 epiſtola eidem inſcripta: *Sanctiſſimo, & beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & univerſali Papæ.* S. Agatho tunc Pontifex Synodo Romæ indicta duas ad Orientales epiſtolas, quas *Suggeſtiones* vocant, reſcripſit, in quarum prima Auguſtis inſcripta, poſtquam Sedis apoſtolicæ doctrinam de divina Trinitate, ceu fidei regulam propoſuit, ita pergit: „Porrigere dignemini clementiſſimam „dexteram apoſtolicæ doctrinæ, quam Cooperator piorum laborum veſtro„rum B. Petrus Apoſtolus tradidit — quia ejus confeſſio a Patre de cœlis „eſt revelata, qui & ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemtore omnium „terna commendatione paſcendas ſuſcepit, cujus adnitente præſidio hæc apo„ſtolica ejus Eccleſia numquam avia veritatis in qualibet erroris parte de„flexa eſt, cujus authoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis ſem„per omnis catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter am„plectentes in cunctis ſecutæ ſunt" **). In altera vero ad Synodum epiſtola Pontifex per ſuos Legatos Patribus fidei regulam præſcribit, inquiens: „Perſonas de noſtræ humilitatis ordine prævidimus dirigere ad Veſtræ for„titudinis veſtigia, quæ omnium noſtrorum ſuggeſtionem, in qua & apo„ſtolicæ fidei noſtræ confeſſionem prælibavimus, offerre debeant, *non ta„men tamquam de incertis contendere, ſed ut certa, atque immutabilia com„pendioſa definitione proferre*, ſimpliciter obſecrantes, ut hæc eadem omni„bus prædicari, atque apud omnes obtinere jubeatis. — Qui vero hæc „confiteri noluerint, ut infeſtos catholicæ, atque apoſtolicæ confeſſioni per„petuæ condemnationis reos eſſe cenſemus: nec aliquando tales in noſtræ humili-

*) Lib. ſup. cit. C. 6.

**) Forte Honorium quis in exemplum erroris hoc loco velit adducere; ſed miſſis iis, quæ in obſcuriſſima hac quæſtione adhuc dubia ſunt, de quibus legi meretur inter Bollandiſtas doctiſs. Stiltingius, breviſſime reſpondeo Honorium ad particulares quosdam Epiſcopos ſuum dediſſe reſponſum, ceu œconomiæ prudentia, ut putabat, regulam ne quaquam vero Eccleſiæ ſuæ publicam, & univerſaliter tenendam fidei profeſſionem voluiſſe definire.

„humilitatis collegio, niſi correctos ſuſcipere patimur.“ Si Concilio viſum fuiſſet, Papam a Chriſti inſtitutione aberrare, & injuſtam ſibi, quam non haberet, arrogare poteſtatem, debuiſſet ſane vi officii, & aſſiſtente ſibi ſancto Spiritu arrogantiæ Agathonis ſub falſa pietatis ſpecie decipientis reſiſtere, ne demandato ſibi a Deo munere ad maximum Fidelium damnum, & eccleſiaſtici regiminis everſionem abuteretur. Tantum vero abeſt, ut orientales Præſules adverſus ſanctum Pontificem ſeſe oppoſuerint, ut potius omni cum reverentia ejus juſſa impleverint. Hac enim Papæ epiſtola Act. 4 prælecta omnes in eam conſenſerunt, & ut ipſi Act. 18 fatebantur, pontificias ſuggeſtiones fideliter ſuſceperunt, expanſisque manibus amplexi ſunt, ſibi acclamantes: *Petrum per Agathonem fuiſſe locutum.* Itane ergo jam Petrus tantum habuerit authoritatis, quæ univerſali Concilio ſuperior fuerit? Hoc orientalium Patrum ſeptimo ſeculo judicium noſtrorum confundit Febronianorum calumniam, ad tantam authoritatem poſt octo primum ſecula malis artibus Pontifices ſeſe elevaſſe *).

§. 23.

Furentibus in Oriente Iconomachis a. 787 Orientalium vota pro œcumenico Concilio Auguſti Conſtantinus, ejusque mater Irene ad Rom. Pontificem Hadrianum I transmiſerunt, qui in Concilium Nicaenum II conſentiens, rem tamen ipſam antea decidit, Auguſtis imperans, ut ſi velint Eccleſiae ulnis recipi, prius religioſum imaginum cultum reſtituant: inſuper Pſeudo-Synodum contra S. Imagines celebratam anathemate damnat, idemque ad Taraſium Patriarcham CP. perſcribit cum depoſitionis comminatione, niſi & ſuum ſtudium ad imaginum reſtitutionem fideliter conferat. His Papæ litteris in Concilio Act. 1 prælectis ſine ullo earum examine Patres profeſſi ſunt, per ipſas ſe cognoviſſe, qualis ſit Eccleſiæ catholicæ ſenſus. Patriarchæ CP. Taraſius nomine totius Concilii ad Papam reſcripſit: „Cum perlatæ primitus Veſtræ fraternæ Sanctitatis litteræ legerentur, præſtolabantur omnes ſpiritualibus eduliis, tamquam in regalibus cœnis fruentes, quæ Chriſtus per litteras tuas epulantibus præparabat.“ Ita Chriſtus per os Petri, ejusque Succeſſorum loqui antiquitus ab univerſali Eccleſia credebatur. Quæ res tam clara eſt, ut Natalis Alexander in hiſtoria ſua Seculi 8vi negare non potuerit, litteras Rom. Pontificum directrices fuiſſe œcumenicarum Synodorum, & hinc publice in illis prælegi debuiſſe **).

§. 24.

*) Ibid. C. 7. **) Ibid. C. 4.

Digitized by Google

§. 24.

Recurrit denique Concilium generale CP. IV, quod ſupremæ in Papa poteſtatis ab ipſis Orientalibus agnitæ documentum eſt omni exceptione majus. Hadrianus II per ſuos Legatos regulam præſcripſit ab omnibus, queis Synodo intereſſe liceret, antea ſubſcribendam. Act. 1 prælecta fuit hæc ſubſcriptionis formula, & ab univerſali Synodo approbata: in hac varia leguntur noſtra animadverſione digniſſima; en quædam excerpta: „Prætermitti non poteſt ſententia Jeſu Chriſti dicentis: *Tu es Petrus & „ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Quod effectus probavit, quia „in Sede apoſtolica ſemper catholica Religio eſt immaculate conſervata. „Ab hujus ergo Sedis fide, atque doctrina ſeparari minime cupientes, & „Patrum, *præcipue ſanctæ Sedis apoſtolicæ Præſulum conſtitutiones* in omni„nibus ſequentes anathematizamus omnes hæreſes ſimul cum Iconomachis. „Anathematizamus etiam Photium ſanctæ Sedis Conſtantinopolitanæ uſur„patorem, usque dum ſe ſacræ Sedis judicio ſubjiciat: & conciliabulum „ſuum anathematizer. — Tota mente amplectimur, quæ ſacra Sedes de Patriarcha noſtro Ignatio decrevit, *ut in communione illius Sedis eſſe me„reamur, in qua eſt integrum, & veræ Religionis fundamentum.* Illorum „nomina, qui ab ea ſunt ſeparati, inter ſacra myſteria non recitabimus. „Hanc profeſſionem ego N. Epiſcopus manu propria ſcripſi, & tibi Hadri„ano *ſummo Pontifici, & Papæ univerſali* per Legatos tuos obtuli.“ Ipſe Natalis Alexander hoc loco ita commotus eſt, ut quaſi admirans exclamarit: *Magnificum Primatus romani Pontificis argumentum*! Sed quam mirabilius, doctum tunc Virum attendere noluiſſe, in quo primatus ſe oſtenderit, in eo ſcilicet, quod *univerſa Synodo ſuperiorem Papa ſe geſſerit, Orientis Epiſcopis approbantibus.* Act. 7 tres recitatæ ſunt allocutiones Hadriani ad Concilium: in tertia vehementius in Photium invehitur, qui auſus eſt, contra Nicolaum Pontificem judicium proferre: „Quis umquam „Veſtrum, ait ad Patres, tale quid, precor, audivit, vel quis hujusmodi te„meritatis immenſitatem legitur inveniſſe? ſiquidem romanum Pontificem de „omnibus Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus, de eo vero quemquam „judicaſſe non legimus.“ Tum reſpondit Concilium hanc Photii temeritatem extrema damnatione dignam eſſe: „Quomodo temeratores iſti non ſunt „facti *ſuper Magiſtrum*, quando adverſus apoſtolicam Sedem, *quæ ceterarum „quoque Sedium magiſtra eſt*, etiam os injurias vomens aperuiſſe probantur? „— Nemo umquam apoſtolico culmini, *de cujus judicio non licet retractari*, „manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe „voluit judicari.“ Summe memoranda hæc pro noſtris temporibus veteris Eccleſiæ, & orientalis quidem ſententia! Demum in Encylica ad omnes fideles directa Patres Conſtantinopolitani aperte ſupremam Papæ ſupra to-

Google

tum Concilium poteſtatem fatentur, Photium a ſe depoſitum, & a tota Eccleſia alienatum dicentes *per datam ſibi poteſtatem in Spiritu ſancto a primo, & magno Pontifice Hadriano* *).

§. 25.

Præter univerſalia hæc, & quidem Orientis Concilia Coronidis loco domeſticum, ſi ita loqui licet, originalis in Germania diſciplinæ monumentum adhuc producam ex Synodo ab Apoſtolo Germaniæ a. 742 habita, de qua ipſe Bonifacius Epiſt. ad Cudwertum Dorovernenſem Epiſcopum ita teſtatur **): „Decrevimus in noſtro ſynodali conventu, & confeſſi ſumus „fidem catholicam, & unitatem, & ſubjectionem romanæ Eccleſiæ, finete„nus vitæ noſtræ velle ſervare S. Petro, & Vicario ejus velle ſubjici, „Synodum per annos ſingulos congregare ***), Metropolitanos pallia ab il„la Sede quærere, & per omnia *præcepta Petri canonice ſequi* deſiderare, „ut inter oves ſibi commendatas numeremur. Et iſti confeſſioni univerſi „conſenſimus, & ſubſcripſimus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſto„lorum direximus, quod gratulando Clerus, & Pontifex romanus ſuſce„pit." Sane ipſi Epiſcopi oves ſunt ad ovile Petri pertinentes; ab illo igitur paſcendi, regendique, hoc eſt, paſtorali ejusdem regimini ſubjecti. En tibi, veritatis amans Lector! per integra octo prima Eccleſiæ Secula, ex orientalibus præcipue Conciliis teſtimonia quam certiſſima, clariſſimaque pontificiæ ſemper agnitæ, ejusdemque ſupremæ juriſdictionis, ut manibus jam, ſi velis, noſtrorum Febronianorum falſitatem palpare poſſis, prætexentium, poſteriori primum ignorantiæ ævo malis artibus pontificiam poteſtatem accreviſſe.

§. 26.

Univerſalia Concilia & ore, & ipſo opere profitebantur, ſe Pontifici maximo ſubjectionem, & obedientiam debere. Taceant jam noſtri abſurdi cavillatores Pontificis decreta noviter a ſe confictо cuidam epiſcopali *Placeto* ſubjicientes. Demonſtratum eſt enim, immo & definitum fidei catholicæ dogma, quod ſalva ſalute negari non poteſt, ab omnibus fidelibus, ergo & quolibet Epiſcopo, aut Archiepiſcopo, totius Eccleſiæ Capiti, & Chriſti

*) Ibid. C. 9. **) Inter Bonifacianas 105.

***) Illo igitur Seculo, germanicæ Eccleſiæ initio, ubi pura adhuc diſciplina viguit, ſub S. Bonifacio, Synodorum celebrationis impedimentum Epiſcopis Germaniæ non videbatur ſubjectio erga apoſtolicam Sedem, vel ejusdem Legati præſentia; imo quod ſemper maxime ab Epiſcopis catholicis æſtimabatur, erat communio cum ſupremo ſuo Capite & omnium Paſtore. Suſpecta res eſt, dum Epiſcopi Papam conſiliorum ſuorum conſcium fieri reformidant.

Chriſti Vicario obedientiam eſſe præſtandam *). Non propterea inferiori Paſtori, qualis Epiſcopus eſt, facultas denegatur, cum debita erga Superiorem reverentia eumdem commonefaciendi ſuſpenſo interim obedientiæ exercitio, ſi quod forſitan in ſpecie decretum emanaverit particulari cuidam loco vix applicabile. Hæc, inquam, facultas ſubordinationi haud officit, eademque in Parocho eſt epiſcopalis decreti executionem ſimili ex cauſſa interim ſuſpendente. Niſi ad invidiam dicta forent, quæ Febronius ait de Epiſcopis **), quomodo erga legem pontificiam habere ſe debeant; eadem poſſent æquali jure aſſeri de Parochis reſpectu decreti epiſcopalis: „Pertinere ſcilicet ad Epiſcopi diœceſani ſuperiorem Paſtoratum, ut leges, „quas neceſſitas, vel utilitas Eccleſiæ hic, & nunc poſtulare videbatur, uni„verſali Diœceſi *proponat*: has propter *intrinſecam* earum æquitatem Parochi „tenebuntur acceptare, quando eas judicabunt aptas ad promovendum bonum „Religionis, & diſciplinæ eccleſiaſticæ, & poſtquam ſtatui publico regni „(ſeu politico juri ſui Principis) nullum dignoſcantur afferre præjudici„um." Quam delicata hæc res ſit, ne forſan in hujusmodi caſu Parochus reverentiam violet ſuo Superiori debitam, optime id a Curialiſtis archiaut epiſcopalibus didiceris.

§. 27.

Perabſurda porro eſt, etſi in ſcholis jam pervulgata opinio, pontificia lege ſubditos non ligari, niſi ab Epiſcopo loci acceptata ſit, & promulgata. Bonam fidem, aut ignorantiam ſubditi in hoc caſu ſufficere, ad excuſandam prævaricationem facile admitto, hæc duo ſiquidem quemcumque Diœceſanum excuſare poſſunt, ſi contra epiſcopale decretum egerit a ſuo Parocho, & Paſtore ordinario nondum promulgatum. Quis autem ſerio dicat a *Placeto* Parochi legem epiſcopalem ſubditos obligandi vim nanciſci? Hanc quæſtionem erga Curialiſtas Archi-aut Epiſcoporum inſtituo, & ut iſtorum majus jus contra pontificiam legem mihi oſtendatur, jure meo poſtulo. Dum Clemens XII ſe offenſum oſtenderet, eoquod in Conventu Cleri gallicani aliqui dixiſſent, Bullam *vineam Domini* non obligare antea acceptationem Corporis Epiſcoporum, eamque ex parte illorum fieri *per viam judicii*; præſules gallicani a. 1711 data ad Papam epiſtola declararunt, ſe non intelligere acceptationem, quæ ſit *ſolemnis*, neque ut Conventus Epiſcoporum velut *judex* Bullam examinaret, ſed ut conformitatem ſuæ doctrinæ cum apoſtolica ſignificarent. Non igitur per modum *judicialis approbationis*, ſed *pro conformitate inſtructionis* Epiſcopis licet apoſtolica diſcutere decreta. Haud equidem me latet contrariæ opinionis recentiſſimum, ſed & falſiſſi-

*) Conc. Florent. in Definit fidei. Item Trident. Seſs. 25 de Reform. C. 2.
**) De Stat. Eccleſ. C. 5, §. 2, n. 4.

falſiſſimum fundamentum, ſcilicet Papam non *ordinaria* ſeu *immediata* gaudere in Diœceſanos jurisdictione; ſicut tamen Epiſcopus gaudet in Parochianos. Verum, qua mihi ratione ordinariam Epiſcopi in quamlibet Parochiam potius, quam Papæ in diœceſin evinces poteſtatem? Sane Parochus eodem jure ſe *Ordinarium* Parochæ dicet, quo Epiſcopus dicitur Ordinarius diœceſis, uterque jure divino eſt, aut uterque humano; etſi hic illo ſuperior. At Epiſcopo quoque ſuperior Papa eſt, ſimulque *Ordinarius* uterque. Omnes enim fideles obedientia erga Papam ligantur, ut ipſa fidei catholicæ profeſſio, omnibus ſane communis, continet: *Romano Pontifici, B. Petri, Apoſtolorum Principis Succeſſori, & Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro.* Nonne *Ordinarius* *) mihi Superior eſt, qui vices Chriſti erga me gerit, qui S. Petro ſuccedit, cui omnes, & ſingulæ oves ad paſcendum *immediate* traditæ fuerunt, cui poteſtas data in univerſa terra quidquid ligandi, ſolvendive, qui ex œcumenici Concilii Lateranenſis IV definitione *ordinariæ* poteſtatis in tota Eccleſia primatum habet, cui veram ſpondere, & jurare debui obedientiam? An militi, qui ſub centurione ſtat, nihil *immediatæ* imperare poteſt generalis Dux exercitus? Quid eſt, quod diluculàrii noſtri rem cuilibet proletario notam in ſola Eccleſia, quæ eſt velut acies bene ordinata, non videant? Si quis Epiſcopus ordinariam in ſua diœceſi poteſtatem Pontifici abneget; forte Parochus eamdem in ſua Parochia Epiſcopo negabit: & mundus judicet quis cauſſam ſuam ex ipſa ratione, ex rei æquitate, ex primæva inſtitutione, ex factis hiſtoricis, iisque publicis, & pragmaticis, ex Patrum teſtimoniis, ex divinæ Scripturæ oraculis fortius ſit defenſurus. Hac ſuper re legi meretur libellus vernaculus authoris, quod ſcitur, Ratisbonenſis, dignitate, & eruditione inſignis **).

§. 28.

Sed quod præcipue offendit Punctatores Emſanos, eſt formula obedientiæ, & fidelitatis, quam ſinguli Germaniæ Epiſcopi in ſua conſecratione Pontifici jurare debent. Hosce igitur ad ipſam originem hujusmodi juramentorum reducam oportet. Inde enim a Seculo V, ut doctiſs. Thomaſſinus docet ***), juratam fidem Archi- & Epiſcopi exegerunt, illi quidem a ſuis Suffraganeis, iſti vero ab inferioribus Clericis. Neque id fruſtra: etſi enim alias jam eſſent ad obedientiam obſtricti; expreſſius tamen obligatio inculcabatur, quo conſtantius obſervaretur, ut Concilium Toletanum

*) Hic intelligitur *Ordinarius* jure, non exercitio Paſtoratus, ſecus enim certiſſime Epiſcopi non tam forent Parochianorum *Ordinarii*, quam Parochi.

**) L. Weißmanns neue Bemerkungen über das Reſultat des Emſerkongreſſes 1788.

***) Vetus, & nova Eccleſiæ diſciplina Tom. 2. Lib. 2, Cap. 44, 45, 46.

tanum XI de a. 676 loquitur: *Solet plus timeri, quod ſingulariter pollicetur, quam quod generali innexione concluditur.* Seculo VIII S. Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, & Epiſcopi ſecum in Concilio congregati primum ſolemne obedientiæ juramentum *) & ſponte quidem ſua romano Pontifici Gregorio II præſtiterunt: rebus enim eccleſiaſticis per Galliam miſere collapſis intellexerant ad Eccleſiæ bonum nihil eſſe utilius, nihil efficacius, quam arctiſſimam cum ſupremo Capite connexionem. Sed hodie maximus lapis offenſionis eſſe dicitur formula juramenti, qua non amplius *canonica* ſolum obedientia, ſed & fidelitas ei ſimilis, quam *Vaſalli* ſuis dominis præſtare debent, ab Epiſcopis Papæ juranda eſt. Nolim ego juſtiſſimas, ſed & odioſiſſimas cauſſas, haud quaquam Epiſcopis glorioſas, ſingillatim hic exponere, quare S. Gregorius VII ab Aquilejenſi Patriarcha, & poſtea illius Succeſſores a Germaniæ Epiſcopis hoc juramentum exegerint. Id generatim noſtros Archi- & Epiſcopos oportet meminiſſe, moleſtam ſibi hodiernam jurandi formulam inde ex quorumdam Anteceſſorum ſuorum defectibus ab apoſtolico culmine profluxiſſe. An noſtris diebus adhuc neceſſaria videatur tam ſtricta, & explicita Epiſcoporum promiſſio ſuæ erga apoſtolicam Sedem fidelitatis, & dependentiæ, id ego non definiam, ſed Publici judicio relinquam, hoc unice cum laudato Thomaſſino admonens: *Satius eſt remediis minus neceſſariis uti, quam iis abſtinendo in eas revolvi calamitates, quibus rurſum ſummopere neceſſaria ſint.*

§. 29.

Nonne autem injuſta ſunt, & ſervatu impoſſibilia, quæ noſtri Epiſcopi imperii Principes Papæ juramento promittere tenentur? Non, injuſta ſunt, dico, ſed plane juſtiſſima, ad quæ aliunde, etiam ſine jurejurando Epiſcopi tenerentur. Nam quilibet chriſtiani Principes, multo magis eccleſiaſtici jure divino ſunt obligati ad potentiam ſuam contra ſanctæ Religionis hoſtes juſte adhibendam. Item temporalia quoque bona S. Matris ſuæ, romanæ Eccleſiæ, & quæ ad decorem ſpectant, & authoritatem ſupremi fidelium Capitis non tantum Epiſcopi, verum etiam omnes Chriſtiani pro ſuis viribus conſervare, & defendere tenentur. Ea autem quam optime ad ipſis Imperii Principibus ſervari poſſunt, ſi dare parati ſint Deo, quæ Dei, & Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. Rem hanc Barthelii, æſtimatiſſimi apud nos Juriſconſulti propriis verbis declarabo, qui, ubi de Concordatis Germaniæ a Pontifice Nicolao V confirmatis tractavit, ita concludit **): „Hoc igitur efficaci ſane eſt argumento, nec Nicolaum, ſummum Pontificem alia juramenta ab Epiſcopis Imperatori, & aliis præ-

„ſtanda

*) *Canonica* hæc vocabatur obedientia, quippe ex antiquis Canonibus Papæ debita.

**) De Concord. Germ. Diſſert. 3, Cap. 3, §. 39.

„ſtanda ſubjectioni ſibi ab iisdem debitæ præjudicare credidiſſe, nec Sta-„tus concordantes illud juramentum, quod ſummo Pontifici in conſecratio-„ne emittitur, cum Imperii detrimento conjunctum, aut imperatoriis juri-„bus adverſum exiſtimaſſe. Certe nec prudens quiſpiam, niſi vel aver-„ſione quadam in Sedem apoſtolicam, vel partium ſtudiis, aut Religionis, „educationisve præjudiciis nimium radicatis præoccupatus fuerit, ex in-„dole, aut tenore juramenti ipſiusmet damni alicujus, aut Imperatori, aut „Imperio pertimeſcendi umbram facile inveniet, dummodo duplicem, „quam Epiſcopi Germaniæ gerunt, perſonam penitius conſideraverit. Sic „enim juramentum a Principibus eccleſiaſticis, tamquam Epiſcopis ſummo „Pontifici tantum quoad ea, quæ ad veram utilitatem, & jura Eccleſiæ „vera pertinent præſtari; nequaquam vero ea, quæ cum Imperii detri-„mento, conjuncta ſunt, aut ad illud propiorem reſpectum involvunt, „concernere haud difficulter intelliget. Nihil ſane aliud diſertus ejusdem „tenor exigit, niſi ut ſecundum Chriſti monitum & Deo, & Pontifici „reddantur, quæ Dei ſunt, atque Pontificis; & Cæſari, ac Imperio, quæ „ſunt Cæſaris, ac Imperii: qua regula veram Imperii ſimul, & Sacerdotii „concordiam cum utriusque ſemper felicitate, arctiſſime conjunctam conti-„neri certum eſt."

COROLLARIUM II.

De jure cauſſas majores ad ſe vocandi, ſeu reſervandi.

§. I.

Ea eſt omnium Catholicorum æque, ac ipſorum adeo Febronianorum ſen-tentia, eum in finem a Chriſto univerſalis Eccleſiæ Primatum Petro *fuiſſe* commiſſum, ut unitas inter fideles omnes conſervaretur, prout S. Hierony-mus dixit *): *Unus eligitur, ut Capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Idem jam antea Cyprianus in epiſtola ad Cornelium P. perſcripſit: „Ne-„que aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quam inde „quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec *unus* in Eccleſia ad tempus „Sacerdos, & ad tempus Judex vice Chriſti cogitatur." Quin ipſi Apoſtolorum ævo proximus S. Irenæus præclariſſimum dedit teſtimonium, ad romanam Eccle-ſiam, tanquam ad unitatis centrum omnes reliquas particulares debere convenire, & hujus traditione originaria quascunque noviter inventas hæreſes con-fundi **): „Eccleſiæ ab Apoſtolis Romæ fundatæ traditionem indicantes „confundimus eos, qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel „vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſcientiam, præterquam opor-tet,

*) Adv. Jovin Lib. 1. **) Lib. 3, C. 3.

„tet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem Principali„tatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam.“ Ita quam certiſſimum eſt omnium ovium curam ſoli Petro traditam fuiſſe, ut ſub uno Paſtore unum eſſet Chriſti ovile: *Paſce oves meas.* Ergo jus pontificii Primatus eſſentiale, & immediate in divina inſtitutione fundatum vel ipſis adverſariis haud diffitentibus eſt *omnium Eccleſiarum cura, & ſollicitudo.* Hæc autem, quod ſano capite nemo mortalium negaverit, eorum, quæ in Eccleſiis particularibus contingunt, cognitionem requirit, non otioſam ſolum, quæ inanis foret, ſed efficacem, & jurisdictione præditam. Cum porro abſentia cognoſci per homines, niſi relatione non poſſint, ſequitur, res, ſi quæ dignæ ſunt, ſeu graviores ad Petri Vicarium neceſſario eſſe referendas. Atque hanc *referendi majores cauſſas* neceſſitatem, quæ ſupremam unius jurisdictionem, ſeu Monarchiam, etſi Febronius id neget, indicat, primæva Eccleſia jam agnovit, fideliterque obſervavit. Ut more meo brevis ſim, ex quatuor dumtaxat primis ſeculis exempla proferam.

§. 2.

In ipſo adhuc naſcentis Eccleſiæ exordio Corinthii ad S. Clementem Romanum epiſtolam ſcripſere, in qua diſcordiæ apud ipſos obortæ cauſſa expoſita, conſilium tantum, ſed & auxilium implorabant. Seculo II S. Polycarpus Romam contendit ad Papam Anicetum, ut cum eo de celebrando die Paſchatis conferret. Martyres Lugdunenſes S. Irenæum ejusdem Eccleſiæ tunc Presbyterum ad Eleutherium P. ob quasdam Eccleſiæ quæſtiones miſerunt. Polycrates Epheſiorum Epiſcopus Concilio a ſe ad mandatum Victoris P. indicto, eidem reſcripſit, intentata licet ſibi excommunicatione, non tamen ſe poſſe obedire ex illa Majorum regula: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Tam obſtinate rem variabilis diſciplinæ, hoc eſt, celebrandi Paſchatis feſtivam diem, tamquam divinum præceptum defendit, ut non vereretur totam reliquam Eccleſiam præter Aſianam prævaricationis arguere. Seculo III damnatio Origenis a Demetrio Alexandriæ Epiſcopo facta ad Pontianum P. refertur, qui & in eamdem conſentit. Ipſe Origenes teſte Hieronymo *) epiſtolam ad Fabianum romanæ urbis tunc Epiſcopum ſcripſit, in qua pœnitentiam egit, & cauſſas temeritatis in quemdam Ambroſium retulit, quod ille ſecreto edita in publicum protulerit. S. Cyprianus in quæſtione de lapſis eamdem Sedem conſuluit, quam tum defuncto Fabiano Clerus romanus moderabatur. Ad Stephanum Papam Dionyſius Alexandrinus primam earum, quæ de Baptiſmo

*) Ad Pammach. & Occan. Epiſt. 65.

tiſmo conſcriptæ ſunt, epiſtolam exaravit, controverſia ſcilicet ſat celebri exorta, utrum eos, qui ex qualibet hæreſi converterentur, rebaptizari oporteret. Africani quoque Epiſcopi ex duabus Provinciis Carthagine congregati Stephano ea, quæ decreverant, litteris ſignificarunt. Idem ille Dionyſius Xiſtum II de Sabellianis hæreticis, qui tunc temporis increſcebant, certiorem reddidit, & ne forte hallucinaretur, ſententiam expetiit *).

§. 3.

Seculo IV Conſtantinus Imperator Donatiſtarum cauſſam ad ſe delatam Melchiadis P. cognitioni Romam remiſit. Poſteriori anno 314 Arelatenſis Concilii Patres ad Sylveſtrum P. epiſtolam dederunt, ipſum rogantes, ut decreta Concilii confirmaret, & toti Eccleſiæ ſervanda proponeret *juxta conſuetudinem*, qua romanus Epiſcopus litteras ad omnes dirigeret. Ad eumdem Papam Alexander Epiſcopus Alexandrinus epiſtolam miſit, qua ſignificavit, undecim tam Presbyteros, quam Diaconos, quia Arii hæreſin ſequerentur, a ſe Eccleſia fuiſſe ejectos. Ipſo fatente Febronio **) perſuaſum habuit Sardicenſis Synodus, romanæ Sedis Antiſtiti, *tamquam Eccleſiæ Capiti*, incumbere Eccleſiarum omnium ſollicitudinem: hinc ad Julium P. ſcripſit, ad Caput, id eſt, ad Petri Sedem de ſingulis *quibuscumque* Provinciis eſſe referendum. Ex illis antiquitatis ruderibus, temporum injuria plurimum deperditis, duæ adhuc aliæ ad eumdem Papam epiſtolæ reſtant pontificiæ Authoritatis *in cauſſis majoribus* inſignia monumenta. Prima eſt Marcelli Ancyrani Epiſcopi epiſtola, qua coram Papa ſe purgat ab Arianis accuſatum, quod tribunal non recuſat, ſed & neceſſarium ſibi ait, Romam venire, cauſſamque ſuam defendere: propterea Pontificem admonet, ut pro judicis officio ſuos quoque adverſarios accerſat. Qui etiam vocati cum non comparuiſſent; Marcellus tamen eſſe ſibi neceſſe duxit fidei profeſſione apud Papam ſe purgare, quem & rogavit, ut ſuis litteris, quas ad Epiſcopos mittere ſoleret, eamdem attexeret. Altera eſt Arianorum, Valentis, & Urſacii epiſtola, qua ſuas adverſus Athanaſium criminationes coram Pontifice revocant, ejusdemque bonitatem commendant, *qui pro inſita ſibi benevolentia errori ſuo veniam dare dignatus fuerit.* Tum apertius adhuc in cauſſis Epiſcoporum Pontificis Authoritatem profitentur, *ſe non adfuturos citra ejusdem conſcientiam, ſi aliquando ab Orientalibus malo animo fuerint ad cauſſam vocati.* Ipſe denique Julius in celebri ad Euſebianos epiſtola pontificiæ Authoritatis contemtum illis exprobrat *ad antiquam conſuetudinem* provocans tum generatim

*) Apud Couſtant, Epiſt Rom. Pontif. **) De Stat. Eccleſ. C, 2, §. 6.

tim in cauſſis gravioribus, tum ſpeciatim in illa Epiſcoporum: *An ignoratis banc eſſe conſuetudinem, ut primum nobis ſcribatur, & binc, quod juſtum eſt, decernatur?* *)

§. 4.

Non ſatis conſultum mihi videtur, illud quorumdam Criticorum, etiam Couſtantio non excepto, effugium, ſingularem inde jam ab initio in Alexandrinam Eccleſiam fuiſſe Papæ Authoritatem: hinc Julium de Athanaſio tantum conqueri, ſe inſcio contra conſuetudinem depoſito. In Scyllam hi incidunt vitare Charibdin volentes. Si enim in primam totius Orientis Sedem pontificia Authoritas tantum valuit, cur minus in inferiores valeret? Quodſi jam ab initio tam ſpecialis dependentia fuit Alexandrinæ Sedis a Romana; unde id, niſi a Petri Authoritate repetendum? nonne adverſariis vel invitis fatendum, primarium Orientis Patriarchatum, hoc eſt, Alexandrinum inde a S. Marco, ceu Petri Legato ſuam traxiſſe originem? nonne eodem jure, niſi & majore ſecundæ poſt Romanam Sedis, ſeu Antiochenæ prærogativa, & dignitas præ aliis Apoſtolicis a Petro, ceu fonte ſuò derivanda? nonne ergo vel ipſa duorum in Oriente Patriarcharum poteſtas, tamquam in ſuos Vicarios a Petro fuit profecta, ſive *delegata?* nonne quæſo, in Antiochenum, aliosque Orientis Epiſcopos idem jus habuerit Papa, quod in Alexandrinum? Sane idem habuit, & exercuit, prout facta teſtantur. Julius ſiquidem Euſebianos Antiochiæ in Concilio congregatos æque, ac Athanaſium ante ſuum tribunal vocat: item non unice, tamquam contra antiquos canones factum Euſebianis exprobrat, quod Alexandrinum, ſed quod hunc quidem ceu maximum, alios autem Epiſcopos quoque Sedium apoſtolicarum ſe inconſulto judicare præſumſerint: „Si „omnino, ut dicitis, aliqua *eorum* (non ſolius Athanaſii) culpa fuit, judi-„cium *ſecundum eccleſiaſticum canonem*, nec eo pacto fieri oportuit. — „Epiſcopi enim erant, & non vulgares Eccleſiæ, quæ injuſta patiebantur, „ſed quos ipſi Apoſtoli ſuamet opera ad fidem inſtruxerunt. Cur igitur, „& in primis de Alexandrina civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? — „Quapropter ſi hujusmodi ſuſpicio in Epiſcopum, *qui ibi* (τον εκει, non „præciſe, ut male vertit Couſtantius, *illius urbis*) cadebat, ad hanc Eccle-„ſiam ſcribendum fuerat.“ Eccleſiaſticus autem Canon, quem Euſebiani violarunt, teſte Socrate fuit, quod Papam ad Concilium non vocaſſent **): *Quippe cum Canon eccleſiaſticus vetet, ne Decreta absque ſententia Epiſcopi romani Eccleſiis ſanciantur.* Theodoretus de Julio P. ita ſcribit ***): *Ille Eccle-*

*) Apud Couſtant. Epiſt. Pontif. **) Hiſt. Lib. 2, C. 17. ***) Lib. 2, C. 4.

Digitized by Google

Eccleſiæ canonem ſecutus eos juſſit Romam venire. Ut pariter Sozomenus refert *): „Julius ad illos, qui Antiochiæ in unum convenerant, ſcripſit, „atque adeo incuſavit, quod clam contra fidem Concilii Nicæni novas res „moliti fuerint, quodque contra Leges Eccleſiæ ipſum ad Concilium non vo„caverant: nam Legem eſſe ad Sacerdotii dignitatem ſpectantem, quæ pro„nunciat acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi romani conſti„tuuntur.“ Hinc manifeſtum fit, quid de quibusdam Novatoribus ſentiendum, qui ad antiquos canones reformationem prætexentes Concilium Nationale, aut Provinciale Germaniæ ſine Papa & Patriarcha ſuo haberi cupiunt.

§. 5.

Ex quarti hujus ſeculi documentis inſigne adhuc eſt S. Hieronymi teſtimonium, qui diſerte ſcribit **): „Se apud Damaſum ad reſpondendum ſynodi„cis conſultationibus, quæ ex Oriente & Occidente ad romanam Sedem mit„tebantur, operam navaſſe.“ Porro in quæſtione, num una in Deo, tresve hypoſtaſes dicendæ ſint, aperte fatetur, ſe absque hæſitatione id dicturum, quod Damaſus juberet ***): „Cum ſucceſſore Piſcatoris, & diſcipulo crucis „loquor. Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, id „eſt, Cathedræ Petri communione conſocior: ſuper illam Petram aedificatam „Eccleſiam ſcio. — Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. „Quicunque tecum non colligit, ſpargit. — Diſcernite, ſi placet, obſecro, „non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. — Ego interim clamito, ſi„quis Cathedrae Petri conjungitur, meus eſt.“ Demum cum Himerius Tarraconenſis Epiſcopus Siricium, de quibusdam diſciplinae capitibus conſuluiſſet, reſpondens Pontifex ita loquitur: *Ad romanam Eccleſiam utpote ad caput tui corporis retuliſti.* Itaque ex luculentiſſimis hisce quatuor primorum ſeculorum reliquiis conſtat, a ſingulis ubique terrarum Eccleſiis ad romanam propter Primatus ſui Authoritatem rerum ſeu cauſſarum graviorum relationes fuiſſe factas. Etſi Pontifices pro ſua humilitate ab odioſa *juſſionis* voce in reſponſis, decretisve ſuis abſtinuerint, vim tamen obligandi iisdem ineſſe oſtenderunt ſeveriſſimis pœnis in refractarios vel illatis, vel ſaltem intentatis, uti de Siricio conſtat, Julio, Stephano, & Victore, nemine uno ex Catholicis hanc pontificiae Authoritatis poteſtatem impugnante.

§. 6.

*) Lib. 3, C. 10. **) Epiſt. ad Ageruchiam.
***) Epiſt. ad Damaſ.

§. 6.

Unde plena jam in luce apparet Febroniana Falſitas: „Paulatim magnum Papæ Authoritatis pondus acceſſiſſe per hanc referendi conſuetudinem, quam deinceps Pontifices in neceſſitatem verterint, & *pro jure* poſtularint“ Falſum eſt enim, & a chriſtiana Religione alienum Febronii ſuppoſitum *pro mero libertatis ſuæ arbitrio* has conſultationes, relationesve a particularibus Eccleſiis ad Romanam mitti cæpiſſe. Id factum fuiſſe *ex jure univerſalis ſollicitudinis Petro divinitus commiſſæ* & allata primævæ Eccleſiæ monumenta teſtantur, & ipſe Febronius nunc ſibi contradicens ſupra fatebatur. Ergo falſum quoque eſt conſequens: ſed jure ſuo eoque divino inſpectionem in res Eccleſiarum graviores exigere poterant ſummi Pontifices, & particulares Epiſcopi neceſſitatem illas referendi, eccleſiaſticis etiam Canonibus firmatam agnoverant. Inane eſt, quod Febronius ſubdit, alios etiam Epiſcopos e. g. Cyprianum, conſultos fuiſſe. Conveniens enim fuit, ut Cyprianus Africæ Primas, aut alii Orientis Patriarchæ a ſuis inferioribus Epiſcopis in rebus dubiis conſulerentur, præcipue ubi propter locorum diſtantiam, & perſecutionis furorem ad ſupremum Caput non tam facilis eſſet recurſus. Attamen ii ipſi Epiſcopi, vel ſingulatim, vel certe in Concilio congregati, ſi cauſſæ gravitas exigeret, ad Papam ſolebant recurrere. Accedit, quod hinc inde conſultationes propter ſingularem perſonæ conſultæ qualitatem potius, quam officii præſtantiorem dignitatem factæ fuerint. Ita Damaſus iPapa vel Hieronymum Presbyterum conſuluiſſe legitur: ita hodie quoque Univerſitates virorum doctorum non raro conſuluntur; quis autem ſomniet, id ordinarii judicis jurisdictioni præjudicare? Siquis poteſt, oſtendat, aliis Epiſcopis præter Romanum omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, & jure quidem divino competere; oſtendat ad alium Epiſcopum ex toto terrarum orbe relationes fuiſſe factas; oſtendat, ex antiquiſſimis Eccleſiæ canonibus id fieri debuiſſe; oſtendat demum, ab alio quodam Epiſcopo in totum orbem chriſtianum jurisdictionem fuiſſe exercitam, agnitamque. Quod porro Febronius ait, a Theodôſio Imperatore tale privilegium relationes exigendi Conſtantinopolitano Epiſcopo fuiſſe indultum; haud nego conveniens eſſe, ut Patriarchæ, vel Primati ſuo inferiores Epiſcopi ſua dubia proponant: ſed hoc certum eſt, ad Papam ceu univerſale Caput Eccleſiæ jam inde ab initio, & conſtanter factas fuiſſe graviorum rerum relationes, fierique debuiſſe, ſive id immediate per Epiſcopos, ſive mediate per ſuos Primates contigerit. Ceterum Theodoſius hoc ſuum mandatum revocavit, poſtquam ei ſubreptio innotuit Illyrici Epiſcoporum, qui ſchiſmatis ſenſa foventes Patriarchatui romano ſeſe ſubtrahere, & Conſtantinopolitano ſubdere volebant. Vide

Antifebronium vindicatum, ſeu doctiſſim. P. Zachariam *). Neutiquam ergo cum fide catholica cohæret, ſed maledicentia adverſus Sedem apoſtolicam eſt ſequens clauſula: „Igitur hoc jus (relationes exigendi) ſua origine nulli Sedium proprium eſt, & tamen ab una parte ſtrictius vindicatum, „ab altera remiſſius cognitum viam aperuit mutandi *Conſilia* in *Mandata*, „*Directorium* in *Imperium*.

§. 7.

Vana adhuc diſtinctio eſt, quæ forſan improvidis poſſit imponere, inter relationes de rebus ſtatum *univerſalis*, vel tantum *particularis* Eccleſiæ tangentibus. Vana diſtinctio, inquam, catholicum ſiquidem dogma eſt omnium, & ſingularum Eccleſiarum ſollicitudinem ex inſtitutione divina Petri Vicario eſſe commiſſam. Hinc primis jam temporibus ex ſingulis Provinciis Orientis æque ac Occidentis de rebus ſuis gravioribus Relationes Romam mittebantur: hinc Victor Papa Aſianos tantum circa diem celebrandi Paſchatis diverſos communione privare decrevit: hinc Synodus Sardicenſis ſtatuit, ut de ſingulis Provinciis ad Caput referatur. Ergoquilibet Eccleſiæ ſtatus, ſeu particularis ſit, ſeu univerſalis, a cura ſupremi Capitis dependeat neceſſe eſt, adeoque graviora negotia ſemper illuc ad notitiam referenda ſunt, prout antiqui canones ſtatuerunt teſte Avito Viennenſi Epiſcopo ſec. VI **): „Synodalium legum eſſe, ut in rebus, quæ „ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad ro„manæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum membra ſe„quentia recurramus."

§. 8.

Quanta injuria ſummi Pontifices ſeculi V, & ſequentium ſuggillentur, porro diſcutiamus. Omnium primus fuerit Innocentius, qui majorum cauſſarum mentionem fecerit hiſce verbis ***): „Si majores cauſſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & „vetus conſuetudo exigit, poſt epiſcopale judicium referantur." Varia hic in ſuſpicionem nititur trahere Febronius: 1mo Verba, *vetus conſuetudo*, apud Labbæum, & Juſtellum non reperiri. 2do Has quoque cauſſas inprimis ad Epiſcoporum tribunal pertinuiſſe, quia dicitur *poſt epiſcopale judicium*. 3tio Quod de *ſtatuto ſynodali* legitur, non ad canones Sardicenſis Concilii ſpectare, ſed ad epiſtolam Julio P. miſſam. Hiſce cavillationibus oppono clariſſima illa primorum quatuor ſeculorum jam antea a me allata docu-

*) Part. 3, Diſſert. 7, Cap. 7. **) Epiſt. 36.
***) Epiſt. ad Victricium Rothomagenſ.

Digitized by Google

documenta, unde falſum aperte eſt primum fuiſſe Innocentium, qui res graviores ad ſe referri juſſerit, cum jam antea ad eccleſiaſticum canonem, & conſuetudinem Julius P. provocarit; niſi forte inaniter de ſolo nomine *cauſſæ majoris* velis vitilitigare. Nunc ad ſingula: primum, ſcilicet antiquam fuiſſe conſuetudinem ad Papam referendi, ex primis quatuor ſeculis jam demonſtratum eſt. Etſi autem hæc duo verba *vetus conſuetudo* in duobus impreſſis deſint, apud Harduinum tamen, Antonium, Auguſtinum, Conſtantinum, & in probatiſſimis ab eodem laudatis Manuſcriptis proſtant. Ad alterum: etiamnum ſi qua in Diœceſi cauſſa gravior e. g. fidei fuerit orta, poſſunt Epiſcopi unacum ſuo judicio præliminari rem ipſam ad ſupremum Pontificem referre: unde ſententia finalis expectanda eſt. Dein vero hic obſervari meretur, Innocentium in cit epiſt. cap. 2 inter cauſſas majores, & minores clare diſtinguere: de his enim dixit: "Cauſſas vel „contentiones inter Clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris „a congregatis ejusdem Provinciæ Epiſcopis terminari debere *): nec alicui liceat relictis his Sacerdotibus ad alias convolare Provincias, *ſine præ- „judicio tamen romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cu- „ſtodiri.*" De cauſſis vero majoribus ſimpliciter jubet Pontifex, eas, etiam poſt epiſcopale judicium eſſe *referendas*. Ad ultimum: contra, ac Conſtantio placet, cujus criſis, haud raro temeraria, merito hic ſuſpecta eſt, Sirmondus, Gerbais, d'Aquirre, Ballerinii, aliique, & ante hos omnes Sozomenus l. c. hoc ſtatutum ad Concilium Nicænum referunt. At, quidquid ſit, ſatis eſt Concilium ſaltem Sardicenſe ita ſtatuiſſe.

§. 9.

Poſt Innocentium I Febronius Leonem M. nominat, ſed & intermedii memorandi ſunt. Zoſimus omnia Provinciarum Galliæ negotia Metropolitano Arelatenſi committit **), *niſi magnitudo cauſſæ etiam noſtrum requirat examen*. Bonifacius I innuit Perigenem Corinthiorum Epiſcopum non potuiſſe fieri, *niſi eorum conſenſu qui illic Autboritatem Sedis apoſtolicæ præſentabant* ***). Summe memorabilis eſt Cyrilli Alexandrini Patriarchæ ad Cœleſtinum P. in cauſſa Neſtorii epiſtola, quæ ita incipit: „Si ſilere, & non Pietatem tuam *de omnibus, quæ moventur, litteris cer- „tiorem facere* citra culpam, ac ſiniſtræ ſuſpicionis metum liceret, præſertim „in rebus adeo neceſſariis, ubi etiam recta fides a nonnullis depravata periclitatur;

*) Animadvertat Lector, quæ initio ſeculi V diſciplina fuerit, ubi Epiſcoporum provincialis Synodus, cujus Poteſtas adeo noſtris diebus amplificatur, ſolum *cauſſas minores* terminare potuit, & hoc tantum, niſi pars una ad apoſtolicam ſedem ſe verterit.

) Epiſt. 1 ad Epiſc. Galliæ. *) Epiſt. ad Rufum.

„riclitatur; in memetipſo dicerem, bonum & periculi expers eſt ſilentium,
„præſtatque quietam vitam agere, quam turbatam. Sed *quoniam Deus hisce*
„*in rebus vigilantiam a nobis exigit*, & *longa Eccleſiarum conſuetudo ſua-*
„*det*, ut hujusmodi res cum Sanctitate tua communicetur, ſcribo plane ne-
„ceſſitate adactus." In eadem, graviori quippe, Neſtorii cauſſa, quantum
pontificia Authoritas neceſſaria fuerit viſa, vel ea ipſa orientalium Epiſco-
porum ſchiſmaticorum epiſtola ad Xiſtum III apparet, in qua Antiocheni
Patriarchæ ad Concilium Epheſinum acceſſionem Papæ referre feſtinant.
Qua de re vel Couſtantii annotationem placuit exſcribere: „Hic notatu
„digna videtur ea in Neſtorii tota cauſſa partium feſtinatio, qua Neſtorius
„ipſe Cyrillus (Alexandrinus) Joannes (Antiochenus) ac ſocii, Eutherius
„(Thyanenſis) ac reliqui Epiſcopi conſentientes (omnes Orientales) hoc eſt,
„Hæretici, Catholici, Schiſmatici, ſeu a ſchiſmate diſcedentes, ſeu in eo-
„dem pertinaces apoſtolicæ Sedis Præſulem antevenire, ac ſibi conciliare
„contenderunt" *)

§. 10.

Nunc demum ſeries S. Leonem tangit, qui in epiſt. 12 ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, ſuum in Illyrico Vicarium ſibi reſervat *majora negotia*, & *difficiliores cauſſarum exitus*. Non hic agi de pontificio univerſali, ſed ſolum de jure patriarchali contendit Febronius. Falſitatis autem ex allatis hactenus documentis abunde convincitur. Jam enim primis ſeculis ex ſingulis Orientis Provinciis, non ſolum ex Occidentalibus, aut Illyrico res graviores ad romanum Pontificem referebantur. Synodus Sardicenſis expreſſe ſtatuit, ut de ſingulis *quibusque* Provinciis ad Caput, ſeu *Petri Sedem* Domini Sacerdotes referant. Julius Orientalibus exprobrat, quod contra Canonem, & conſuetudinem ad romanam Eccleſiam non ſcripſerint. Innocentius pluribus in epiſtolis diſerte exprimit, majores cauſſas *ad apoſtolicam ſuam Sedem, ad Petrum*, id eſt, *ſui Nominis*, & *honoris Authorem, ad Caput*, & *apicem Epiſcopatus* referri debere. Os vero adverſariis facile obſtruit Bonifacius I **) data opera jam ſeculo V hodierna figmenta confutans: „Sed
„quia res poſtulat, approbandum documentis eſt, maximas Orientalium Ec-
„cleſias in magnis negotiis, in quibus opus eſſet diſceptatione majore, Se-
„dem ſemper conſuluiſſe romanam, & quoties uſus exegit, ejus auxilium
„poſtulaſſe. S. memoriæ Athanaſius, & Petrus Alexandrinæ Sacerdotes Eccle-
„ſiæ hujus Sedis auxilium poſtularunt. Cum Antiochena Eccleſia per multum
„temporis laboraret, ita ut fierent illinc propter hoc ipſum ſæpe diſcurſus, primo

*) Apud Couſtant. Xiſti epiſt. 4, not. a.

**) Epiſt. 15 ad Rufum, alioſque.

Digitized by Google

„mo ſub Meletio, poſtea ſub Flaviano apoſtolicam Sedem manifeſtum eſt eſſe „conſultam. Ad cujus Authoritatem poſt multa, quæ ab Eccleſia noſtra ge-„ſta ſunt, nemini dubium eſt, Flavianum communionis gratiam recepiſſe, „qua in perpetuum caruerat, niſi hinc ſuper hoc ſcripta manaſſent. Cle-„mentiſſimæ recordationis Princeps Theodoſius Nectarii ordinationem prop-„terea, quia in noſtra notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, „miſſis e latere ſuo aulicis cum Epiſcopis Formatam huic a Sede romana „dirigi *regulariter* depopoſcit, quæ ejus Sacerdotium roboraret. Ante bre-„ve tempus, id eſt, ſub Prædeceſſore meo beat. record. Innocentio orien-„talium Eccleſiarum Pontifices, dolentes ſe a B. Petri communione ſejunc-„tos per Legatos pacem, ſicut Charitas Veſtra retinet, popoſcerunt. — „Igitur ad probandum veritatem arbitror, quæ diximus, Fratres chariſſi-„mi, exempla ſufficere, quamvis plura veſtri notione teneantur.“ Quantum in toto orbe Chriſtiano ſupra primas etiam Orientis Eccleſias ſemper Romanæ Authoritas prævaluerit, ex eadem epiſtola diſcimus, ubi paulo ſuperius Eccleſiarum ordo deſcribitur: „Quoniam locus exigit, ſi placet „recenſere canonum ſanctiones, reperietis, quæ ſi poſt *Eccleſiam romanam* „ſecunda ſedes, quæve ſit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo „diſtinctus, ut ſe Eccleſiarum Pontifices ceterarum *ſub uno tamen*, *eodem-„que Sacerdotio* habere cognoſcant, quibus Charitate ſervata propter eccleſia-„ſticam diſciplinam debeant eſſe ſubjecti. Et quidem hæc ſententia canonum „a vetuſtate duravit, & nunc usque Chriſto Domino noſtro favente perdu-„rat: *Nemo umquam apoſtolico Culmini, de cujus judicio non licet retractari, „manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluit „judicari.* Servant Eccleſiæ magnæ prædictæ per Canones dignitates, Alex-„andrina, & Antiochena, habentes eccleſiaſtici juris notitiam. Servant, in-„quam, ſtatuta Majorum, in omnibus deferentes gratiæ, quam ſe in Domino, „qui pax noſtra eſt, *nobis* debere cognoſcunt.“ Hoc licet prolixius Bonifacii I teſtimonium ideo attuli, quia plane hodiernos romanæ Sedis adverſarios cogit obmuteſcere.

§. 11.

Quemadmodum ergo Anteceſſores, ita S. Leo ſuo per Illyricum Vicario, Theſſalonicenſi Epiſcopo quædam Patriarchatus jura conceſſit, ſed cauſſas majores *generaliter* in quibuscumque Provinciis vi canonum eccleſiaſticorum tamquam totius Eccleſiæ Caput, & Petri ſucceſſor ſibi tenuit reſervatas. Quid eſt, o Febroniani! quod veſtra adverſus apoſtolicam Sedem iniquitas ita vobis mentiatur, ut Patriarchæ particulari concedere velitis poteſtatem, quam univerſali Eccleſiæ Capiti negatis *cauſſas majores reſervandi*? An illi Patriarchæ tantum humana voluntate exiſtentes majorem habuerint in Eccle-

ſia Authoritatem, quam Petrus, ejusque ſucceſſores ab ipſo Chriſto, Dei Filio inſtituti? Num forte Epiſcoporum, Metropolitanorum, & Synodorum provincialium jura non læduntur patriarchali, læduntur vero papali reſervatione? Fingite hoc etiam vobis, quod numquam mundo perſuadebitis; quid vero lucramini? Nonne romanus Pontifex veſter, quippe totius Occidentis Patriarcha ex antiquiſſimo jure, quo appellatis, eandem Authoritatem in Archi- & Epiſcopos Germaniæ poſſidebit, quam Petri ſucceſſori, & Chriſti Vicario contra antiquæ fidei veritatem extrema pertinacia abnegare contenditis??

§. 12.

Leonis M. ſucceſſores æque apoſtolico jure majores cauſſas ad ſe pertinere declararunt; quorum, ut brevis ſim, duos tantum nominabo. Hilarius ad Metropolitanos Galliæ ſcribit *): „In dirimendis ſane gravioribus cauſſis, „& quæ illic non potuerint terminari, *apoſtolicæ Sedis ſententia* conſulatur." Vigilius autem **): „Si qua vero certamina aut de Religione — aut de quo„libet negotio, quod ibi pro ſui magnitudine terminari non poſſit, evenerint, „totius veritatis indagine diligenti ratione diſcuſſa, rationis ad nos ſeriem „deſtinantes apoſtolicæ Sedi terminanda ſervate." Item etiam ***): „Ad Ec„cleſiam romanam tam ſumma Epiſcoporum negotia, & judicia, atque quere„læ, quam & majores Eccleſiarum quæſtiones *quaſi ad Caput* ſemper referen„dæ ſunt. — Cunctarum majorum negotia cauſſarum eidem S. Sedi reſerva„ta eſſe liquet." Tam manifeſta diſciplinæ primorum ſeculorum monumenta dum ante oculos videmus; quis non calumniam agnoſcat ****): „Ex his, & „ſimilibus Iſidorus Mercator occaſionem arripuit fingendi Decretales, in qui„bus reſervationem majorum cauſſarum *favore Sedis apoſtolicæ* antiquiſſimo„rum temporum diſciplinæ ſimpliciter adſcribit, quæ deinde etiam in De„cretales Gregorii IX influxit." Injurioſa ſummo Sacerdoti fabula!

§. 13.

Saltem, inquies, priſtino ævo rariores fuerant ad Papam recurſus: poſt ſecula primum relationes & devolutiones urgebantur. Ita fuerit, ſi velis; eoquod rariores tunc cauſſæ fuerint, ubi ſanctiores adhuc in perſecutionibus Epiſcopi, Presbyteri, & Laici. Cum autem poſtea ab officio ſæpius deſciſcerent homines, cum hæreſes, quarum non raro ſummi Præſules Authores, vel Fautores fuerant, invaleſcerent, cum Metropolitani in ſubditos Epiſcopos injuſtam ſæpe violentiam exercerent, cum Epiſcopi ad Cæ-

ſaris

*) Epiſt. 8. **) Epiſt. 7. ***) Epiſt. ad Exter.
****) De Stat. Eccleſ. C. 4, §. 1.

ſaris gratiam magis, quam Eccleſiæ canones attenderent, uti plena eſt hiſtoria hiſce exemplis; qualis quæſo rerum facies fuiſſet, niſi ſuam Authoritatem Pontifices Maximi interpoſuiſſent, inviolatam fidem conſervaſſent, errores ſuppreſſiſſent, irregulariter facta emendaſſent, aut facienda impediiſſent? Itaque neceſſitas fecit, ut pro ſuo univerſali paſcendi munere in Provinciis remotioribus Vicarios conſtituerent, ſed & cauſſas graviores ad ſeipſos traherent, ſibique reſervatas concluderent. En cauſſas antiquiſſimorum Eccleſiæ canonum, quæ vel ipſa rei convenientia, vel temporum neceſſitas fuerant, non Pontificum ſuperba uſurpatio, non falſæ quædam Decretales. Hæc generaliter pro foro externo de cauſſis majoribus dicta ſunto. Eodem apoſtolico jure, eoque in omnes animas illimitato, & immediato ſummi Pontifices ſubditorum ſuorum crimina graviora pro foro interno ſibi reſervarunt, prout expreſſe docet Concilium Tridentinum *).

§. 14.

Nunc in ſpecie de tribus dumtaxat gravioribus cauſſis, hodie quam maxime oppugnationi expoſitis; primum de cauſſis fidei, deinde Epiſcoporum confirmatione, demum jure diſpenſandi in univerſali lege eccleſiaſtica. Atque in hunc præcipue finem, ut unitas fidei conſervetur, a Chriſto Primatum fuiſſe Petro, ejusque ſucceſſoribus datum, una eſt omnium Catholicorum ſententia, nec Febronio excepto **), qui fundamentum hujus Primatus eſſe bonum unitatis expreſſe docet, *bonum*, *ſine quo impoſſibile eſt Eccleſiam ſubſiſtere*, *aut perdurare*. Hinc pro principio, de quo ſcholæ catholicæ omnes conſentiunt, ſtatuit *omnia illa*, *& ſola primogenia eſſe*, *& eſſentialia jura Primatus*, *ſine quibus unitas non poteſt ſervari*, & addit: „Qui ad genuinum ſenſum S. Scripturæ, traditionis, ac diſciplinæ primo„rum ſeculorum ſapiunt, illi norunt quod, cum romanus Pontifex inter „Prælatos, & Antiſtites ſit primus, ſupremo ejus muneri annexa eſſe de„beat ſollicitudo, ut per univerſum orbem obſerventur canones, ut fides „illibata cuſtodiatur, ut iidem ritus ſubſtantiales in miniſtrandis Sa„cramentis adhibeantur, ut denique unam omnes, eamque ſanam doctrinam „moralem profiteantur.“ Hinc demum ipſe docet, *ea*, *quæ ad Eccleſiæ ſtatum attinent*, *ubivis gerantur*, *ad romanum Pontificem referenda eſſe*. Atqui Febronius porro ipſus fatetur ***): „Cauſſas fidei *graviores* ejusmo„di eſſe, quæ ad ſtatum univerſalis Eccleſiæ attinere poſſunt, quo titulo „ſummi Pontificis eſt curare, nequid definiatur, quod in eumdem ſtatum „communem, ſeu publicum impingat.“ En ergo non meam, ſed juſti-

 ſſimam

*) Seſſ. 14, C. 7. **) De Stat. Eccleſ. C. 2, §§. 2, 4, 6.
***) Cap. 4, §. 2, n. 10.

ſimam Febronii concluſionem: *Graviores fidei quæſtiones ad romanum Pontificem referri oportet.* Quid cogitas jam ſincere Lector! ubi eumdem vides Febronium, quod una manu modo videbatur firmiſſime ædificare, altera ſtudioſe deſtruentem; dicentemque, *cauſſæ fidei non ſunt reſervatum ſummi Pontificis*, immo tamquam deceptionem Iſidorianam S. Scripturæ, toti antiquitati, Conciliorum definitionibus & obſervantiæ univerſalis Eccleſiæ contrariam in Innocentio III reprobantem, quod hic Pontifex interrogatus ſuper quæſtione de Baptiſmo parvulorum in ſuo Reſponſo ad Archiepiſcopum Arelatenſem quaſi indubitatum præmiſerit, *majores Eccleſiæ cauſſas præſertim articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas eſſe*? Hæc dum legis, quid cogitas? fierine poteſt, ut exeunte ſeculo XVIII liber tam manifeſtæ falſitatis convictus decipiat?

§. 15.

Sed Febronii, nec non & Zalweinii *) argutias diſcutiamus. Singuli Apoſtoli, æque Paulus, & Joannes, ſicut Petrus errores damnarunt. Idem jus conſervarunt Epiſcopi, Apoſtolorum Succeſſores, æque ac illi a Spiritu S. poſiti, ut regerent Eccleſiam Dei, probeque noſcentes ad officium paſtoralis ſollicitudinis pertinere de fidei dogmatibus cognoſcere, & judicare erroresque condemnare. Hinc ab initio Eccleſiæ Epiſcopi leguntur in naſcentes hæreſes ſollicite inquiſiviſſe, ſuaque Authoritate illas confixiſſe. Imo nullam hæreſin primorum ſeculorum per Concilia generalia legimus damnatam, ſed per Epiſcopos aut particularibus decretis, aut ſynodalibus Concluſis. Reſpondeo, ut breviter ea, quæ de Apoſtolis, expediam, jam ſæpius a me obſervatum fuiſſe, quam falſum ſit præjudicium, Epiſcopos in jura Apoſtolorum *ſingularia* ſucceſſiſſe. Plane ad officium paſtoralis ſollicitudinis pertinet de rebus fidei cognoſcere, & judicare, ſed non æquali jure omnium Paſtorum; ſcilicet prout quis ſupremus judex non eſt, ita neque ſupremum ejus judicium. Secus quilibet *curatus* Sacerdos paſcere Eccleſiam Dei poſitus cognoſcere res fidei poſſet, dijudicare, & condemnare citra Epiſcopi ſuperius judicium. Ab initio per tria ſecula ſine generali Synodo fuiſſe hæreſes oppreſſas certum eſt. Sed id per ſolos Epiſcopos ſine papali Authoritate factum fuiſſe unde tu probas? Nonne jam ſatis demonſtravimus, quam fideliter a ſingulis Eccleſiis, præcipue in fidei cauſſis ad apoſtolicam Sedem relationes miſſæ fuerint? uti primo jam ſeculo Corinthii fecerant excitato apud ſe ſchiſmate, nedum hæreſi. Si primitus etiam, & per ſe ſolos judicia formarunt Epiſcopi, nonne eadem ad Papam miſerant, ut rata haberentur? — uti Antiochena Synodus, quæ Paulum

*) Tom. 1, Quæſt. 4, C. 3, . 4.

Digitized by Google

Paulum Samoſatenum damnaverat, epiſtolam ſynodicam dedit ad Dionyſium romanum Pontificem. Ceterum bene diſtinguendum eſt inter ipſas fidei cauſſas: aliæ enim manifeſtæ ſunt, jamque damnatæ hæreſes; aliæ difficilioris ſunt indaginis, & cum periculo conjunctæ, ne judicium a veritate aberret. Has, non illas Pontifici Maximo eſſe reſervatas cum Gerſonio contendimus, qua in re ipſos recentiores Galliæ Præſules nobis conſentientes habemus, quia 1653 ad Innocentium X ſcripſerunt: *Majores cauſſas ad Sedem apoſtolicam referri, ſolemnis Eccleſiæ mos eſt, quem fides Petri numquam deficiens perpetuo retineri pro jure ſuo poſtulat.*

§. 16.

Quod ad ſingulares quasdam Synodos attinet a Febronio allatas e. g. Chalcedonenſem, in cujus actis legitur, Eutychen *regulariter* a proprio damnatum Epiſcopo: item errores Gotheſchalci Monachii in Concilio Moguntino a. 848, hæreſin Berengarii in Synodo Turonenſi a. 1055, novitates Abælardi in Senonenſi Concilio a. 1140, demum Lutheri errores primitus a variis Epiſcopis, & particularibus Conciliis fuiſſe damnatos; hæc quidem exempla inconſulto, & contra ſe ipſum a Febronio ſunt allata; probant enim poſt Iſidorianas etiam Decretales Epiſcopis ſuum legitimum jusupereſſe quæſtiones fidei examinandi, imo & errores, ſi manifeſti fuerint, damnandi, tantum non ultimata, ſeu finali ſententia absque romani Pontificis Authoritate: probant, inquam, & evincunt calumniam eſſe, quæ hodie a multis ſpargitur, per pontificia reſervata Epiſcopos nativo ſuo jure privari, & a cognitione rerum ad fidem pertinentium excludi. Ceterum quæ ex primæva jam antiquitate adducuntur exempla, pro nobis, ſtant potius, quam contra nos. Ita ſi contra Eutychen judicium Flaviani proprii Epiſcopi ſufficiens pro toto orbe fuiſſet; ad quid amplius implorata fuit ſummæ Sedis Authoritas, qua potiſſimum in generali Concilio Chalcedonenſi Eutychiana hæreſis configebatur? Gangrenſis Synodus pariter inepte a Febronio affertur: nam ſub Oſii Cordubenſis, tamquam pontificii Legati præſidio habita fuit, & Concilii Milevitani canones ab Innocentio I approbati fuerunt. Plura vero, & antiquiſſima proſtant documenta, per ſolos Pontifices nulla præeunte Synodo hæreſes fuiſſe damnatas. Sic Cerdonis, Valentini, Theodati, Origenis, Apollinaris, Joviniani, Vigilantii, aliorumque errores non exſpectato plurimum Epiſcoporum judicio irrevocabiliter ab apoſtolica Sede damnati fuerunt. Demum cum magnis buccis antiqua provincialium Synodorum potentia a plerisque ſcholaſticorum hodie ſoleat prædicari, æquum eſt illos ad teſtem ſibi non inviſum; ſed potius acceptum ablegare. Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, nequaquam Pontificum adulator ita ſcribit *): „Quibus omnibus de,

*) De divortio Lotharii.

„monſtratur, quia Synodus Comprovincialium epiſcopalia judicia, genera„lis autem Synodus Comprovincialium dijudicationes, ſive diſſenſiones vel „probet, vel corrigat. . Apoſtolica vero Sedes & Comprovincialium & Ge„neralium retractet, refricet, & confirmet judicia, ſicut epiſtola Leonis, „atque Gelaſii, ceterorumque Pontificum romanorum, & Sardicenſis Syno„dus evidenter demonſtrant." Itaque non provincialium tantnm, ſed univerſalium quoque Conciliorum decreta ſummi Pontificis Authoritate rejici poterant, vel confirmari, quemadmodum Concilia Ariminenſe, & Epheſinum II conſtat fuiſſe a Pontifice rejecta.

§. 17.

Secundo loco inter cauſſas majores Pontifici reſervatas veniunt Epiſcoporum cauſſæ, quarum præcipua illorum acceptatio, ſeu ratihabitio, vel conſueto jam nomine *confirmatio*. Equidem, ut quis *valide* ſit Epiſcopus, nihil præter aſſumtionem ſive electionem ſuam, & ſacramentalem conſecrationem requiritur; ut vero id *licite* fiat, hoc eſt, ſecundum divinæ, imo & naturalis legis regulam, neceſſe eſt dignum, idoneumque elegi Paſtorem, adeoque examine opus eſt de Neoelecti ad tantum officium dignitate & idoneitate. Hoc igitur judicio probari idem eſt, ac in Epiſcopum confirmari. Ad quem vero hoc judicium nativo, & originario jure pertineat, idipſum eſt, de quo acriter noſtris diebus diſputatur. Cum ergo de nativo jure & originario agitur, in ipſam rei naturam, divinamque eccleſiaſtici regiminis inſtitutionem ante omnia indagandum exiſtimo. Certe ea res, ut Eccleſiis boni Paſtores præficiantur, ad univerſalem rei chriſtianæ Statuum maximopere pertinet, eoquod totius ovilis ſalus quam maxime a Paſtoribus dependeat. Conſentientem autem mecum vel ipſum habeo Febronium, ea, quæ ad ſtatum Eccleſiæ univerſalis pertinent, eſſentiali ac primario jure illius poteſtati eſſe ſubdita, cui cura, & ſollicitudo univerſalis a Chriſto fuit impoſita, cui claves regni cœlorum, quod eſt Eccleſia, traditæ, cui omnes oves commiſſæ, & qui conſtitutus eſt Paſtor Paſtorum: hunc non alium eſſe, niſi Petrum, ejusque in Pontificatu Succeſſores inficias ire nemo Catholicorum poteſt. Edic, quæſo, nonne ad eum, cui regimen totius Reipublicæ incumbit, jus pertinet pro totius communitatis bono ubivis idoneos judices, ſeu Præpoſitos conſtituendi?

§. 18.

Ab initio autem, inquies, non fuit ſic, ſed Paulus ſine requiſito antea Petri conſenſu Titum in Epiſcopum ordinavit, eidemque alios ordinandi facultatem reliquit. Primis quoque ſeculis poſt Epiſcopi obitum

Clerus unacum populo convenit, qui a ſe electum, bonisque teſtimoniis probatum advocatis quibusdam e vicinia Epiſcopis ordinandum tradiderunt: ſucceſſu vero temporis Eccleſiarum conſenſu jus ordinandi ad Metropolitanum fuit devolutum, & hoc antiquiſſimis Conciliis, uti Nicæno, & Laodicæno ſtabilitum. Nulla ergo antiquitus pontificia confirmatio requirebatur, ſed ejus erat confirmare, cujus & ordinare. Diſce, obſecro, attenta mente ipſum jus ab actuali ejusdem exercitio diſtinguere, aut etiam ſeparare. Tempora diſtingue, & jura facile concordabis. Cogita nondum integre natam, ſed naſcentem inter perſecutiones Eccleſiam, ubi Apoſtolis per provincias diſperſis frequens ad Petrum recurſus nec poſſibilis fuerat, nec etiam neceſſarius, quippe qui *ſingulatim* privilegio Succeſſoribus haud communicabili a Spiritu S. regebantur. Eadem fere tribus primis Eccleſiæ ſeculis ratio perduravit, dum ex una parte tam crebro ad Petri Sedem recurrendi facultas non erat, ſed neque ex altera parte neceſſitas, quippe in primo illorum temporum ſancto fervore, ſtrictoque Perſecutorum gladio nec indigni Epiſcopatus ambiebant, nec fidelis plebs, Clerusque alios, quam dignos præſentabant. Hinc ab initio ſine fixa regula *proximi quique* Epiſcopi ad ordinandum Electum conveniebant teſte S. Cypriano *). Sed prout natura infirmi ſunt homines, paulo poſt abuſus irrepſerant *Epiſcopis certatim accurrentibus ad ordinandos etiam indignos*: id quod ex teſtimonio Siricii cognoſcitur **). Atque hæc cauſſa fuerit, cum juſtis lex non ſit poſita, cur primum Nicæna Synodus can 4 ſtatuerit confirmationem Electi a Metropolitano fieri debere.

§. 19.

Duo hic de Metropolitanis ſingulariter conſideranda ſunt. Primum non jure divino Epiſcoporum confirmationem ad illos pertinuiſſe, quippe quorum exiſtentia tantum ex jure humano eſt, ſed ita, ut veluti quidam rivulus ſit a natali univerſalis Petri Primatus fonte derivatus, prout Africani Patres loquuntur. Nam a primæva jam antiquitate ſumma ſupra alias, etiam apoſtolicas Eccleſias poſt Romanam Authoritas fuit Alexandrinæ, & Antiochenæ, quarum hæc ab ipſo Petro, illa ab ejusdem delegato diſcipulo Marco ſuam traxerat originem. Etſi aliæ quoque Eccleſiæ ſuper Comprovinciales ſuas habuerint Authoritatem ab ipſis Apoſtolis acceptam; tamen duæ illæ Orientis ſemper primariæ fuerant: quodque Apoſtoli quarumdam Provinciarum particularium Epiſcopos *primarios* conſtituerunt, uti Paulus Titum ſupra Eccleſias Inſulæ Cretæ, Timotheum vero ſupra Aſianos; idipſum ad univerſalis Primatus, cui ſe quoque a Chriſto ſub-

*) Epiſt 4. **) Ad Anyſ. Archiep. Theſſal. epiſt. 4.

Digitized by Google

ſubordinatos noverant, imitationem fecerunt, de ſubordinationis ad bonum regimen utilitate, imo & neceſſitate convicti. Huc ſpectant ſumme memorabilia doctiſs. Thomaſſini verba *): „Iterum, iterumque inculcandum „illud eſt, Epiſcoporum imperium ſuper alios, Apoſtolorum æque Succeſ„ſores, proficiſci ab ejus prærogativæ imitatione, & expreſſione, qua Chri„ſtus Petrum decoravit, extulitque ſupra alios Apoſtolos.“ Unde merito colligas, numquam futurum fuiſſe, ut Archiepiſcopi conſtituerentur, ſi unus totius Eccleſiæ Primas ſuffeciſſet ad omnia per ſeipſum *immediate* in diſſitis adeo regionibus ordinandum. Hinc vel ipſa rerum naturali conditione ſic exigente factum, ut univerſalis illius poteſtas originaliter ex uno fonte defluens (verba ſunt S. Cypriani) in plures veluti rivos diſpartiretur, ſalva ſemper penes unum totius Poteſtatis plenitudine, uti manifeſte ex eo eluceſcit, quod jure electiones confirmandi per Concilii Nicæni decreta in Metropolitanos translato, nihilominus ubi ſingularis ratio id poſtulabat, non raro ſummi Pontifices pro ſua ſuprema, & illimitata jurisdictione cauſſas electionum epiſcopalium ex Oriente ad ſe vocarunt, electosque ſua ſententia aut confirmarunt, aut rejecerunt: plena eſt hisce exemplis vetus hiſtoria.

§. 20.

Deinde cave tibi, ne more hodiernorum Canoniſtarum ſat vulgari decipiaris decreta antiquorum Conciliorum pro confirmationis jure de quibuscumque Metropolitanis *promiſcue* intelligendo: duplicis enim generis inde ab initio Metropolitani fuerant, id quod diſcimus ex teſtimoniis S. Hieronymi **), & Innocentii I ***). Alii tantum unicæ *Provinciæ*, alii integræ *Diœceſi*, ut dicebatur, hoc eſt, pluribus ſimul Provinciis præerant, habebantque ſub ſe Metropolitanos, quorum intuitu etiam Patriarchæ, ſeu Exarchi, ſeu Primates vocabantur. Hisce primi ordinis Metropolitanis, non æque aliis ſecundi ordinis Concilia jus tribuere inferiores Epiſcopos confirmandi, prout expreſſe Concilii Nicæni explicationem ab Innocentio P. habemus, qui Patriarcham Antiochenum admonet, ut Metropolitanos (minores) ipſe ordinet, reliquos ſibi ſubjectos Epiſcopos, antequam ordinentur, *ſuo permiſſu* confirmet. En verba: „Revolventes itaque Authoritatem Nicænæ Synodi, quæ una omnium „per orbem terrarum explicat mentem Sacerdotum, quæ cenſuit de „Antiochena Eccleſia cunctis fidelibus, ne dixerim Sacerdotibus, eſſe „neceſſarium cuſtodire, qua ſuper *Diœceſin* ſuam, non ſuper aliquam „*Provinciam* prædictam Eccleſiam recognoſcimus conſtitutam: unde adver„timus non tam pro civitatis magnificentia hoc eidem attributum, quam quod

*) Vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. Tom. 2, C. 8. §. 7.

**) Ad Pamach.

***) Ad Alexand. Antiochen. Patriarch. epiſt. 18.

Digitized by Google

„quod prima primi Apoſtoli Sedes eſſe monſtretur, ubi & nomen accepit Religio chriſtiana, & quæ conventum Apoſtolorum apud ſe fieri celeberrimum meruit, quæque urbis Romæ Sedi non cederet, niſi quod „illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum apud ſe, conſummatumque gauderet. Frater cariſſime! ſicut Metropolitanos Authoritate ordinas ſingulari, „ſic & ceteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tua ſinas Epiſcopos procreari. In quibus hunc modum recte ſervabis, ut longe poſitos litteris „datis ordinari cenſeas ab his, qui nunc eos ſuo tantum ordinant arbitratu: vicinos autem ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas „pervenire. Quorum enim te maxima expectat cura, præcipue tuum debent mereri judicium.“ Sane is eſt ſenſus ſexti canonis Nicæni, ubi contra violentiam Meletii Lycopolis Archiepiſcopi *), qui multis urbibus Epiſcopos contra fas ordinare præſumſerat, jura Metropolitani, ſeu Patriarchæ Alexandrini, cui decem ad minus Archiepiſcopi ſuberant, ex antiqua romani Patriarchatus conſuetudine vindicantur, *ut præter Metropolitani ſententiam* Epiſcopi non fierent. Idem confirmationis jus non penes quoscunque Archiepiſcopos, ſeu Metropolitanos, ſed tantum Primates fuiſſe amplius ex S. Leone intelligimus, qui ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem in Provinciis Græciæ a ſe conſtitutum Primatem ita ſcripſit **): „De „Perſona conſecrandi Epiſcopi de Cleri, plebisque conſenſu Metropolitanus „Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in Provincia bene placuit, ſcire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque firmet „Authoritas.“ His certe genuinis antiquorum temporum monumentis, queis conſtat ad jura patriarchalia jam tum ſpectaſſe Epiſcoporum confirmationem, quaſi fulmine proſtrati jacent hodierni romæ Sedis impugnatores.

§. 21.

Nec obſtat, quod ſummi Pontifices, uti Siricius, Innocentius, Bonifacius, Leo, aliique ſingulis Metropolitanis jus adprobandi neoelectos Epiſcopos attribuerint: id enim ſine cujuscumque Primatis præjudicio de illis Metropolitanis intelligendum, qui nulli *Primario* fuerint ſubordinati, vel novum erat pontificiæ indulgentiæ ſuis ex juribus conceſſum Privilegium. Fruſtra aquas turbare nititur Barthelius ***), dum contra claram veritatem aſſerit, nulla antiquitus extare veſtigia hodiernæ diſciplinæ omnium fere Epiſcoporum confirmationes Papæ reſervantis: ab ævo enim antiquiſſimo Nicæni Concilii idem hoc jus ad romanum Pontificem, tamquam totius Occidentis

*) Teſte S. Epiphanio hæreſ. 68 & 69. **) Epiſt. 14.
***) Opuſc. jurid. Tom. 2, Opuſc. 4, p. 460.

dentis Patriarcham pertinuit. Majori forſitan attentione dignum foret, quod idem Doctor paulo ante locum citatum propoſuit, antiquiſſimis Patriarchis *unacum Archiepiſcopis* jus confirmandi ſuarum Provinciarum Præſules aſſertum fuiſſe. Sed unde id probat? Si quem forte Archiepiſcopus probaverit, num rejicere Patriarcha non poterat, ſive alternatim? Hoc quidem verum, pro more illorum temporum ad electionem novi Præſulis Archiepiſcopum veniſſe: ſed alia quæſtio de electione, alia de confirmatione eſt. Utinam ille priſtinus eligendi modus reſtitueretur, ubi Archiepiſcopo præſente & populus fidelis ſuam vocem, plerumque Dei vocem habuit, & totus Clerus, non ſoli cathedrales Canonici, & hi tantum ex nobili ſtemmate progeniti! utinam Concilii Baſileenſis apud nos decreta valerent de Doctoribus, unacum Nobilibus ad Capitula admittendis! Cur vero in Germania Archiepiſcopi ſint ab electione excluſi, cauſſa non exigua videtur fuiſſe magna ipſorum comitatus pompa, quæ nimiis ſumtibus ſtetiſſet. Tempora mutantur, & hinc politia eccleſiaſtica, quodque magis dolendum, & mores.

§. 22.

Tandem ut ad origenem noſtræ in Germania diſciplinæ redeamus, jam ab initio apoſtolica Petri Authoritate Epiſcopi ordinabantur, prout Papa Gregorius III S. Bonifacio expreſſis verbis mandaverat: *Noſtræ Authoritatis vices gerens Epiſcopos ordina* *). Zacharias P. ſimiliter in epiſtola ad Germaniæ Epiſcopos idem hoc jus non Archiepiſcopis concedit, ſed ſoli Papæ Vicario, ſeu ſtabili ſuo Legato reſervat **). Vulgaris eſt opinio, etiam primæ apud hodiernos notæ Canoniſtarum e. g. Fleurii, Barthelii, Thomaſſini, ad patriarchalia, ſeu primatialia jura ſpectaſſe Epiſcopos, & Archiepiſcopos confirmare. Hæc potiſſimum cauſſa fuerit, cur Germaniæ Archiepiſcopi numquam firmum jus ſibi acquiſiverint confirmationem ſuis Suffraganeis dandi. Conſtat præterea ex hiſtoria medii ævi, quod plurimum tunc graſſante Simonia Archiepiſcopi Imperio magis, quam Eccleſiæ devincti vel ipſa ſua circa electiones jura minus, aut nihil curaverint, eoque ipſo neceſſitatem Electos adprobandi in manibus pontificiis repoſuerint. Videtur demum & hæc alia fuiſſe cauſſa, quod Imperii magni Principes, & eccleſiaſtici Præſules honori ſibi duxerint potius a ſummo Pontifice, cujus tunc multo major æſtimatio, atque in ipſo Imperio Authoritas fuerat, quam a Metropolitano confirmari. Ut hanc rem paucis finiam, Epiſcoporum confirmatio romanæ Sedi Concordatis Germaniæ Aſchaffenburgenſibus reſervata eſt. Quam benevole autem, & ſuaviter ſummi Pontifices hoc ſuo jure ſint uſi, ex Barthelio ſane partialitatis haud ſuſpecto diſci-

*) Fleur. ad a. 739. **) Ibid. ad a. 742.

diſcimus *): „Saltem inde a longiſſimis retro temporibus, & forſan ab „ævo Adriani VI exemplum infractæ ejusmodi electionis nullum produci „poterit. Quin nec illud ſilentio prætereundum, frequentiſſima potius ma- „joris, ac indebiti prorſus favoris Capitulis Germaniæ impenſi ex- „empla allegari poſſe, ubi ſummi Pontifices electiones ob non ſer- „vatam irrite formam canonicam irritas, & nullas caſſaſſe quidem, ne- „quaquam tamen aſſerta ſibi per Concordata eo in caſu immediate provi- „dendi facultate, ac libero arbitrio uſos fuiſſe, ſed potius caſſata „electione eidem Eccleſiæ de eadem perſona ex benignitate ſua providiſſe „leguntur.“ Nunc de tertia cauſſa inter majores ſummo Pontifici reſer- vata, de jure in legibus Eccleſiæ univerſalibus diſpenſandi; qua de re, cum noſtris diebus graviſſima ſit, ſpeciali Corollario tractabimus.

COROLLARIUM III.

De jure diſpenſandi in Legibus Eccleſiæ univerſalibus, & ſpecialiter matrimonialibus.

§. 1.

Ex iis, quæ hactenus argumentis, ſiquid humana valet ratio, firmiſſimis demonſtrata vidimus, ſequitur eum, qui ſuprema, & illimitata, ab ipſo Deo immediate accepta in Eccleſiam univerſam gaudet jurisdictione, qui ſolus per ſeipſum inſtituere leges eccleſiaſticas univerſim obligantes poteſt, eumdem etiam poſſe, ſi æquum videbitur, illas abrogare, aut in illis diſpenſare. Nihilominus noſtris diebus, queis nulla amplius veritas tranquilla fruitur poſſeſſione; hac ipſa de re in ſinu Eccleſiæ graviſſima eſt excitata lis inter ſummos Præſules, & Doctorum controverſia. Ut ordine, & recta ad ſcopum via multos inter ſcopulos incedamus, quinque ſunt præcipua puncta ſeparatim, & ſucceſſive nobis diſcutienda. Primum eſt, ut evitandæ in re tanti momenti logomachiæ gratia notiones, quam fieri poteſt, clariſſime dilucidentur. Dein de jure nativo indagandum, penes quem diſpenſandi Authoritas ſita ſit: amplius de uſu juris hic expendendum, quid expediat. Sed & in praxin antiquam reſpiciendum in primis generatim circa diſpenſationes, demum in ſpecie circa illas in Matrimonii impedimentis.

*) Diſſert. 3 ſpecial. de Concord. germ. C. 3, §. 29.

§. 2.

Ante omnia in qualibet controverſia ſtatum quæſtionis, ut ajunt, ſeu punctum rei, de quo diſputatio eſt, coram oculis eſſe ponendum a nemine dubitatur. Eſt autem id, de quo in præſentiarum quæritur, an leges Eccleſiæ diſciplinares, easque univerſales ſolus diſpenſare Pontifex poſſit, tamquam majorem cauſſam ſibi reſervatam? Sermo hic unice eſt de legibus mere humanis, ſed ſacris tamen, & eccleſiaſticis. In legibus enim divinis proprie, ac ſtricte diſpenſandi poteſtatem nullam in Eccleſia eſſe facile inter partes convenit. Inſuper autem, & hocquidem quam maxime notandum, de legibus Eccleſiæ univerſalibus quæri: nam hallucinari quosdam animadverti, qui in exempla diſpenſationum ad Epiſcopis datarum indagantes haud attendunt, an leges illæ univerſales fuerint, vel tantum particulares. Cum Epiſcopi aut per ſe ſinguli, aut in Synodo collecti pro particulari loco, aut Provincia poſſint leges ſtatuere; haud mirum, ſi illas quoque moderari, immutare, vel abrogare poſſint: ſed jam nunc de poteſtate circa leges univerſales quæſtio eſt.

§. 3.

Cum ergo de jure diſpenſandi, eoque ordinario quæritur, hic quatuor caute diſcernenda ſunt: 1mo Remiſſio legis in caſu neceſſitatis; ceſſat enim omnis lex, ubi neceſſitas adeſt, quæ nullam ſcit legem. Forte melius *tolerantiam* dicas, ubi neceſſe eſt malum pati, quam legis *remiſſionem*. 2do Licentia legis eſt, quando lex ipſa Superiorum prudenti judicio, quoad certas circumſtantias, vel cauſſas permiſſa eſt: ita clauſtralis Superior juſta de cauſſa ſuis ſubditis egrediendi dat licentiam ex ipſa legis permiſſione. 3tio Interpretatio legis eſt, *ἐπιείκεια*, vulgo epikia, quod idem eſt, ac *æquitas*: hæc datur, quando prudenter ſupponitur, ſpecialem aliquem caſum ſub legis generali obligatione non comprehendi, e. g. ſi manifeſte majus bonum impediretur, vel nimis difficile foret legem obſervare. 4to Diſpenſatio legis proprie eſt, ubi publica Authoritate pro ſingulari caſu, vel perſona legis obligatio tollitur, quæ alias adeſſet. Hæ notiones non arbitrariæ ſunt, ſed ſatis communes, ab ipſo recentiſſimo ſcriptore adverſæ partis, clariſs. D. Jungio Moguntiæ Profeſſore deſumtæ *).

§. 4.

*) Facta diſpenſationum epiſcopalium hiſtoriæ ex tribus primis ſeculis, Moguntiæ 1787.

Digitized by Google

§. 4.

Epikia, & Diſpenſatio magnam ſæpe affinitatem inter ſe mutuo habent, & vulgari ſaltem ſenſu non raro confunduntur: hinc ad evitandam inanem de nomine litem, & ferendum de factis hiſtoricis juſtum judicium inter utramque diſcrimina bene ſunt obſervanda. Hæc autem præcipua ſunt, quibus Epikia differt a Diſpenſatione. 1mo Epikia etiam ſine Authoritate, & jurisdictione a ſubdito legis *) poteſt fieri: contra Diſpenſatio tantum dari poteſt a eo, qui in ipſam legem habet jurisdictionem, vel æqualem cum Legislatore, vel ab illo delegatam. 2do Epikia, qua ſubditus legis ſuo pro arbitrio utitur, debet in rei evidentia fundari, ut *moraliter* certo judicari poſſit, legem hic, & nunc non obligare: contra Diſpenſatio datur, ubi ſine hac legis obligatio adhuc valeret. 3tio In re dubia citra urgentem neceſſitatem non licet ſubdito *privata* uti Epikia, ſed debet pro *authentica* adire ſuperiorem: contra, qui diſpenſandi jure eſt præditus, vel ſolum delegato, poteſt eodem uti ſine requiſita Superioris Authoritate, dummodo ſat gravis adſit diſpenſandi cauſſa. Hæc quidem de notionibus, niſi me omnia fallunt, ſat clare, ſat ſolide dicta, queis D. Jungius totum ſui ædificii fundamentum jam eſſe ſubverſum facile animadvertet.

§. 5.

Progredimur nunc ad alterum punctum, penes quem nativo jure Authoritas ſita ſit diſpenſandi in lege Eccleſiæ univerſali. Equidem duo doctiſſimi viri præter quosdam alios, Thomaſſinus & Vaneſpenius hanc poteſtatem jure quodam proprio, & antiquiſſima praxi, cujus tamen nullum exacte quadrans exemplum proferunt, Epiſcopis vindicare contendunt. Quodſi vero ſatis attente ipſorum ſcripta luſtrentur, manifeſte apparebit, non adcurato ſatis, ſtrictoque ſenſu, ſed latiore minusque determinato voceem *Diſpenſationis* ab illis fuiſſe acceptam, ſcilicet pro quacumque legis remiſſione. Sic prior quidem ille omnino aperte caſus neceſſitatis, aut juſtæ epikiæ, ubi perſecutionum acerbitas non fere conſilia cum ſummo Pontifice communicare ſinebat, inter diſpenſationes recenſet **). Alter vero generalem ſuam, ac indeterminatam diſpenſationis notionem mox in Proœmio manifeſtat, ubi eam vocat quamcumque *legis veniam*, aut *providam juris*

 relaxa-

*) Ut bene obſervat Thomaſſinus, inanis eſt terminologiæ lis, ſitne Princeps legi ſubditus, an non? Nos concedimus *quoad vim directivam*, ſive *pro foro interno*: negamus autem *quoad vim coactivam*, ſive *pro foro externo*. Tantum hoc poſteriori ſenſu *Subditum Legis* intelligimus. Papam igitur pace mea dixeris vel eſſe *ſupra*, vel *infra* leges: utrumque eo modo, quo me explicavi, admitto.

**) Vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. Tom. 2, Cap. 24, n. 14.

Digitized by Google

relaxationem *). Cum iſti Duumviri ante ardentem de hujus juris exercitio controverſiam viverent; non opus erat, ut tam curato ſtudio, prout noſtra exigit ætas, ſua verba librarent. Ceterum eruditis omnibus conſtat, inter hos Duumviros, licet ſcientiæ laude æque præſtantes, alterum tamen minus primo erga apoſtolicam Sedem æquum fuiſſe. Pereiram vero, Febronium, aliosque aperte S. Petri Vicario, nec huic ſolum, ſed toti jurisdictioni eccleſiaſticæ iniquos nihil moror.

§. 6.

Miſſis jam privatis Doctorum opinionibus ad argumenta me verto ex ipſa rei natura, & indole deſumenda, atque inprimis, penes quem ſit *ordinarium* jus in lege univerſali diſpenſandi, tum vero penes quem non ſit, indagabo. Prima eſt mea propoſitio, eaque Catholicorum omnium communis: *Romanus Pontifex in qualibet lege eccleſiaſtica poteſt juſta ex cauſſa diſpenſare.* Cum enim ipſius Eccleſiæ utilitas aliquoties exigat legis univerſalis remiſſionem, ſequitur, ad eam concedendam eſſe debere in Eccleſia poteſtatem; hanc autem in eo reſidere, qui ſupremus eſt Legislator, & Rector, ipſa rei natura clamat: atqui ſupremum in Eccleſia (ſaltem extra œcumenicam Synodum) Legislatorem & rectorem eſſe romanum Pontificem, nemo Catholicorum poteſt negare; ad hunc ergo jure ordinario ſpectare diſpenſandi poteſtatem neceſſario concludendum eſt.

§. 7.

Hinc merito Pontifiex Innocentius III effatus eſt **): „Adſcitis aliis „in partem ſollicitudinis ſummus Pontifex aſſumtus eſt ad plenitudinem „poteſtatis, qui cum Moderator ſit canonum, juri non facit injuriam, ſi „diſpenſat.“ Juvat hac de re pariter angelicum Doctorem audire, S. Thomam, cujus in catholica Eccleſia haud vulgaris æſtimatio eſt: is autem contra Religioſorum impugnatores ita ſcribit ***): „Illa, quæ SS Patres de„terminaverunt eſſe de jure poſitivo, ſunt relicta ſub diſpoſitione Papæ, „ut poſſit ea mutare, vel diſpenſare ſecundum opportunitates temporum, „vel negotiorum. Nec tamen Papa, quando aliquid aliter facit, quam a „ſanctis Patribus ſtatutum ſit, contra eorum ſtatuta facit, quia ſervatur in„tentio ſtatuentium, etiamſi non ſervantur verba ſtatutorum, quæ non poſ„ſunt in omnibus caſibus, & in omnibus temporibus obſervari, ſervata in„tentione ſtatuentium, quæ eſt utilitas Eccleſiæ, ſicut & in omni jure po„ſitivo accidit.“ Atque hoc jus pontificiæ poteſtatis tam certum eſt inter Catho-

*) Jus eccleſ. univerſ. Tom. 2. Diſſert. *de Diſpenſationibus.*
) Epiſt. 154. *) Cont. impugn. Religioſ. Cap. 4.

Digitized by Google

Catholicos, ut, quæ maxima ejusdem Sedis adverſaria fuit, Baſileenſis Synodus illud agnoſceret, & profiteretur *): „Per Concilium autem ſtatuta in „nullo derogant ſuæ (Pontificis) poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſſis„que, & perſonis, utilitate, vel neceſſitate ſuadente moderari, diſpenſare„que poſſit, atque uti ſummi Pontificis epikia, quæ ab eo aufferri nequit.“

§. 8.

In his Baſileenſis Synodi verbis plura ſunt, quæ reflexionem merentur. 1mo Unanimem omnium Catholicorum ſenſum eſſe debuiſſe de hac Pontificis poteſtate, eoquod dicitur, nihil huic per ſtatuta Concilii derogari, quod antiquam poſſeſſionem denotat. 2do Ejusmodi jus tamquam Primatui eſſentiale fuiſſe ſpectatum, *quod ab eo auferri nequit.* 3tio Eo ipſo, quod inter propria ſummi Pontificis jura referatur, Patres agnoviſſe, jus illud diſpenſandi non poſſe *ordinarie* Epiſcopis convenire: ſecus enim non proprium jus ſummi Pontificis foret, ſed commune omnium Epiſcoporum. Concilium quoque Tridentinum ſuppoſuit, ſaltem aliquas diſpenſationes jure ad ſummum Pontificem pertinere, dum earum executionem Ordinariis *tamquam Delegatis apoſtolicis* eſſe committendam ſtatuit **). Reſtat, ut jam alteri meæ conſentias propoſitioni:

§. 9.

Epiſcopi non poſſunt ordinario jure in lege Eccleſiæ univerſali diſpenſare.

Dico eos non jure ordinario poſſe, haud vero nego vel ex ſpeciali juris diſpoſitione, vel conſuetudine, vel delegatione id poſſe. Principio S. Thomæ utor, certe ex ſola ratione firmiſſimo ***): *In lege humana publica non poteſt diſpenſare, niſi ille, a quo lex Authoritatem habet, vel is, cui ipſe commiſerit.* Atqui lex Eccleſiæ univerſalis non habet Authoritatem ab ullo particulari Epiſcopo, ſed vel ab ipſa Eccleſia, vel a ſupremo ejusdem Rectore, qui romanus eſt Pontifex: ergo Epiſcopos lege univerſali inferiores, eidemque pro foro in- & externo ſubjectos non poſſe in illa diſpenſare neceſſario ſequitur: „Et profecto (verba ſunt Ss. Papæ Pii VI ****) „ſi jus eſſet Epiſcopis relaxare legem — ab Eccleſiæ poteſtate conſtitutam, „& ubique in catholicis ditionibus receptam; tota everteretur Eccleſiæ diſ„ciplina, Caput ſubjiceretur membris, ac proinde actum eſſet de eccleſiaſti-

„ca

*) Epiſt. Synod. num. 5, **) Seſſ. 22 de Reform. Cap. 5.

***) 1, 2 Quæſt. 97, C. 4 ad 3.

****) Breve apoſtolic. ad Rdiſſ. Archiepiſc. Colon. 20 Januar. 1787.

„ca Hierarchia divinitus inſtituta, ut generaliter declaravit S. Nicolaus P. „I in epiſtola ad Michaelem Imperatorem relata in canon. *inferior* diſtinct. 21. „— Fidei dogma eſt, Epiſcoporum Authoritatem, & juriſdictionem ſubjectam eſſe ſummi Pontificis Authoritati, ut ſubeſſe debeant Sedis apoſto„licæ ſtatutis, — ut patet ex juriſdictionis Primatu, ſingulari Chriſti mu„nere, Petro, ejusque Succeſſoribus divinitus collato. "Cauſſa ergo finita eſt, Petrus in Nicolao, & Pio, Chriſtus autem in Petro, & Nicolao, & Pio locutus eſt.

§. 10.

Sed vel Gallicanam etiam doctrinam ex præſtanti Galliæ Theologo audiamus; ita Tournelius loquitur *): „Nec nocet, quod Epiſ„copus vi officii in ſua Diœceſi poſſe dicitur, quidquid poteſt Papa „in toto Eccleſia (en Principium hodiernorum a Galliæ Doctore refutatum) „nam axioma illud nec in jure canonico habetur, nec nititur firma ratione, „imo veritati repugnat, ſi generaliter accipiatur, ut verba ſonant: alioquin „enim poſſet Epiſcopus ponere impedimenta Matrimonium dirimentia, con„firmandi poteſtatem ſimplici Presbytero committere, — quæ omnia falſa „ſunt, & inaudita. Citatum igitur axioma hoc ſolum ſenſu verum eſt, quod „Epiſcopus ea in Diœceſi ſua poſſit, quæ ad ordinariam ejus gubernationem ne„ceſſaria ſunt, cum debita tamen canonicis legibus ſubordinatione." Hæc Gallorum doctrina eſt, hæc noſtra fuit Germanorum, hæc etiamnum omnium eſt Catholicorum, qui idem ſentiunt, idem credunt, quod tamquam fidei dogma Nicolaus P. antiquitus, & noviſſime Pius VI declararunt.

§. 11.

Jam ſatis de jure! Quoniam practica maximopere hæc præſens controverſia eſt, tertio nunc loco non amplius quid liceat, ſed quid ad utilitatem gregis fidelium expediat, ſeu de utili diſpenſationum uſu & exercitio diſpiciendum. Ipſi adeo illi Doctores, qui diſpenſandi poteſtatem in Epiſcopatu fundari exiſtimant, pro ipſa tamen praxi ad Eccleſiæ bonum & tranquillitatem, nec non ex generali reverentia ſummo Sacerdoti debita ſtandum conſuetudine, & receptis moribus docent. Ita Vaneſpenius **): „Dum de poteſtate diſpenſandi ſuper certo diſciplinæ puncto agitur, ea Epiſ„copo competat, niſi oſtendatur, vel ex poſterioribus Eccleſiæ ordinationi„bus, aut praxi vel conſuetudine poteſtas ſuper eo diſpenſandi privative ad Conci„lia, aut ad romanum Pontificem, cui hodie aliqua, quæ olim epiſcopali Authorita-

„te

*) Tom. 6 de Legibus Cap. 6, Artic. 4.

**) De Diſpenſat. Cap. 1, §. 7.

„te abſolvebantur, privative competere indubitatum, ſpectare.“ Igitur ſaltem ex conſuetudinis juſto titulo Papæ jus diſpenſandi competere Doctor ille apud adverſarios magnus indubitatum habuit. Thomaſſinus vero a ſua eximia erga apoſtolicam Sedem reverentia laudatiſſimus rationibus inſuper æquiſſimis ejusmodi poteſtatis exercitium ſummo Pontifici vindicat *): „Eoquod „antiquis Patribus conſultiſſimum fuerit viſum: 1mo ſolvi leges non poſſe, niſi „ea Authoritate, qua & condi: 2do brevi ruituram canonum diſciplinam, ſi „quot Epiſcopi, tot eſſent ejus ſolvendæ Authores, ubi ſingulis adlubeſceret: „3tio optari magis poſſe, quam ſperari, ut ea tota & ſapientiæ luce & vigo„ris conſtantia inſtructus ſit quisque Epiſcopus, quanta deſideretur, ut pro„vide ſemper diſpenſetur, & ſobrie: 4to ne toties movendæ ſint lites in Epiſ„copos, qui improvide, aut molliter diſpenſaſſent.“ Ex hiſce motivis quæ ſane in ſe ipſis graviſſima ſunt, primum ad provincialia Concilia, pedetentim autem ad ſolum Pontificem diſpenſandi morem tranſiiſſe autumat. His accedit, quod olim Patres ita voluerint: „Uno amore purioris ſemper, & „politioris diſciplinæ, & juris diſpenſationum apud eos deponendi, com„mendandique, qui eo ſanctiſſime defungerentur. Pluſculum enim inerat „vigoris, ſapientiæ, conſtantiæque in Conciliis provincialibus, quam in ſin„gulis Epiſcopis: plus inerat etiam Pontificibus, & Synodis romanis, quam „ceteris Synodis provincialibus, ut fidem faciunt Pontificum Decretales.“ En virum, etſi veritatis non plene conſcium, tamen æquitatis amantiſſimum!

§. 12.

Pondera, quæſo, apud temetipſum, quanta diſciplinæ ruina, quanta Eccleſiæ perturbatio, quanta fidelium ſcandala, quanta adverſariorum ludibria inde ſint oritura, ſi cuilibet ſingulari Epiſcopo pro ſuo unius arbitrio liceat leges, & canones univerſales remittere, quidni & tollere? quidni & nova ſtatuta facere? quidni e. g. Matrimonii impedimenta etiam dirimentia abrogare, aliave, ſi placet, inſtituere? omnia enim iſta æquali jure ſequuntur ex falſo Principio, ſemel tamen aſſumto: *Epiſcopum in ſua Diæceſi plenam habere Poteſtatem regendi & ordinandi.* Edic! qualis tunc Eccleſiæ univerſalis facies, quam miſere, quam turpiter dilacerata? Pone duas ſibi contiguas Diœceſes, quarum unius Paſtor forſan nimium laxus ſit, e. g. circa jejunii & abſtinentiæ præceptum, alterius vero Paſtor veteris diſciplinæ tenacior: cum haud ita diſſimilis utrobique ratio locorum ſit, plurimum tamen diſciplina differat; quænam illius apud bonos vilipenſio, niſi & ſcandalum, hujus

*) De Diſpenſ. Cap. 24, n. 14.

hujus vero apud improbos invidia, atque odium? Quid de re Matrimonii delicatiſſima dicam, ſi forte temere in una Diœceſi conjugia admitterentur, quæ in proxima ut nulla, & irrita damnarentur??

§. 13.

Fac Epiſcopos poſſe, quæ voluerint, ex falſo principio, plenam eſſe ſuam poteſtatem, quia a Deo inſtitutam, hanc ligari, aut circumſcribi non poſſe, ſed ad priſtinam, prout inter perſecutiones exercebatur, amplitudinem eſſe reducendam; quid ſuo tempore Presbyteros prohibebit iisdem armis contra Epiſcopos pugnare? Quid autem dixi, ſuo tempore? Publica documenta teſtantur *) hoc triſte diſſidium inter ordinem epiſcopalem, & Presbyteros jam actu graſſari in quibusdam Italiæ Diœceſibus: non ſolum theoretice doceri, ſed etiam practice a Parochis exerceri dicuntur ſequentia: „Parochos eſſe a Deo inſtitutos, fidei judices, Ordinarios, in ſuæ (quippe divinæ) jurisdictionis exercitio independentes, nullum dari conſcientiæ caſum, „ita reſervatum, ut ipſi abſolvere nequeant, ipſorum eſſe facultatem in ſua „Eccleſia prædicandi, aut abſolvendi etiam Epiſcopo concedere, uno verbo, „ſecundum primæ diſciplinæ puritatem teſte Hieronymo ſe in omnibus parem, & æqualem cum Epiſcopo poteſtatem habere excepta ſolum ordinatione.“ Qualia hæc doctrinæ monſtra, qualis Sacerdotii confuſio, & ſacræ Hierarchiæ deſtructio! ſed quænam mali radix, niſi falſa *epiſcopalis* independentiæ prætenſio?

§. 14.

In caſu, quo aperte ſuo munere male fungitur Epiſcopus a Papa vi Primatus admoneri poteſt, aut corrigi, inquies. Sed ediſſere, nonne melius eſt, præcavere, ne error contingat, quam commiſſum errorem in *Paſtore* non ſine ovium ſcandalo corrigere? Quid vero, ſi correctio non facile profutura videatur, ſi Paſtor forte corrigi impatiens, ſi ſuæ independentiæ falſis licet præjudiciis fultæ ſit juſto amantior, ſi externa enim vi, & Authoritate ſeculi ſit potens? Nonne tunc in extrema forſitan malorum particulares greges præcipitarentur? Huic ruinæ divinus Salvator optimum remedium provídit, unum totius ovilis ſummum Paſtorem inſtituendo, qui oves, & Paſtores regat, cui omnes Chriſti fideles, prout catholicæ fidei profeſſio fert, veram, ſeu ſinceram obedientiam præſtare tenentur.

§. 15.

Si demum ad hodiernam praxin diſpenſationum pontificiarum *pro foro externo* attendamus; inveniemus eam a Concilio Tridentino ita ſapienter fuiſſe ordina-

*) Religionsjournal. Maynz 1787. Beylage 17, Abſatz 3.

ordinatam, ut & honori, & officio Ordinarii quam optime ſit conſultum. Non enim immediate per romanam curiam diſpenſationes conceduntur, ſed Ordinario tamquam apoſtolico Legato (quod ſane honoris eſt) ad prævium examen committuntur, an preces ſub- vel obreptionis vitio non ſubjaceant. Contra ſi proprium jus diſpenſandi Epiſcopis tribuas, eos tamen a neceſſitate frequentioris ad Papam recurſus eximere haud valebis: cum enim diſpenſationum cauſſæ, præcipue matrimonialium non raro difficiliores ſint, & graviores; tam divino jure, quam antiquiſſima Eccleſiae diſciplina ad Caput, ſeu Petri Sedem recurrere, atque inde agendi normam petere neceſſe erit; quod ſi aevo ſequiore ſatis accurate fuiſſet obſervatum, forte tot pontificias reſervationes non haberemus. Quid ergo melius pro fidelium ſalute, quid dignius epiſcopali erga Matrem, & Magiſtram univerſalem devotione, quam tranquillam diſciplinae ab ipſa Eccleſia introductae tenere obſervantiam?

§. 16.

Quarto nunc loco ad veterem hiſtoriam, ceu optimam eccleſiaſticae diſciplinae magiſtram revertamur: & de tribus quidem primis ſeculis ſermo eſt inchoandus, qua de re ante omnia praejudicio laborare doctiſs. alias Jungium animadverto, dum in ſua hiſtorica Diſſertatione de Diſpenſationibus epiſcopalibus pag. 13 ſcribit: *Tribus primis ſeculis, omnium conſenſu puriſſima erat regiminis eccleſiaſtici, divinitus, & per Apoſtolos conſtituti obſervantia.* Non ſane tam facile omnes eruditos ſibi conſentientes habebit: regimen enim eccleſiaſticum a Deo- homine inſtitutum quidem fuit quoad radicem ſuam, ſeu regendi poteſtatem; neutiquam tamen quoad omnimodam formam, quam Chriſtus ſuis Vicariis, totius Eccleſiae Paſtoribus pro temporum, locorum, & perſonarum ratione ordinandam permiſit. Apoſtoli etiam per orbem diſperſi, & convertendis praecipue infidelibus intenti circa ſtabiliendam univerſalis regiminis formam parum aut nihil occupabantur, ita quidem, ut ſaevientibus tunc, & per tria ſecula fere continuatis perſecutionibus hanc impeditam potius dicas, quam integre conſtitutam. Igitur primaevis illis temporibus puriſſimam quidem *morum* diſciplinae, haud vero *regiminis eccleſiaſtici*, cujus tunc vix ulla adhuc libertas erat, obſervantiam fuiſſe eruditi omnes conſentient. Magni intereſt, hac in re praejudicio eſſe vacuum, ne in errorem incidamus primorum temporum diſciplinam reſtitui cupientes. Morum tunc puriſſima, & adhuc imitanda nobis obſervantia, regiminis autem forma nondum integra, nondum tranquille ordinata fuerat: imo priſtina morum ſanctitate jam multum deficiente neceſſe eſt aliam regiminis eſſe diſciplinam.

Digitized by Google

§. 17.

Porro de primis illis temporibus doctiſs. Kübelius Heidelbergæ Profeſſor *) duplicem dat, eamque in genere ſat firmam critices regulam, fruſtra a D. Jungio impugnatam. Prima eſt: „Luſtratis tribus primis „Eccleſiæ ſeculis nihil usquam diſpenſationis a ſingulis Epiſcopis conceſſæ „occurrit, nec etiam credibile eſt, ullas in legibus Eccleſiæ pauciſſimis a „Chriſtianis primo adhuc calore ferventibus vel petitas, vel ab Epiſcopis „datas eſſe." Altera ſic habet: "Neque præterea, ſi etiam datæ eſſent, „quidquam concluderetur pro jure ordinario Epiſcoporum, cum in illo „æſtu perſecutionum multi caſus incidere potuiſſent, qui aditum ad ſuperius tribunal præcluſiſſent." Quoad primam regulam obſervo, id de diſpenſatione circa diſciplinam *moralem* intelligendum, tantum excepta ſeculo tertio lapſorum pœnitentia: circa diſciplinam vero *ceremonialem* mox vetuſtiſſimum ſaltem quoddam veſtigium proferam, & quidem pontificiæ diſpenſationis. Quoad alteram; nomen *Diſpenſationis* nobis nunc eſt in proprio, ſtrictoque ſenſu ſecundum præmiſſas antea notiones ſumendum, prout noſtris quadrat temporibus, ut caſus *neceſſitatis*, aut juſtæ *epikiæ*, qui illis perſecutionum ſeculis ſæpius occurrerant, inde excipiantur.

§. 18.

Liceat ad duplicem hanc regulam & mihi tertiam de meo addere: „Pro certo habendum eſt primævæ illius ætatis Epiſcopos diſpenſationem „proprietalem in lege univerſali ſine prævia Papæ ſententia dare num„quam fuiſſe auſos." Quale ſit ab epikia diſcrimen diſpenſationis proprie ſic dictæ; jam ſupra §. 4 declaravimus, ubi nimirum nec caſus ſit ejusmodi, qui prudenter a lege exceptus judicari poſſet, nec urgens neceſſitas, quæ aditum ad ſuperius tribunal impediret. Jam vero pretioſa, quæ ex illa aurea ætate reſtant, monumenta teſtantur, quam tenera ſollicitudine Epiſcopi in rebus dubiis, aut difficillibus, ne quid temere ſuſciperent, ſanctam, & apoſtolicam Petri Cathedram conſuluerint. Plura antiquiſſimarum relationum exempla jam præcedenti Corollario §. 2 ex Couſtantio attuli, quæ iterum repetere ſuperfluum foret: tantum ex ejusdem haud ſuſpecti Scriptoris Præfatione pag. 29 ſequentia exſcribo: „Apoſto„lica Sedes undique, nec ab Occidente ſolum, ſed & ab Oriente arduis „in rebus conſulebatur, uti locuples teſtis eſt Hieronymus, qui cum Ro„mam veniſſet, id ſibi muneris injunctum ſcribit, *ut in Chartis eccleſiaſti„cis juvaret Damaſum, romanæ urbis Epiſcopum & Orientis atque Occiden„tis conſultationibus reſponderet.* Amiſſa quidem Pontificum eorum, qui ante

*) Exercitium canonicum *de Matrimonio* Heidelberg 1786 Præf.

Digitized by Google

„ante Damaſum fuerunt, deſiderantur plurima id genus reſponſa, ſed quæ „ſuperſunt, hæc certe abunde probant vel primis etiam Eccleſiæ ſeculis „viguiſſe apoſtolicæ Sedis conſulendæ morem.“ Dein Couſtantius ex litteris Dionyſii Alexandrini Præſulis ad Xiſtum hæc refert: *Vere etenim, Frater! conſilio opus habeo, & ſententiam expeto, ne forte halluciner.* Si dubiis in rebus tanta fuit ſanctorum illorum Præſulum anxietas, quis credat auſos fuiſſe per ſe ſolos, inconſulto Pontifice, & ſine urgente neceſſitate legem Eccleſiæ manifeſtam, eamque univerſalem relaxare? — —

§. 19.

Jam ad ſingularia diſpenſationum exempla. Secundo ſeculo ſaltem, ut ego quidem exiſtimo, inſigne quoddam veſtigium occurrit, & quidem pontificiæ diſpenſationis. Erat in Eccleſiis chriſtianis, præcipue Romana ab Apoſtolorum ævo introductum, Paſchatis ſolemnitatem non cum Judaeis luna ipſa decima quarta menſis primi, ſed die dominica proxime inſequente celebrare. In Epheſina autem, aliisque Aſiæ minoris Eccleſiis mos Judaeorum antiquus viguerat a S. Joanne Apoſtolo deſcendens, cujus diſcipulis S. Polycarpus Smyrnae Epiſcopus adhuc ſub Aniceto P. ſupervixerat. De hac Aſiaticae Eccleſiae a reliquis differentia quaeſtio fuit mota volente Pontifice, ut Aſiani Romanis ſe conformarent. Quamobrem teſtibus Irenæo, Hieronymo, & Euſebio S. Polycarpus Romam contendit, ſuæ obſervantiæ apoſtolica S. Joannis traditione ſuffultæ rationem redditurus, eamdemque, ut putabat, tanti Apoſtoli Authoritate Pontifici perſuaſurus. Revera Pontifex, etſi Romanam, aliarumque Eccleſiarum traditionem Aſiaticis præponendam judicaret, ob reverentiam tamen erga apoſtolicum Virum Polycarpum, ſuum illis morem, licet a communi obſervantia alienum, adhuc permittendum cenſuit. Hoc itaque primum mihi videtur exemplum pontificiæ ſaltem permiſſionis, niſi propriæ diſpenſationis, eoquod obſervantia hujus diſciplinæ ceremonialis numquam antea in Eccleſiis Aſiæ obtinuerit.

§. 20.

Ex ſeculo tertio, quæ clariſs. Jungius profert quaſi diſpenſationis epiſcopalis exempla, ea quidem omnia levi brachio diſpelluntur Prima *ordinationes* reſpiciunt Neophytorum tam canone 79 Apoſtolorum, quam ipſo apoſtolico præcepto I ad Timoth. III, 6 prohibitas. Parum quidem illis, quos Apoſtolorum vocant, canonibus moverer, de quibus ſaltem ſingulariter ſumtis non conſtat, an primis tribus ſeculis jam extiterint, minus, an ubique locorum cogniti, vel recepti fuerint. Sed & contra Apoſtoli

 præcep-

præceptum plures factas fuiſſe ordinationes *ex neceſſitate*, non per diſpenſationem fateor, id quod Nicænum Concilium can. 2 adfirmat. Neceſſitati autem poſitivum vel apoſtolicum praeceptum cedere, quis dubitet? Certe ſaeviente tunc perſecutione haud mirum, plurimis in locis rariſſimos fuiſſe viros probatae diu virtutis, ita ut neceſſe fuerit & noviter converſos, fidei tamen fervore excellentes ad Eccleſiae miniſterium aſſumere. Quin neque diffiteri poſſumus, jam ante Nicænam Synodum, prout humanae naturae eſt deficere, quaedam adverſus eccleſiaſticam regulam cogentibus hominibus, quorum tunc erat ſuos eligere Praeſules, *male* facta fuiſſe. Quod inſuper quorundam virorum ſanctorum, uti Cypriani, Gregorii Thaumaturgi, aliorumque, exlegem attinet electionem, hanc potius per viam *inſpirationis*, quam diſpenſationis dicas contigiſſe. Tunc enim temporis, ubi donum miraculorum adhuc frequens erat, vox populi, vox Dei credebatur, ſaepe externis ſignis ſat manifeſta. Sic in ſpecie de Cypriano ejusdem Diaconus, & vitae ſcriptor Pontius teſtatur: *Judicio Dei, & plebis favoribus ad officium Sacerdotii, & Epiſcopatus gradum adhuc neophytus — electus eſt* *).

§. 21.

Alterius generis facta, praecipue ex S. Cypriani ſcriptis adducuntur, ut inde exempla primaevae diſciplinae *circa pœnitentiam* ab Epiſcopis remiſſae oſtendantur. Sane, inquiunt, omnibus in Eccleſiae hiſtoria obiter verſatis conſtat, antiquitus multo rigidiorem, quam noſtris diebus pœnitentiae diſciplinam viguiſſe: nihilominus tantus ille rigor communis diſciplinae pro ſingularibus circumſtantiis interdum ab Epiſcopis fuit remiſſus, ſive, ut hodie dici amat, diſpenſatus. Antequam ad ſingularia *hac* in re nos immittamus, juvat cum doctiſs. Chardon **) praenotare, primum a dilapſo tertii ſeculo dimidio firmam, fixamque pœnitentiae agendae normam in Eccleſia fuiſſe inſtitutam: etſi enim ea eſſet omnium Chriſtianorum ſententia, lapſos poſt Baptiſmi gratiam non ſine doloroſa pœnitentia ad ſecundam reconciliationis gratiam poſſe admitti, diverſae tamen quoad pœnitentiae modum, ac tempus erant conſuetudines pro diverſis Eccleſiis, imo vix ullibi conſtans conſuetudo, ſed pro delicti gravitate, & pœnitentis diſpoſitione, aliisve adjunctis menſuranda plerumque Sacerdotum judicio pœnitentia. Ex quo manifeſtum fit, ubi firma nondum lex fuit, nec locum propriæ diſpenſationi eſſe potuiſſe.

§. 22.

*) Tillemond. Tom. 7, p. 89.

**) Hiſtoire des Sacremens Tom. 3, p. 164.

§. 22.

At vero inde a Cypriani, & Cornelii ævo univerſalis in Eccleſia lex pœnitentiæ conſtituta eſt, *lapſis in perſecutione, hoc eſt, Sacrificatis, diu trabendam eſſe, agendamque plenam pœnitentiam* *): qua in lege cum Epiſcopi aliquoties diſpenſaſſe legantur, quis neget antiquam illorum diſpenſandi poteſtatem? Operæ pretium eſt inprimis ipſam hanc legem penitius conſiderare, tum vero hiſtorica facta ad trutinam vocare. Cyprianus itaque cauſſa lapſorum pro tempore perſecutionis ſuſpenſa mox reddita pace in Concilio Carthaginenſi *peremptorium* decretum de lapſis edidit, quod ad Cornelium Romæ creatum Epiſcopum transmiſſum, ab eodem adprobatum, atque in Eccleſia fuit publicatum. En ex epiſtola ad Antonianum ipſa decreti verba: „Scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum „ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis, & „pacis lapſis denegaretur, ne plus deſperatione deficerent, & eoquod ſibi „Eccleſia clauderetur, ſecuti ſeculum gentiliter viverent; nec tam rurſus Cenſura „evangelica ſolveretur, ut ad communicationem temere proſilirent, ſed traheretur „diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia, & examinarentur „cauſſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum.“ Si jam ad ſpiritum & ſcopum hujus decreti attendamus, apparebit Africanos Patres non tam poſitivam ſtatuere legem *humanam* voluiſſe, quam authenticam dare circa pœnitentes *divinæ* legis declarationem, eamque tantum pro tranquillo pacis tempore. Verſabantur enim inter duos veluti ſcopulos, cum ex una parte Novatiani per nimiam auſteritatem omnem ſpem reconciliationis Sacrificatis abnegarent, ex altera vero parte quidam Presbyteri per nimiam laxitatem Martyrum precibus commendatis ſine ulla pœnitentia, quin etiam ſine humili confeſſione abſolutionem concederent, quod Cyprianus contra Evangelii regulam, & Dei judicium pugnare merito aſſeruit. Propterea ad errorem utrinque vitandum, Scripturas diu ex utraque parte librarunt, easque hoc temperamento declararunt, lapſos non penitus a communione eſſe abjiciendos, ſed neque temere, & abſque competente pœnitentia admittendos. Dico hujus decreti de lapſorum reconciliatione ſcopum, & principale objectum fuiſſe *competentem* pœnitentiam quam quidem *diuturnam* volebant, ſed quod maxime notandum pro quietis, & pacis tempore, & ſub hac adhuc clauſula, ut quoad ſatisfactionis exactionem cauſſæ, & voluntates, & neceſſitates ſingulorum pœnitentium antea examinarentur. Unde ſequitur, hoc ipſo decreto, tantum pro tranquillis temporibus facto circa modificationem pœnitentiæ Epiſcopis quamdam *licentiam*, vel *epikiam*, vel *indulgentiæ* facultatem eſſe relictam. Si qua ergo remiſſi quoad

*) Cyprian. epiſt. 52 ad Anton.

quoad tempus, aut modum pœnitendi lapſis indulta; id ipſius legis licentia, vel juſta epikia Paſtores poterant, quin proprie diſpenſationem darent, quæ legis obligationem etiam pro ſingulari hoc, vel illo caſu ſtringentem ſupponeret. Uno verbo: lex illa pœnitentiæ haudquaquam ita omnimode determinata fuit; ſicut quædam hodiernæ ſunt e. g. matrimoniales, cum impedimentis dirimentibus quoad certos gradus conſanguinitatis, vel affinitatis, aut certa propter crimina conjunctæ. Attamen, ut ne forte de verbo videar litigare, dicas pace mea quamcumque datam *indulgentiam* licet improprio ſenſu *diſpenſationem*. Nunc ergo illius ævi diſciplinam ex factis ſingularibus perſpiciamus.

§. 23.

Quænam ſunt illa, quæ oculis noſtris occurrunt, diſpenſationis in lege pœnitentiæ exempla? Nonne propriis, quæ aſſumunt armis cauſſam ſuam ſauciant adverſarii? S. Cornelius Pontifex romanus quatuor Confeſſores cum aliis quibusdam Novatiano ſchiſmate abreptos, iterumque redeuntes ſine ulla pœnitentia impoſitione per ſolam amneſtiam in Eccleſiæ ſinum recepit, ut ipſe Cornelius ad Cyprianum perſcripſit. Idem Pontifex, prout ex Cypriani epiſtola ad Antonianum patet, Trophimum Epiſcopum, qui idolis ſacrificaverat, populique multitudinem ſecum ab Eccleſia abduxerat, facti pœnitentiam, fratresque ſeductos reducentem ſatisfactione remiſſa mox ad communicationem, in ſtatu tamen laicali, admiſit. Quæ ſi veræ diſpenſationis, ut placet, exempla ſunt, quid inde colligitur, niſi a ſummis Pontificibus, neutiquam vero a ſingulis Epiſcopis pro illius ævi diſciplina jus diſpenſandi exercitum fuiſſe? Trophimum Epiſcopum, ajunt, a Cornelio non ut Papa, ſed ut Patriarcha diſpenſatum. Sed nugæ ſunt iſtæ: conſtat enim romanum Epiſcopum non alia, niſi Petri Authoritate Patriarchatum Occidentis obtinuiſſe. Quod ergo ut Patriarcha Occidentis, id hoc ipſo ut Petri Succeſſor jure nativo, & divino fecerat. Tantum in Oriente propter locorum diſtantiam Patriarchæ humana diſpoſitione inſtituebantur, qui & ipſi ampliorem ſuam præ aliis Epiſcopis Authoritatem ex illa Petri tamquam rivulum ex univerſali fonte traxerant. Quamobrem jura pontificia, & patriarchalia in romano Epiſcopo *ſeparari* non poſſunt; tantum *diſtingui* ſub hoc intuitu, quod ex pontificiis juribus aliqua Patriarchis Orientis fuerint communicata, quæ eadem in Occidente ut Patriarchalia conſiderantur, ſua autem in radice, & origine vere Pontificia ſunt. Hinc antiquiſſimi Pontifices, quidquid etiam in Occidente ordinaverant, apoſtolica Petri Authoritate ſe ordinare profitebantur.

§ 24.

Digitized by Google

§. 24.

Ita vero clariſs. Jungius contra nos argumentum inſtruit: Novatiani hanc Cornelii erga Trophimum indulgentiam in calumniam vertentes, ab illius communione Antonianum Numidiæ Epiſcopum abſtrahere conabantur. Quare Cyprianus huic Africæ Præſuli litteras miſit, in quibus Cornelium, tamquam qui nihil contra veterem diſciplinam attentaverit, ex eo Capite purgat, quod in ſimilibus adjunctis jam antea Africani quoque Epiſcopi diſciplinam relaxarint: *Sicut Anteceſſores noſtri ſæpe fecerunt, colligendis fratribus noſtris chariſſimus frater noſter Cornelius neceſſitati ſuccubuit.* Ergo & Epiſcopis uſitata fuit diſpenſandi facultas. Reſpondeo, præterquam quod illa Cornelii potius ex neceſſitate indulgentia, quam proprie diſpenſatio fuerit, hoc quidem argumentum quam certiſſime extra oleas vagari. De eo enim nunc quæritur, an *ſinguli* Epiſcopi, atque in lege *univerſali* umquam diſpenſare potuerint. Notum eſt autem ex hiſtoria Eccleſiæ, ante S Cyprianum firmam, fixamque pœnitentiæ normam, & legem univerſalem nondum extitiſſe, in qua Anteceſſores illius diſpenſare potuiſſent. Si vero circa particularem ſuæ Provinciæ diſciplinam quidquam relaxaverint, quis eſt, qui id juris penes ipſos fuiſſe neget? penes ipſos, inquam hoc eſt, S. Cypriani Anteceſſores, Carthaginenſes Archiepiſcopos, totius Africæ Primates, in Synodo cum ſuis Suffraganeis congregatos. Quid inde juris accreſcit ſingulis Epiſcopis? Nam ſancta illa tempora docent, nec contra particularem diſciplinam quidquam ab Epiſcopis ſingularibus attentatum, ſed hujusmodi res a Patriarcha, vel Primate convocata in Synodo provinciali fuiſſe ordinatas, nec ſolum in provinciali Synodo ordinatas, verum etiam, ut S. Cypriani exempla abunde demonſtrant, cum apoſtolica Petri Cathedra communicatas.

§. 25.

Ab ipſo autem S. Cypriano data diſpenſatio allegatur. Cum nova inſtaret poſt brevem pacem Eccleſiæ perſecutio, S. Cyprianus ſeveriorem illam *generalem* legem, ut lapſi plenam agerent pœnitentiam, relaxandam cenſuit, decrevitque dandam eſſe pœnitentibus pacem, etſi nondum expleto tempore, ut ad imminens prælium eo fortius armarentur. Concilii hac ſuper re habiti relationem ad Cornelium P. ipſis Cypriani verbis audiamus *): „Ut omnes omnino milites Chriſti, qui arma deſiderant, & prælium flagitant, intra caſtra Domini colligamus, *neceſſitate cogente* cenſuimus, eis, qui de Eccleſia Domini non receſſerunt, ſed pœnitentiam agere, „&

*) Epiſt. 54.

„& lamentari, ac Dominum deprecari a primo lapſus ſui die non deſtite-„runt, pacem dandam eſſe, & eos ad prælium, quod imminet, armari, & „inſtrui oportere. Obtemperandum eſt namque oſtenſionibus, atque admo-„nitionibus juſtis, ut a Paſtoribus oves in periculo non deſerantur, ſed grex „omnis in unum congregetur, & exercitus Domini ad certamen militiæ „ cœleſtis armetur. Merito enim trahebatur dolentium pœnitentia tem-„pore longiore, ut infirmis in exitu ſubveniretur, *quamdiu quies, & tran-„quillitas aderat*, quæ differre diu plangentium lacrimas, & ſubvenire ſero „morientibus in infirmitate pateretur. At vero nunc non infirmis, ſed „fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viventibus communica-„tio a nobis danda eſt, ut, quos excitamus, & hortamur ad prælium, non „inermes, & nudos relinquamus, ſed protectione Sanguinis & Corporis „Chriſti muniamus. — Idoneus eſſe non poteſt ad martyrium, qui ab Ec-„cleſia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non accepta Eu-„chariſtia erigit, & accendit. — Nonne nobis vel negligentia ſegnis, vel „duritia crudelis adſcribetur in die judicii, quod Paſtores creditas, & com-„miſſas nobis oves nec curare in pace, nec in acie voluerimus armare? — „Placuit nobis S. Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas, & „manifeſtas admonente, quia hoſtis imminere prænunciatur, & oſtenditur, „colligere intra caſtra milites Chriſti, examinatis ſingulorum cauſſis pacem „lapſis dare, immo pugnaturis arma ſuggerere, quod credimus vobis (Pon-„tifici) paternæ miſericordiæ contemplatione placiturum."

§. 26.

Hisce manifeſtis verbis Africani Patres explicant, eamdem illam generalem legem, cujus Authores fuerant, de plena lapſorum pœnitentia, tantum *pro tempore quieto, & tranquillo* datam fuiſſe. Non itaque remittere ſe legis obſervantiam judicant, ſed jam legem priſtinam non obligare *neceſſitate cogente*, ut milites Chriſti intra caſtra colligantur, ſicque Eccleſiæ communione, & Sacramento Corporis & Sanguinis Chriſti ad pugnam armentur. Obſervatu digniſſimum eſt, ſanctam hanc Carthaginenſem Synodum, etſi divinis viſionibus illuſtratam, ac de aſſiſtentia S. Spiritus merito confidentem, non tamen prætermiſiſſe ſuam erga apoſtolicam Sedem reverentiam, ſed hujus *Placito* ſe ſubjeciſſe. Leviſſima ſunt, quæ D. Jungius ingerit, minusque digna, quam ut iis tempus teramus. Meretur autem animadverſionem, quod in hiſtorica ejusdem Diſſertatione p. 116 legitur: „Antiquas Synodorum ordinationes Epiſcopis ſaltem conjunctis *ſine „recurſu ad romanum Pontificem, quod rei caput eſt*, tribui debere." Falſum hoc quidem eſt, ſed & a ſumma Sede abhorreſcentiam denotat, non dependentiam eidem debitam, non obedientiam, non reverentiam, non charitatem,

ritatem. Sane haud ita SS. Patres noſtri ſenſerunt, ſed illis regula fuit antiquiſſima: *Ne abſque conſenſu romani Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur.* Hanc regulam duo græci Scriptores Socrates *), & Sozomenus **) quinto ſeculo, longe igitur ante Iſidorum Mercatorem teſtati ſunt. O utinam eamdem hanc Eccleſiæ antiquiſſimam regulam Punctatores Emſani ante oculos ſibi poſuiſſent!

§. 27.

Ut vero de ſingularibus adhuc Epiſcopis exemplum proferam, mox patebit, quam parum pro ſancti illius ævi obſervantia ſibi præſumſerint, ita, ut ne in dubio quidem caſu, an lex valeret, ſine Primatis conſilio quidquam enuntiare auderent, minus proprie diſpenſare in lege, cujus obligatio adhuc adeſſe noſceretur. De quibusdam in perſecutione lapſis, ſed poſtea pœnitudine ductis, qui novo animo Chriſtum confeſſi, & propterea exilium, & bonorum jacturam paſſi, id eſt, extorres facti ſunt, de his Caldonius Africæ Epiſcopus ita ad S. Cyprianum ſcripſit ***): „Oportebat vobis ſcribere, quoniam ii, qui poſteaquam ſacrificaverunt, iterato „tentati extorres facti ſunt. Videntur ergo mihi abluiſſe prius delictum, „dum poſſeſſiones & domos dimittunt, & pœnitentiam agentes Chriſtum „ſequuntur. — Quamvis mihi videantur debere pacem accipere, tamen „ad conſultum veſtrum eos dimiſi, *ne videar aliquid temere præſumere.*“ Cyprianus in reſponſione ſua hunc Epiſcopum dilaudat, quod ex Scripturis divinis, quarum peritus eſſet, recte judicaverit hujusmodi fratres non amplius eſſe legibus pœnitentiæ *humanis* ſubjectos, ſed *coram Deo* vera pœnitentia, & dominicæ confeſſionis gloria pacem ſibi promeruiſſe. Verba Cypriani ſunt: „Nec miramur, ſi exercitatus, & in Scripturis dominicis peritus caute omnia, & conſulte agas: recte enim ſenſiſti circa impertiendam fratribus noſtris pacem, quam ſibi ipſi vera pœnitentia, & dominicæ confeſſionis gloria reddiderunt.“ Neque igitur Cyprianus in lege eccleſiaſtica diſpenſavit, ſed hosce Confeſſores non amplius lege eccleſiaſtica teneri declaravit, quippe qui jam vera pœnitentia apud Deum ſatisfecerint. Hinc merito doctiſs. Morinus textui Cypriani hanc adjungit notam ****): „Illud, quod potiſſimum ſpectat Eccleſia in reconciliationis præſtatione, non eſt pœnitentiæ longitudo, aut ſeveritas, ſed ſinceritas, & „veritas.“

*) Hiſt. eccleſ. Lib. 2, Cap. 8. **) Lib. 3, Cap. 10.

***) Inter Cyprian. Epiſt. 19 & 20.

****) Comment. hiſtoric. de Pœnitentia Lib. 4, Cap. 11, n. 8.

§. 28.

Equidem in veteri illius ævi hiſtoria unum invenio factum cujusdam Africæ Epiſcopi nomine Therapii, „qui Presbytero Victori, antequam pœnitentiam „plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, imma„turo tempore, & præpropera feſtinatione pacem dederat" *). Sed malefacta in exemplum trahi nequeunt, nec jus inde probari: immo hinc elucet, quantum vel ipſorum Epiſcoporum poteſtas legibus diſciplinæ conſtricta fuerit. Cum enim hac de re Fidus Epiſcopus ad S. Cyprianum Primatem querimonias detuliſſet, is habita cum 66 Epiſcopis Synodo vehementer factum improbavit his verbis: „Quæ res nos ſatis movit, *receſ„ſum eſſe a decreti noſtri Authoritate*, ut ante legitimum, & plenum tem„pus ſatisfactionis, & ſine petitu, & conſcientia plebis, nulla infirmitate „urgente, ac neceſſitate cogente pax ei concederetur. Sed librato apud nos „diu conſilio ſatis fuit objurgare Therapium Collegam noſtrum, quod te„mere hoc fecerit, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cetero faceret." En, quantum Authoritatis in Epiſcopum vel Primas Carthaginenſis humano tantum ex jure habuerit! Si tunc temporis jam cognita fuiſſent hodierna principia: nonne Therapius excipere potuiſſet, ſibi pro ſua Diœceſi plenitudinem poteſtatis a Deo immediate fuiſſe commiſſam, quæ ab hominibus coarctari non poſſet, omnes Epiſcopos æqualem inter ſe Authoritatem habere, ſe melius agnoſcere, quid illis in circumſtantiis magis conveniens, & utile fuerit, ſoli Deo ſe regiminis ſui rationem redditurum? Nonne ita Epiſcopus ille, ſi pertinaciter voluiſſet cauſſam ſuam defendere, Cypriano reſcribere potuiſſet, prout humanum in nævum incidens poſtea Cyprianus Epiſcoporum cauſſam, vel ſuam potius contra ſupremum Eccleſiæ totius Primatem, Stephanum P. defendit? Satis jam de tribus primis ſeculis, ubi quædam pontificiæ quidem diſpenſationis veſtigia, vel exempla inveniuntur, nullum autem, nec unicum cujusdam ſingularis Epiſcopi exemplum (niſi, qui forte attentati ſui, caſtigationem retulerit) ne dicam circa legem Eccleſiæ univerſalem, nequidem circa particularis Provinciæ diſciplinam. E contrario autem vel dubiis tantum in rebus ſinguli Epiſcopi caute, & ſollicite vel ad totius Eccleſiæ Caput, vel ad ſuæ Provinciæ Primatem relationes fecerunt, a quo in Synodo ſententia lata, & pro ei magnitudine, vel difficultate Sedis apoſtolicæ judicio ſubmiſſa eſt ſecundum antiquiſſimam illam regulam: *Ne absque conſenſu romani Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur.*

§ 29

*) Cyprian. Epiſt. 55.

§. 29.

Quartum jam, & ſequiora ſecula attingentibus vel apud ſolum Thomaſſinum tot pontificii juris circa diſpenſationes documenta ſe nobis offerunt, ut deſcribendo ſingula in prolixum opus liber accreſceret. Quare brevitatis ſtudio nonniſi pauca ſeligam, ac de Siricio quidem initium faciam, cujus extat reſponſio ad conſultationem Epiſcopi Tarraconenſis, qui Damaſo Prædeceſſori complures diſciplinæ maculas in Eccleſia Hiſpanenſi expoſuerat, potiſſimum vero circa ordinum collationes. Epiſcopi, qui antea pœnitentiæ ſubjectos, & bigamos contra canones ordinaverant, haud ſuam diſpenſandi poteſtatem prætendebant. Hinc Pontifex veniam conceſſit ſic Ordinatis in ſuo, quem acceperunt, ordine permanendi, Epiſcopis vero ipſis, ſi quidquam ſimile pro futuro committerent, congruam comminatus eſt pœnam *): „Et quia his omnibus, quæ in reprehenſionem „veniunt, ſola excuſatio ignorationis obtenditur, cui nos interim ſolius „pietatis intuitu neceſſe eſt clementer ignoſcere; quicumque pœnitens, quicumque „bigamus, quicumque viduæ maritus, ad ſacram militiam indebite, & incompeten„ter irrepſit, hac ſibi conditione a nobis veniam intelligat relaxatam, ut in „magno debeat beneficio computare, ſi ademta ſibi omni ſpe provectionis „in hoc, in quo invenietur, Ordine perpetua ſtabilitate permaneat: ſcituri „poſthac omnium Provinciarum ſummi Antiſtites, quod ſi ultra ad ſacros „ordines quemquam de talibus crediderint aſſumendum, & de ſuo, & de „eorum ſtatu, quos contra canones, & interdicta noſtra provexerint, con„gruam ab apoſtolica Sede promendam eſſe ſententiam.“ Si ordinario diſpenſandi jure gaviſi fuiſſent Epiſcopi, itane Pontifex reſcribere potuiſſet? Aut jamne Siricius ante Iſidorianas decretales eſſentialia, & divina Epiſcoporum jura iniquiſſime violavit ? ?

§. 30.

Cum in quodam Italiæ Concilio ſtatutum eſſet, ne ad ullum eccleſiaſtici ordinis gradum reciperentur, qui jam in hæreſi fuiſſent; totius Africæ Epiſcopi huic *transmarino* Concilio, haud dubie a Papa ipſis notificato ita aſſurgebant, ut non ſibi id ſumſerint, quo hujus decreti temperamentum circa Donatiſtas recipiendos per ſe ipſos facerent, quamquam illi antiquiſſimus ſuæ Provinciæ uſus adverſaretur, & aperta diſpenſandi utilitas, niſi & neceſſitas in oculos incurreret. Quidquid ergo humanitatis, & indulgentiæ Donatiſtis concedendum putarunt, ab Epiſcopis Italiæ & maxime ab Anaſtaſio Papa ſibi exorandum ſtatuerunt **): „Placuit, ut litteræ mittantur ad

 Fra-

*) Epiſt. 1, Cap. 15.

**) Codex Can. Afric. apud Coletum Concil. Tom. 2, p. 1305.

„Fratres & Coëpiſcopos noſtros, & maxime ad Sedem apoſtolicam, in qua „præſidet Anaſtaſius.“ Memoratu digna eſt in hoc factum annotatio Thomaſſini, vel apud ipſos adverſarios pro meritis ſuis æſtimatiſſimi *): „Erat „Carthaginenſis Archiepiſcopi eminentiſſima quædam honoris, & poteſtatis „prærogativa ſupra omnes Epiſcopos Africanos, Primatesque, ſive Metro„politanos. Quidquid Patriarchis & Conciliis eorum diœceſanis, ſive uni„verſalibus juris inerat & Authoritatis, inerat & Carthaginenſi. Non alia „ſuæ libertatis, & antiquæ Authoritatis amantior, & retinentior fuit Ec„cleſia quam Africana. Et tamen ad Anaſtaſium P. illa confugit univer„ſa, ut hanc diſpenſationem eliceat, cum Auguſtino ſcilicet ſuo perſua„ſiſſima, quamquam omnes Epiſcopi in locum Apoſtolorum ſucceſſerint, & „quodam certo ſenſu ita Epiſcopi omnes, ſicut Apoſtoli omnes pares ſint, „penes Sedem tamen Petri longe cumulatiorem, quam penes ceteros quos„libet Epiſcopos authoritatis & poteſtatis vim reſidere.“

§. 31.

A ſcopo clariſs. Jungius aberrat, dum duos canones, ex Synodo Ancyrana unum, & alterum ex Nicæna excitat, qui Epiſcopis permittunt cum lapſis, & jam pœnitentibus, ſi viſum fuerit, humanius agere: haud enim Epiſcopis illam diſpenſandi poteſtatem negamus, quam expreſſa juris diſpoſitione acquiſiverunt. Ceterum illa quidem remiſſio mere pœnalis ſatisfactionis non omni ex parte quadrare videtur, cum obſervante Morino Eccleſia ſemper ſinceritatem, & veritatem pœnitentiæ potius, quam durationem, & ſeveritatem reſpexerit; hinc numquam abſolute, & omnimode determinata lex Eccleſiæ fuerit circa modum, & tempus ſatisfactionis, ita ut erga Pœnitentes *indulgentia* uti eſſet ipſa legis licentia, non diſpenſatio. Atque hanc quidem facultatem indulgentiæ, non tamen *plenariæ*, ſed cum reſtrictione canon Ancyranus V, & Nicænus XI Epiſcopis expreſſe attribuunt. Quid inde?

§. 32.

Merito deſperata videatur D. Jungii cauſſa, eoquod vel maximam vim in argumento multis ex capitibus incerto ponere nitatur. Eſt autem Ancyranæ Synodi canon IX vel X, quem apud Guilielmum Beveregium, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyterum **) cum græco idiomate collatum ita lego, prout & Gentianus Hervetus tranſtulit: "Quicumque Diaconi conſtituti in ipſa conſtitutione proteſtati ſunt, & dixerunt oportere ſe uxores ducere, cum non poſſint ſic

*) De Diſpenſ. Cap. 24, n. 6.

**) Synodicon, ſive Pandectæ canonum. Oxonii 1672.

„ſic manere ii, ſi uxorem poſtea duxerint, ſint in miniſterio, *eoquod hoc ſit „illis ab Epiſcopo conceſſum.* Siqui autem hoc ſilentio præterito, & in ordi„natione, ut ita manerent, ſuſcepti ſunt, poſtea autem ad matrimonium ve„nerunt; ii a Diaconatu ceſſent." Mirum, quantum Moguntiæ Profeſſor hoc canone pluribus adhuc obſcuritatibus involuto glorietur! „Hic aper„te præſumitur, ait, de ſe prohibitum fuiſſe Diaconis poſt ordinationem „matrimonium, quod tamen gravibus de cauſſis permittere poſſit Epiſcopus, „adeoque in lege illa prohibente diſpenſare: ubi enim ſola cum ſilentio ad„miſſa ordinatio inducit obligationem non nubendi, ejusque violatio pœ„nam, ibi eſt vera lex; & ubi pœna ceſſat, ſi acceſſerit permiſſio Epiſco„pi, ibi eſt vera legis relaxatio." Non ſatis adcurate a Doctore Moguntino Synodi verba hic referuntur. Concilium non dixit *gravibus de cauſſis*, ſed unicam nominavit eamque *expreſſam* repugnantiam in ordinatione contra cælibatum, neque *permitti* ab Epiſcopo poſſe, ſed tantum id fuiſſe factum, hoc eſt, *permiſſum*, quamvis & hoc nonniſi *interpretative.* Itaque

§. 33.

Huic adverſariorum Achilli ſequens oppono dilemma: Vel canon ille Ancyranus tantum ſtatutus eſt, ut retro ageret in jam præteritas Diaconorum ordinationes, vel ut eſſet etiam lex pro futuris Diaconorum ordinationibus. Priorem quidem illum ſenſum ipſa canonis verba, quæ ſemper de præterito loquuntur, inſinuare videntur. Tantum ergo duo ſunt, quæ inde neceſſario colliguntur, communem jam tunc fuiſſe in illis locis diſciplinam, ſaltem conſuetudinis, aut obſervantiæ; etſi forſitan non cujusdam poſitivæ legis, qua Diaconis matrimonium prohiberetur; & quosdam Epiſcopos hinc inde in Diaconos ordinaſſe, qui expreſſe proteſtati ſunt, ſe continentiæ ſervandæ pares non fore. Hoc Epiſcoporum factum admittimus, nec miramur, partim ob Eccleſiæ illo perſecutionum tempore neceſſitatem, dum eſſet Clericorum penuria, ad quorum ſtatum interdum juvenes cetera probi, vel inviti, & non ſine violentia adigebantur ſpe concepta, per ipſam ſtatus ſanctitatem fore in officio continendos, ita ſeculi quinti initio Syneſii exemplum docet; partim ob quorumdam in Oriente Epiſcoporum ignaviam, qui teſte S. Epiphanio etiam Presbyteris liberos facere permiſerant, forte multo facilius Miniſtris uxorem ducere & iis quidem Diaconis, quos tantum ex neceſſitate ordinaverant contra continentiam proteſtatos, queis non ſine injuria videretur impoſita. Facta hæc Epiſcoporum vel ex bona præſumtione, vel ex culpabili ignavia non negamus, ſed hæc eſſe legitimæ diſpenſationis exempla pernegamus. Certe in Antiochena præſertim Provincia inde a Paulo Samoſateno continentiæ clericalis diſciplina grave vulnus eſt paſſa: Clerici enim non ſolum utebantur uxoribus, ſed novas etiam

etiam ducebant, ut ex hac Ancyrana Synodo, & altera Neocæſareenſi ejusdem anni 314 patet. Hoc vulnus curaturi Ancyræ Patres generaliter Diaconos, qui uxorem duxerant, ab officio removent, ex æquitate tamen mitius agunt erga eos, quos utpote invitos ab Epiſcopis juſte non potuiſſe ad tam grave jugum continentiæ obligari cenſent, atque ideo in miniſterio manere permittunt potiſſimum, ut factis Epiſcoporum parcerent, ne ea forte cum ſcandalo effectu fruſtrarentur. Siqua hic diſpenſatio, potius nunc a Synodo, & in gratiam Epiſcoporum, quam antea ſingularibus Epiſcopis data eſt, qui continentiæ onus Diaconis, aut *nullatenus* relaxare volebant, aut *male*. Ceterum non ſolum ante Ancyranam Synodum, ſed etiam poſthac usque ad Nicœnam de continentia Diaconorum adeo lex *poſitiva* univerſalis non extitiſſe videtur, ut nequidem diſciplina *obſervantiæ* apud Orientales uniformis fuerit; nam in Neocæſareenſi Synodo tantum Presbyteris expreſſe can. I matrimonium prohibetur.

§. 34.

Atqui *expreſſam* legem, quæ jam ante Synodum Ancyranam Diaconis nuptias interdixerit, jactitat D. Jungius, & quidem ex Apoſtolorum canonibus, conſtitutionibus, nec non Paphnutii in Nicæno Concilio dictis. Miror Moguntiæ Profeſſorem noſtris his illuſtratis diebus non vereri æque ſuſpectas merces, ac illæ ſunt Iſidorianæ, in forum producere: eruditis enim Criticis, ut Vaneſpenius docet, communis hodie ſententia eſt, tam parum canones illos Apoſtolorum eſſe, quam famoſas Decretales Pontificum Anteſiriciorum. Si quis ex Romano-Catholicis, vulgo *Tranſalpinis* has Decretales amplius excitaret, Superi! quantum clamoris! — Sed idem ille ſic dictus Apoſtolorum canon XXVII, ad quem clariſs. Jungius provocat, quinto nondum ſeculo ubique notus fuit, aut receptus: Concilium enim Chalcedonenſe tantum ait can. XIV, *in nonnullis provinciis* conceſſum eſſe Lectoribus, & Cantoribus uxores ducere. Quod dictum de Canonibus Apoſtolorum, valet pariter de Conſtitutionibus: & Paphnutius in Nicæno Concilio non utique *poſitivum* canonem; ſed *veterem Eccleſiæ traditionem* allegat, eamque non probat ubique locorum uniformem, & conſtantem fuiſſe. Ubinam ergo exemplum epiſcopalis diſpenſationis ante Ancyranam Synodum?

§. 35.

Quod ſi ad alteram Ancyrani canonis explicationem confugere D. Jungio placeat; ut Epiſcopis pro futuro liceret Diaconos in lege continentiæ diſpenſare; jam quidem ipſe animadvertet, extra rhombum ſe verſari: neque enim nos Epiſcopis negamus diſpenſandi poteſtatem expreſſa juris diſ-

poſitio-

poſitione illis adjudicatam, vel legitima ſolum conſuetudine acquiſitam. Verumtamen ſi is ſit Ancyrani canonis ſenſus, illum ſane probare hodie non poſſumus; cum certum ſit, eumdem non ſolum in latina Eccleſia, ſed etiam in ipſa græca numquam fuiſſe receptum, probatumve. Paucis enim poſthac annis Socrate teſte Paphnutius in Concilio Nicæno voluit Clericos, etiam Diaconos ad abſtinendum a nuptiis ſecundum veterem traditionem eſſe obligandos. Ipſe denuo Vaneſpenius obſervat, hoc poſteriori ſenſu canonem Ancyranum ab aliis Eccleſiis non fuiſſe acceptatum: idem Balſamon, Zonaras, aliique græci canonum interpretes teſtificantur. Certe ſi obſervantia hic canon apud Græcos invaluiſſet, Trullana Synodus non ſtatuiſſet, deponi Diaconos debere, qui poſt ordinationem matrimonium contraxerint. Forſitan ergo, ſi tamen Ancyranus hic canon pro futuro umquam valere debuerit, uti ſanior, ita verior quoque ejusdem interpretatio eſt, qua eum aliqui cum Martino Bracarenſi Eccleſiæ romanæ ſtudent reconciliare, ſicut in altero meo Programmate *de Conjugio Sacerdotibus permittendo* p. 25 indicavi: „Ita, ut verba illa de ordinandis Diaconis, ſi qui continere ſe nolint, in *miniſterio maneant*, ſenſum dent, in eo gradu miniſterii, *in quo* „*ſunt*, permaneant, eoquod ab Epiſcopo permiſſi ſunt ſibi, ſcilicet ſuæ libertati ad altiorem gradum aſcendendi, vel non aſcendendi, prout græco „originali textu exprimitur: διὰ τὸ ἐπιτετράφθαι αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ ἐπισκόπου. „Si qui vero tacita continentiæ profeſſione cum Diaconatu conjuncta manuum „impoſitionem (quæ expreſſio de prioribus non adhibetur) acceperint, & „poſtea uxorem duxerint, ab *omni* Clero, ſeu miniſterio, etiam priori gradu „inferiore removeantur." Quid infirmius adverſariorum argumento ex hoc Ancyrano canone?

§. 36.

Si ad remiſſionem ſatisfactionis pœnitentibus indultam vellem redire; ex ſeculo quinto indulgentiæ *plenariæ*, tantum a ſummis Pontificibus conceſſæ inſignia elucerent exempla, eoquod in univerſalibus etiam Conciliis ne collecti quidem Epiſcopi, ſed ſoli Pontifices pœnitentibus ſatisfactionem, eamque totam condonaverint, uti in Epheſina Synodo Cœleſtinus P. Neſtorianis redeuntibus, in Chalcedonenſi Leo M. ipſi Eutycheti, dummodo ſincere ab errore reſipiſceret. Vide Thomaſſinum ſæpe jam excitatum. Cum vero idem alias licet doctiſſimus Author quandoque dormitet, in ſpecie circa ordinationes, & translationes Epiſcoporum, quarum diſpenſationes veteri jure ad Concilia provincialia putat pertinuiſſe; ego quidem in exempla ab ipſo allata *) dili-

*) Vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. Tom. 2, Lib. 2, Cap. 55, 56, 60, 61. Lib. 3, Cap. 24.

diligentius inquiſivi: at nullum plane, nec unum inveni propriæ diſpenſationis in lege univerſali datæ ab Epiſcopis exemplum; plura vero a ſummis Pontificibus vel conceſſæ vel denegatæ diſpenſationis. Duo tantum proferam.

§. 37.

Perigenes Corinthi mundo natus, & Deo renatus, ejusdemque Eccleſiæ Clero adſcriptus totius Provinciæ Synodo approbante ordinatus eſt Patrenſium Epiſcopus; ſed a plebe illa repulſus, ad Corinthios redux brevi poſtea ab iisdem Sede vacante ad Epiſcopatum aſſumtus eſt. Nonnulli religione ducti verebantur, ne hac poſtulatione canones Eccleſiæ violarentur, qui Epiſcoporum translationes vetabant. Si tunc perſuaſio fuiſſet, canones relaxandi facultatem in Epiſcopis reſidere; nihil videri poterat convenientius, faciliusque, quam eamdem a Primate Theſſalonicenſi petere. Sed illa adhuc ætate Eccleſiæ vel dubiis in cauſſis ſine Pontificis præſcitu nihil ſuſcipere tentabant. Igitur Corinthii Sedem apoſtolicam precibus adierunt, ut ejus Authoritate voti ſui compotes fierent. Bonifacius P. etſi æquam illorum petitionem judicaret, miratus tamen nullas Rufi Theſſalonicenſis adjunctas litteras, illis reſcribere noluit, ut & apoſtolicæ Sedis Authoritas, ne forte quid immaturum faceret, & delegato Primati honorificentia ſervaretur. Dum vero Rufus ſuum de Perigene teſtimonium dedit petentium deſideriis omnino conforme; tunc Pontifex miſſa ad eumdem altera epiſtola Perigenem Corinthiorum Epiſcopum Authoritate ſua confirmavit.

§. 38.

Nundinarius Barcinonenſis Epiſcopus paulo ante mortem ſuam percupere ſe ſignificavit, ut ſibi Succeſſor daretur Irenæus alterius in Hiſpania urbis Epiſcopus, quem & hæredem ſibi adoptaverat. Ea videbantur utriusque Præſulis merita, ut non populus tantum, Clerusque Barcinonenſis conſenſum darent, ſed & Metropolitanus cum Provinciæ Epiſcopis. Num vero propria quoque Authoritate legem eccleſiaſticam relaxare audebant, quæ deſignationem, & translationem Epiſcopi prohibuerat? Cauſſæ quidem diſpenſandi manifeſtæ, graviſſimæque aderant, duorum Epiſcoporum merita, petentium nobilitas, & multitudo, Eccleſiæ utilitas, nec non & ſpecialis cauſſa, quod Irenæi Epiſcopatus in loco ſitus eſſet Barcinonenſi Eccleſiæ obnoxio, ubi non ſine aſſenſu provincialium Epiſcoporum jam erat ordinatus. Hæ cauſſæ in Synodo Metropolis Tarraconenſis libratæ, ac juſtæ fuerant inventæ, ut rata haberetur deſignatio, & translatio Epiſcopi. Nihilominus cum gravior hæc cauſſa eſſet, ſecundum Eccleſiæ canones ad ſupre-

ſupremum Caput referenda; Metropolitano, & Concilii Patribus viſum, neceſſario ſibi adeundam eſſe Petri Sedem, ut ſua decreta illic adprobarentur: hinc ad Hilarium P. litteras mittunt reverentia plenas hisce verbis *): *Suppliciter precamur Apoſtolatum veſtrum ut humilitatis noſtræ decretum, quod juſte a nobis videtur factum, veſtra Authoritate firmetis.* En præclarum ſanctæ illius diſciplinæ exemplum, imitatione hodierna dignisſimum, ſed amplius eventum mirare! Res ſecus cecidit, ac Hiſpaniæ Præſules tantis rationum momentis ducti expectabant, ipſorum decreta juſſu Pontificis reſciſſa, præceptumque, ut inviolata fide canones obſervarentur. Ad Aſcanium Metropolitam, ſeu Primatem reſcripſit Hilarius, ut mox juberet ad Eccleſiam ſuam, remeare Irenæum, idque illi ex indulgentia concedi, qui tamquam Nicæni canonis contemtor foret deponendus. Num putas, amice Lector! Hiſpaniæ Primatem ceteroſque Præſules huic inopinato Pontificis reſponſo fuiſſe indignatos, ſuamque diſpenſandi poteſtatem prætendendo refragatos, ut Febronius quidem conſilia ſuggerit? Cogita, num antiquis illis temporibus minor fuerit ſummæ Sedis Authoritas, & minor erga eamdem Epiſcoporum reverentia? quænam diſciplinæ mutatio inſtituenda ſit, ſi ad ſancta illa tempora, quod optandum, foret reformanda? an veteri obſervantiæ Iſidoriana, nonne potius Gerſoniana, & noviſſime Febroniana principia vulnus, — utinam non lethale, — inflixerint???

§. 39.

Quid! quod illorum temporum exemplis adeo oſtendi non poſſit ſingularium Epiſcoporum poteſtas circa relaxandos Eccleſiæ canones, ut eadem etiam expreſſis prohibitionibus demonſtretur negata. Ita Innocentius I, cum ad declinandum ſchiſma Epiſcopis Macedoniæ permiſiſſet a Bonoſo ordinatos ex venia, & humanitate ad functiones ſuorum ordinum admittere, reſcripſit **): „Jam ergo, quod pro remedio, ac neceſſitate temporis ſtatutum „eſt, conſtat primitus non fuiſſe, ac fuiſſe regulas veteres, quas ab Apo„ſtolis, vel ab apoſtolicis viris traditas Eccleſia romana cuſtodit, cuſtodien„dasque mandat his, qui eam audire conſueverunt. — Quod neceſſitas pro „remedio invenit, ceſſante neceſſitate debet utique ceſſare. — *Advertite, „quod neceſſitas impetravit, in pace jam conſtitutas Eccleſias non poſſe præ„ſumere.* Sed, ut ſæpe accidit, quoties a populis, aut a turba peccatur, „quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolet „tranſire: priora dimittenda dico Dei judicio, & de reliquo maxima ſolli„citudine præcavendum." Cœleſtinus P. ſevere monuit Epiſcopos, ne quem-

*) Hilar. Epiſt. 2. **) Apud Couſtant. Epiſt. 17, n. 9.

quemdam de Laicis contra canones promoveri ad Epiſcopatum finerent *): „Nulli Sacerdotum ſuos liceat ignorare canones, nec quidquam facere, „quod Patrum poſſit regulis obviare. Quæ enim a nobis res digna ſer„vabitur, ſi decretalium norma conſtitutionum pro aliquorum libitu, li„centia populis permiſſa frangatur? Audivimus quasdam civitates Epiſ„copos ſibi petere velle de Laicis — Talibus, Fratres chariſſimi: qui ju„ris noſtri, id eſt, canonum gubernacula cuſtodimus, neceſſe eſt obviemus, „*hisque fraternitatem veſtram epiſtolis commonemus, ne quis Laicum ad or„dinem Clericatus admittat.*“ S. Leo factas ab Epiſcopis ordinationes bigamorum, & incontinentiæ macula infamium omnes declarat irritas, ac pro futuro diſciplinæ cuſtodiam inculcat **): „Non levi nos mœrore contriſtat quoties aliqua contra conſtituta canonum, vel eccleſiaſticam diſci„plinam præſumta, vel commiſſa cognoſcimus. quæ, ſi non qua debemus, „vigilantia reſecemus, illi, qui nos ſpeculatores eſſe voluit, excuſare non „poſſumus, permittentes ſincerum corpus Eccleſiæ, quod ab omni purum „macula cuſtodire debemus, ambientium improba contagione fœdari. — — „*Si quis fratrum contra hæc ſtatuta venire tentaverit, a ſuo ſe noverit officio „ſubmovendum, nec communis noſtræ futurum eſſe conſortem, qui ſocius eſſe „non voluit diſciplinæ.*“ Hilarius P. contra provinciales Epiſcopos ſtomachatur, quod Eccleſiæ canones relaxare præſumſerint, jubetque ***). „Ut „nulli fas ſit, *ſine ſtatus ſui periculo* vel divinas conſtitutiones, vel apo„ſtolicæ Sedis decreta temerare, quia nos, qui potiſſimi Sacerdotis admi„niſtramus officia, talium transgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſſis Dei „deſides fuerimus inventi.“ Gelaſius P. inexorabilis ſtat pro canonum defenſione, ne Epiſcoporum licentia diſſolvantur ****): „Cum nobis contra „ſalutarium reverentiam regularium cupiamus temere nihil licere, & cum „Sedes apoſtolica ſuper his omnibus favente Deo, quæ paternis canonibus „ſunt præfixa, pio devotoque ſtudeat tenere propoſito; ſatis indignum eſt, „quemquam vel *Pontificum*, vel ordinum ſubſequentium hanc obſervatio„nem refutare, quam B. Petri Sedem ſequi videat, & docere: ſatisque „conveniens ſit, ut totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſervatione con„cordet, quam illic vigere conſpiciat, ubi Dominus totius Eccleſiæ poſuit „Principatum.“ Si qua virtus *tolerantia* eſt; quis eam recentiorum Pon„tificum non commendet præ illa veterum Anteiſiodoriana erga Epiſcopos „ſeveritate?

§. 40.

*) Epiſt. 5 ad Epiſcop. Apuliæ, & Calabriæ. **) Epiſt. ad Epiſcop. Italiæ.
) Ad Epiſcop. Hiſpaniæ. *) In Decretis. C. 9.

§. 40.

Satis quidem illuſtria hæc priorum quinque ſeculorum documenta ſunt, quæ *generalem* diſpenſandi poteſtatem non penes provinciales Epiſcopos in Synodo congregatos, minus penes ſingulares fuiſſe conteſtantur. Reſtat, ut ultimo loco in facta hiſtorica indagem de diſpenſationibus *ſpecialiter* circa matrimonii impedimenta. Atque hoc præcipue loco cum doctiſs. Thomaſſino velim obſervari, eum fuiſſe veteris Eccleſiæ ſpiritum, ut, ſi quæ forſitan darentur diſpenſationes, eæ omnes tunc concederentur, poſtquam jam in canones peccatum fuerit, & quando emendatio, aut pœna luctuoſior Eccleſiæ, quam ipſum peccatum eſſe potuerit. Sexto ſeculo primum occurrit exemplum diſpenſationis pro ineundo matrimonio a S. Pontifice Gregorio M. conceſſæ: bonus enim Paſtor, ne Anglorum gentem noviter ad fidem converſam nimii rigoris metu a via ſalutis abſterreret, leges eccleſiaſticas matrimonii mitigendas cenſuit, & lac adhuc parvulis dandum, usque dum temporis progreſſu ſolidioris cibi fierent capaces: hinc in ſexta ad Auguſtinum reſponſione Neoconverſis hisce ad tertium usque cognationis gradum diſpenſavit. Hanc ſextam Gregorii reſponſionem Moguntini Cenſores *menſtrui* in ſuo pontificiæ Bullæ ad Rudiſs. Archiep. Colonexamine *) neſcio, an per ignorantiam, an mala fide commiſcent cum ſeptima, qua Pontifex tantum per tolerantiam matrimonia etiam in gradibus jure divino prohibitis jam contracta ita vult permitti, ut conjuges propterea communione ſancta non priventur, ſed per Sacerdotum inſtructionem metu divini judicii ad ſpontaneam ſeparationem perſuadeantur. Huic, inquam, ſeptimo Pontificis reſponſo, quod non jam legis diſpenſatio, ſed facti illiciti tolerantia eſt, Moguntini aliud, quodammodo ſimile opponunt Epiſcoporum in Synodo Aurelianenſi de a. 538 decretum, can. X: „De inceſtis conjunctionibus ita, quæ ſunt ſtatuta, ſerventur, ut hi, qui aut „modo ad Baptiſmum veniunt, aut quibus Patrum ſtatuta ſacerdotali præ„dicatione antea in notitiam non venerunt (ita pro novitate converſionis, „ac fidei ſuæ credimus conſulendum) ut contracta hucusque hujusmodi con„jugia non ſolvantur.“ Primo intuitu quisque perſpicit, non hic de diſpenſatione agi contrahendi matrimonii, ſed de non ſolutione jam contracti, & ex jure naturæ validi, quippe quod ante Baptiſmum, aut ſaltem in legis ignorantia, eaque invincibili fuit initum: ita Gallicanus Doctor Tournelius **).

§. 41.

*) Eccleſiaſtici iſti Cenſores, & publici, ut fama fert, Doctores in Sede Metropolitana tam irreverenter & atrociter, adverſus ſanctam apoſtolicam Sedem debacchantur, ut non ſupra Febronius, forſitan, ſi hodie viveret, nec Lutherus.

**) De Sacram: Matrim. Quæſt. 8 de Affinitate carnali.

§. 41.

Moguntini aliud ejuſdem ſeculi factum ex Gallia producunt. Prætextatus Archiepiſcopus Rothomagenſis teſte Gregorio Turonenſi in ſecundo affinitatis gradu Principem Meroveum diſpenſaverit. Sed hiſtoriam rei placet ex Fleurio referre *). Chilpericus Rex Galliæ a Regina contra Prætextatum incitatus eumdem in Pariſienſi Concilio 45 Epiſcoporum multiplici ex capite accuſavit, inprimis quod Meroveum Principem cum affine ſua matrimonio junxerit. Ea, quæ Rex objiciebat, ut Fleurius narrat, Prætextatus *inficiabatur*. En uno verbo ſolutum, ſectumve nodum! Verum dato etiam, quod primum hoc accuſationis caput Epiſcopus fuerit confeſſus? quid inde, niſi *irregulariter factum* probatur? Nonne propterea, quod canones fregerit, reus agebatur? num factum hoc, tamquam epiſcopalis juris exercitium defendit Gregorius Turonenſis? abſit, tantum is coram Rege ita Prætextati cauſſam tuitus eſt, ut ille non contra Eccleſiæ canones condemnaretur: nam ipſe Rex ſimulatorium Proceſſum fatebatur. Egregie huc ſpectant, quæ doctiſs. Chardon ſcripſit **): „Verum eſt, „quod plures inter Principes illicita matrimonia contra leges Eccleſiæ con„traxerint, ſed non invenitur, quod illa manus ſuas dederit, vel diſpen„ſationem conceſſerit. Quodſi quidam Epiſcopi interdum fecerint ex Prin„cipum metu, vel complacendi ſtudio; per Confratres ſuos vituperati, & „a ſancta Sede correcti ſunt, quæ in pluribus occaſionibus ſtrenue ſe oppo„ſuit, ut ſanctitatem conjugiorum ſervaret, & regulas a Patribus hac ſuper „re ſtatutas obſervari faceret.“

§. 42.

Juvat Moguntinos Scriptores in hiſtoriam Gallicanæ Eccleſiæ, qua immerito gloriantur, amplius introducere. Ita Natalis Alexander narrat ***) „Cum Robertus Rex Francorum Bertham conſanguineam ſuam duxiſſet: „uxorem, graviter ipſum reprehendit Gregorius V, nec non Epiſcopos, „qui illicito matrimonio præbuerant aſſenſum, Synodumque Romæ congre„gavit a. 998, in qua de hujusmodi conjugio diſſolvendo actum eſt. Octo „canones in ea editi. Primo ſtatutum, ut Robertus Rex Bertham, quam „contra leges uxorem duxerat, dimitteret, ac ſeptem annorum pœnitentia „crimen expiaret ſub pœna anathematis: Bertha eidem pœnitentiæ addicta. „Secundo Erchenbaldus Archiepiſcopus Turonenſis, qui ipſos conjunxerat, „& Epiſcopi, qui his nuptiis interfuerant, atque conſenſerant a commu„nione ſuſpenſi, donec ad Sedem apoſtolicam ſatisfacturi venirent.“ Anne Archi-

*) Ad an. 577. §. 42.
**) Hiſtorie des Sacremens. Tom. 6, pag. 446
***) Hiſtor. eccleſ. Tom. 6, C. 1, Art. 25.

Archiepiſcopus Turonenſis, aliique Galliæ Epiſcopi ſuam diſpenſandi poteſtatem, ceu jure divino ſibi propriam contra Pontificis decretum prætenderunt? aut num tota Gallicana Eccleſia, quam plenis buccis ſolent adverſarii deprædicare, jurium ſuorum ignara fuit? ubinam ergo tunc Eccleſia, ſi neque in Gallia extitit, quæ veritatem divinæ inſtitutionis circa epiſcopalem poteſtatem agnoviſſet? Nonne diaboli fraudibus, id eſt, Iſidori decretalibus, quæ pejores fuerint omni hæretico veneno, corruptam, deceptamque dici oportet univerſam Eccleſiam? bella reformatio epiſcopalis jurisdictionis! ita quam proxime ſicut in Anglia, etiam in Germania ſectam *Epiſcopalium* haberemus.

§. 43.

Eodem narrante Hiſtorico Philippus Galliæ Rex, qui primum Bertham Florentii Hollandiæ Comitis filiam in matrimonium duxerat, huic poſtea repudium dedit affinitatem cauſſatus, pro ea vero Bertradam Fulconis Andegavenſium Comitis uxorem conſanguinitate ſibi junctam rapuit, ſibique copulavit *quibusdam Epiſcopis adprobantibus*, qui favorem Regis divinis, & eccleſiaſticis legibus præpoſuerant. Ivo Charnotenſis, & alii priſcæ integritatis Antiſtites nuptias inceſtas, & adulteras palam improbarunt, earumque celebritati intereſſe recuſarunt. Tanti ſcandali certior factus Pontifex Urbanus II ſcripſit ad Galliæ Epiſcopos præcipiens, ut Regem commonerent, & niſi reſipiſceret, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſeveritatem in eum exercerent. Pontifex ipſe a. 1094 in Concilio Claromontano præſens Philippum Regem, & Bertradam pellicem de ſententia Patrum excommunicavit, regiaque corona privavit. Tanta tunc fuerat Pontificis vel in Gallia Authoritas! Epiſcopi iidem, vel ejusdem farinæ fuerint, qui ſicut Philippi Regis cum Bertrada, ita Comitis Meduani filiæ cum ſuo cognato Comite Moritonio conjugium probaverint. Male facta in exemplum trahi non debent. Ceterum, quod Moguntini allegant factum ex Hildeberti Cenomanenſis Epiſtola 34; cum apud nos rarior Benedictini Beaugendre editio, mihi ad manus non ſit, in Spicilegio d'Agery, atque etiam apud Ceillier *) fruſtra quæſivi, qui poſterior tamen omnium epiſtolarum contenta extraxit.

§. 44.

Sunt tamen Moguntinis ſumme memorabilia, quæ apud laud. Ceillier in epiſtolis Hildeberti Cenomanenſis Epiſcopi dein Turonenſis Archiepiſcopi inveni. Is ab Archidiacono Diœceſis Sæginenſis conſultus, an liceret viduæ in maritum accipere fratrem prioris ſui viri, quocum antea numquam cohabi-

*) Hiſtorie générale des Autheurs ſacrées, & eccleſiaſtiques. Tom. 21.

Digitized by Google

cohabitaverat; neutiquam id licere reſpondit, quoniam matrimonii eſſentia non in conſummatione, ſed in ipſo contractu ſita eſſet Lib 2, Epiſt. 1. Archidiacono hac reſponſione non contento Hildebertus ad ejus Epiſcopum alteram dedit epiſtolam, ut ille vetitas nuptias interdiceret, nequaquam vero quamvis magna adeſſet ratio, ut Epiſcopus ſaltem diſpenſationem concederet, quæ pro illius temporis diſciplina nec ab ipſo Pontifice danda ſperabatur. Poſtea. a. 1103 ad Archiepiſcopum Rothomagenſem ſcripſit de matrimonio in gradibus cognationis prohibitis, quod nullatenus permittendum eſſet, etſi bellum hoc modo impediretur, quia malum non licet facere, ut bonum inde naſcatur: ergo malum facinus eſſe judicavit, ipſique Archiepiſcopo prohibitum eccleſiaſticas leges violare, etſi cauſſa diſpenſandi graviſſima foret. Epiſt. 14 *).

§. 45.

*) Interim ex Operibus a D. Anton. Beaugendre Pariſiis 1780 editis communicatam accepi hanc ipſam Hildeberti epiſtolam a Moguntinis excitatam, & ad Archiepiſcopum Rothomagenſem ſcriptam: hæc eſt: „Sicut Sanctitatis veſtræ pagina denunciat, filia „Walteri de Meduana Comitis de Moritonio ſanguine proxima prædicatur. Prius au„tem, quam præfatas perſonas matrimonii vinculum adſtringeret, idem Walterus con„ſanguinitatem mihi ſubmurmurans, quid ſentirem, cautius exploravit, bonum ſibi „videri, ſi bellum, quo diutius Comes in eum deſævierat, intervenientis conjugii „charitas terminaret. Addidit praterea, Vos, veſtrosque Comprovinciales ei ſcripto „confirmaſſe, compendio pacis, & quietis *tolerandum* conſanguinitatis piaculum. „Unde & aſſenſum Cenomanenſis Eccleſiæ futuris nuptiis poſtulavit, ut ejus quoque „Authoritate conjugio filiæ ſtabilitatem acquireret, ſi quando ei libellus repudii ſcri„beretur. Mihi autem nec extorqueri aſſenſus, nec perſuaderi potuit, prudentiam veſ„tram in eorum ſimplicitatem deſcendiſſe, quos redarguit Apoſtolus dicentes: *Facia„mus mala, ut veniant bona.* Super his ergo, quod ad me pertinuit, *ſollicitus* fui; „petenti aſſenſum diſſenſum nunciavi, nullius diſpenſationis intuitu permittens conſan„guineos, aut affines inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Huic autem connubio „usque ad diſſidium reſiſtere, illius erit ſollicitudinis, ad cujus Parochiam nupta demi„graſſe cognoſcitur. Conſervet vos Dominus, Pater ſancte!" — Ex qua Epiſtola hæc colliguntur. *1mo.* Si quid provinciales Epiſcopi promiſerint, tantum *tolerantia* fuit conſanguinitatis piaculi. Non enim piaculum fuiſſet, ſed res licita, ſi diſpenſandi veram poteſtatem habuiſſent. *2do.* Ipſe Comes Walterus parum fiduciæ in hac Promiſſione poſuit, cum metueret ſuæ filiæ libellum repudii dandum: ergo perſuaſio tunc fuit, firmam id concedendi poteſtatem nequidem in totius Provinciæ Epiſcopis, minus penes ſingularem quemlibet eſſe. *3rio.* Hildebertus fidem non habuit Comiti permiſſionem Epiſcoporum aſſerenti, ſed illicitam judicavit & malum facinus. *4to.* Imo nuptias etiam contractas, tamen invalidas enunciavit, & epiſcopalis, ſeu parochialis ſollicitudinis eſſe ſic nuptam a viro ſeparare. *5to.* Revera veroſimile non eſt Archiepiſcopum Rothomagenſem id antea promiſiſſe, aut certe poſtea de valore ſuæ promiſſionis dubitavit, ſecus conſilia Hildeberti litteris non petiiſſet, Conſultius hoc exemplo ſuæ cauſæ contrario Moguntini abſtinuiſſent.

Digitized by Google

§. 45.

Porro jam Archiepiſcopus factus idem Hildebertus a. 1127 Concilium provinciale Nanneti celebravit, in quo pro reformatione diſciplinæ varia ſunt ſtatuta, ſed ea fideliter pro adprobatione ad Papam Honorium II transmiſſa: Epiſt. 30, 31. Sic in Gallia vetus regula ſervabatur, *ut abſque romani Pontificis conſenſu nihil in Eccleſiis decernatur.* Demum cum Epiſcopus Claromontanus Hildebertum Metropolitam conſultaſſet de Presbytero, qui furem ſuæ vitæ minitantem occidiſſet, reſpondit ſibi quidem videri, hunc ad ſacras functiones non amplius eſſe admittendum, *ſe tamen in ſimili caſu deciſionem ſanctæ Sedis exploraturum.* Epiſt. 43. Tantam reverentiam vel primi Galliæ Archipræſules ſemper erga apoſtolicam Petri Cathedram fovebant: tantum aberant a præſumtione Eccleſiæ canones propria Authoritate relaxandi *).

§. 46.

Alia occurrit in rem ex Galliis Hiſtoria. Philippus II, vulgo Auguſtus a. 1193 Indeburgin Canuti Danorum Regis ſororem ſibi in uxorem duxerat, ſed poſtridie ejusdem faſtidio affectus novam appetiit conjugem. Ut divortio honeſtæ rationis ſpeciem obduceret, romano Pontifici per Oratores ſuggeſſit, ſubreptione quadam ſe affinem duxiſſe, vinculi utpote illegitimi ſolutionem poſtulans. Papa judices ex Clero Gallicano delegavit addito hoc mandato, ut cauſſam ſecundum canones ſevere, ac integerrime judicarent. Illi vero favorem Regis captantes aſſerta juramento a duobus Epiſcopis affinitate matrimonium diremerunt, aliamque Regi uxorem, nomine Mariam Ducis Bohemiæ filiam junxerunt. Indigne ferens ſororis injuriam Rex Daniæ apud Cœleſtinum III conqueſtus eſt. Pontifex duos in Galliam Legatos miſit, qui Regi Authoritate apoſtolica denunciarent, ut a conſuetudine Mariæ ſibi temperaret, prioremque conjugem in aulam revocaret. Concilium hac ſuper re Pariſiis habitum, ſed corruptis tam Epiſcoporum, quam Abbatum comprovincialium animis irrita fuit Legatio. Quare Pontifex ad Michaëlem Senonenſem Archiepiſcopum reſcribens, Synodique acta rejiciens Gallis exprobravit, quod ante tam gravis negotii deciſionem ſanctam Sedem non conſultaſſent, quamvis ad eamdem omnes cauſſæ majores ſecundum firmam

*) Alium jam morem ſibi eſſe, Moguntini Scriptores ultro fatentur, quantum recordor, in oppreſſione divitis Carthuſiæ ſe quidem ad Papam ſcripſiſſe, ſed hujus *deciſione* non exſpectata rem interim *executioni* dediſſe: & in hoc quidem gloriantur. Velim, ut hujus facti vel ex antiqua, vel ex Gallicana Eccleſia exemplum proferant. In eadem item lectu digniſſimæ animadverſiones D. Schlettwein, proteſtantici jurisconſulti jam notæ ſunt.

mam canonum regulam, *ab Eccleſia Gallicana ſemper obſervatam* referri deberent. Vide apud Chardon *). Hæc ergo antiqua Galliæ diſciplina, inde a Sardicenſi Synodo fideliter obſervata, qua matrimoniales cauſſæ merito inter graviores cenſebantur. Si quid ſibi circa matrimonii impedimenta olim Epiſcopi licitum putarunt, ut idem Galliæ Scriptor obſervat p. 447: „Erat „tunc ſolum, ſi cum impedimento partibus incognito jam eſſet contractum „matrimonium, ita, ut non poſſent amplius ſine gravi ſcandalo ſeparari.“ Quam verius *neceſſitatis* œconomiam, ſive tolerantiam dixeris, quam *diſpenſationem.*

§. 47.

Quænam ſecundum recentiorem Galliæ diſciplinam poſt Concilium Tridentinum in matrimonii impedimentis Epiſcoporum ſit poteſtas, ex illorum Synodis datur intelligi. Cabaſſutius nos ita docet **): „In Synodo Turo„nenſi a. 1583 convenientes omnes hujus amplæ Provinciæ Antiſtites, qui„bus præſidebat Simon a Maillé Turonenſis Archiepiſcopus, ſic decernunt: „*In quarto conſanguinitatis & affinitatis gradu, nec non cognationis ſpiritua„lis prohibitis gradibus Epiſcopis diſpenſare non licere declaramus.* His con„cordat alterum provinciale Concilium Toloſanum a. 1590 his verbis: *Quos „cognationis gradus impedit, niſi viſa prius ſummi Pontificis diſpenſatione, in „matrimonii conjunctionem Parochi non recipiant.*“ Albæ gallinæ filios oportet eſſe Moguntinos criticos, quibus aliquid vitii in his Conciliis ſuboluit, quod perſpicaciſſimi Galliæ Præſules nondum viderunt. Horum Anteceſſores ad normam antiquiſſimæ regulæ, *ut ſine Pontificis conſenſu nihil in Eccleſiis decernatur*, ſtatuta ſua cum apoſtolica Sede communicarunt: id ipſum nunc crimini vertitur ſanctæ Sedi, quod in his ſtatutis aliqua non tam emendarit, quam vitiarit. Ergone Gallicani Præſules brevi poſt Tridentinum Concilium ſic repente cæcutierint, ut violata ſua jura non agnoverint, aut ſic muti canes fuerint, ut contra canonem ſuo nomine, & cum injuria ſibi obtruſum non reclamarint? Finge hoc, ſi placet, nonne ſaltem jam ſufficit, canonem hunc a Gallicanis Epiſcopis eo tempore, quo Tridentinum in recentiſſima erat memoria, fuiſſe acceptatum, & hodiedum tranquille obſervari? Moguntini autem illi Concilium exigunt, cui neque Cardinalis, neque pontificius Legatus præſideat: numquid etiam Concilium, cujus notitiam habere Papæ non liceat? Suſpecta res illorum eſt, qui ſupremi Capitis conſcientiam refugiunt. Id, qui velint, non Galliam certe, neque Germaniam catholicam, neque veterem Eccleſiam ſecum ſentientes habebunt. Longe antiquior Iſidoro,

*) Tom. 6 de Matrim. Cap. 10.

**) Notitia eccleſ. Hiſtor. ad Secul. 16.

Digitized by Google

doro, ipſis Socrate, & Sozomeno antiquior eſt Catholicorum regula: *Ne absque conſenſu ſummi Pontificis quidquam ab Eccleſiis decernatur.*

§. 48.

Hæc de' gallicana circa matrimonii diſpenſationes diſciplina. De Germaniæ Eccleſia ex duodecim primis ſeculis, nonniſi unum, unicum exemplum Moguntini producunt. Documentum apud illuſt. Hontheimium occurrit *), quo Poppo Trevirenſis conſultis antea Archiepiſcopis Moguntino, & Colonienſi cognationis diſpenſationem Advocato Thietfrido pro quodam prædio a. 1036 conceſſerit. Multa in hoc diploma obſervatu digna veniunt. 1mo Cum Browerus **) non ipſum documentum, ſed breviorem dumtaxat extractum proferat, & prior Hontheimii fides per Febronium jam vacillet, jure exigi authentica inſpectio poſſet, eo magis, quo in nota appoſita Febronianus jam tunc temporis animus ſe prodit. 2do Hoc documentum pro more illius ævi diverſis Latii vitiis laborat, ut ſolœciſmis, barbariſmis, & copularum irregularitate, ita, ut preſſe ſingula verba urgeri nequeant. 3^tio^ Agebatur de matrimonio jam contracto, & abs dubio conſummato, quod patet ex ipſa diplomatis inſcriptione, ſeu Thietfridi petitione, *ut conſanguineam, quam duxerat in uxorem, ſibi retinere liceat*, quamque prout & textus ait, *pridem deſponſatam* habebat. Nec refert, quod tantum deſponſata vocetur, ſcilicet quia detecto impedimento non amplius pro legitima conjuge habebatur. 4to Bona fide, & *ignoranter* ambæ partes contraxerant impedimento cognationis in ſexto gradu quintum attingente poſtea primum *a quibusdam* deprehenſo. 5^tu^ Non propria Authoritate, ut Moguntinis placet, Poppo connubii jura conceſſit, ſed antea habitis conferentiis ſtatuit rem in Concilio *decernendam*, ad quod convenerant cum Trevirenſi Piligrinus Colonienſis, Baido Moguntinus Archiepiſcopi, Rambertus Virdunenſis, aliique plures Epiſcopi: hinc pro ſingularibus ſaltem Epiſcopis nihil inde juris probaretur. 6to Factum hoc

 inter

*) Hiſtor. Trevir. Dipl. Tom. 1, p. 367.

**) Annal. Trevir. Tom. 1, p. 518. Broweri teſtimonium ita ſonat: „Per eosdem quoque „dies, ut veteri ſignatum Diplomate invenio, Poppo rogatis in conſilium Piligrino Co„lonienſi, & Baidone Moguntinenſi, egregia virtute Præſulibus, adhibitis etiam provin„cialibus Epiſcopis cauſſam diſcuſſit Tietfridi Trevirenſis Eccleſiæ quondam advocati, qui Luc„harde quadam *matrimonio ſibi juncta* propinquitatis, & ſanguinis neceſſitudine *ad li„quidum haud explorata* fecerat incertum, id conjugium an ratum, ac legitimum eſſet. „Controverſia porro diligenter, multumque ab Epiſcopis hic diſceptata *abſolutus* deni„que (non *diſpenſatus*) Thietfridus, grati ac memoris officio Eccleſiæ, cujus advoca„tionis pronuper ampliſſimum munus ſuſtinuerat Michlenbaci XII manſos, agrorum „haud aſpernanda ſpatia conceſſit.“ Tam notabilis cum ſit diverſitas Browerum inter, & Hontheimium; authentica Diplomatis inſpectio jure deſideratur.

inter irregularia, ſeu male facta, nullum jus parientia poſſet rejici, & quidem propter labem Simoniæ, cum videri poſſent Epiſcopi *ob tanta prædii bona* matrimonii veniam dediſſe. At ego æquius plane judicium de hisce Epiſcopis fero, & quod rei caput eſt. 7mo Reſpondeo, *re ſolerter, & laborioſe inveſtigata* judicatum fuiſſe pro valore matrimonii, quod in ignorantia contractum ex jure naturali, non tantum ex gratia propter prædii bona valeret, ita ut conjuges ne ſeparari quidem poſſent. Hunc ſenſum exigunt verba: *Non ſolum id ſub gratia concedi oportere, verum in præſentia ſimiliter manere.* Fateor quidem ſuſpicionem Simoniæ excitari poſſe per adjectam cauſſalem *cum ſanctæ Dei Eccleſiæ tanta prædii bona perditum iri nequaquam debeant.* Sed quia latinitatis, & copularum vitiis hoc diploma manifeſte laborat, vel e loco ſuo transpoſita eſt hæc cauſſalis, & jungenda cum prima reſolutionis parte *ſub gratia concedi*: vel copula *cum* idem ſibi vult, ac *propter quod*, ita ut non ipſa cauſſalem efficiat, ſed ſit cauſſalis ſequela. Secus enim *ſub gratia concedi*, & *ſimiliter manere oportere*, ſibi non opponerentur, prout tamen in Diplomate *per non ſolum, verum* expreſſe ſibi videntur opponi. Sed pace me, ſi velis, hanc Epiſcoporum ſententiam iniquitatis arguas; nolim contentioſus reſiſtere: legitimæ autem diſpenſationis exemplum haud inde conficies.

§. 49.

Enimvero ſi attente ponderemus, quam ſevera illo adhuc tempore circa matrimonii Leges diſciplina fuerit Eccleſiæ; quædam forſitan Epiſcoporum facta inter irregularia potius attentata recenſeri debebunt, quam legitimæ diſpenſationis titulo decorari. Hiſtoria ſeculi XIII maximum adhuc hujus diſciplinæ rigorem oſtendit: notum eſt enim, quantæ difficultatis res fuerit, ut Otto IV Imperator ab Innocentio III diſpenſationem in quarto cognationis gradu impetraret. Cauſſæ aderant graviſſimæ: poſt horrenda bella cæſi Philippi filia pro rebus pacificandis in uxorem Ottonis deſtinanda videbatur Imperii Principibus Epiſcopis ipſisque Pontificis legatis Cardinalibus. Tandem non ſine ſumma moroſitate ad totius ex Imperio Cleri, populique preces Pontifex diſpenſavit, ſed auſteris cum conditionibus, ut Otto ampliſſima duo Monaſteria fundaret, ſingulariter Eccleſiarum omnium defenſionem, & bellicam inſuper pro terra ſancta expeditionem ſuſciperet, & univerſum Imperium largis eleemoſinis, ac ferventiſſimis orationibus ſanctæ diſciplinæ vulnus compenſaret. Non inutile erit Vaneſpenii magni apud adverſarios viri notam tum in genere de diſpenſationibus, tum in ſpecie de matrimonialibus hic conſiderandam dare *): „Veterum tenaciſ- „ſimam

*) De Diſpenſat. matrim. Cap. 4, §. 2.

Digitized by Google

„ſimam canonum cuſtodiam, & ſummam in diſpenſando moroſitatem nullus „vel parum in hiſtoria eccleſiaſtica, & avita Eccleſiæ diſciplina verſatus „ignorat, adeo quidem, ut nonnulli, nec parum in veterum actis, & ſcrip„tis exercitati aſſerant, plurimis ſeculis nullam canonis infringendi veniam „datam fuiſſe, ſed diſpenſationes, ſi quæ darent, tantum fuiſſe pœnarum „canonicarum remiſſiones." Agite *Epiſcopales*! hanc priſtinæ diſciplinæ obſervantiam exemplo reſtaurate, & nos *Pontificii* veſtra veſtigia preſſo pede inſequemur; toti potius Eccleſiæ hodiernum diſperſationum uſum reſtringite, quam ut nimium largi in ſingulos Epiſcopos extendatis, & manus noſtras vobis dabimus.

§. 50.

Ad domeſtica nos vertamus! Concilium Colonienſe a. 1536 can. 46 ita ſtatuit: „Quod ad gradus conſanguinitatis, & affinitatis attinet, qui ma„trimonium contrahendum, ac contractum dirimunt, decretum Concilii ge„neralis (Lateranenſis IV) obſervabitur. — Ubi romanus Pontifex diſpen„ſatorio diplomate matrimonium ſecus contractum approbandum juſſerit, ex„aminentur cauſſæ diligentius, quæ diſpenſationem extorſerunt." Miſſis jam nugis veſtris, vaniſque diverticulis, dicite Moguntini Cenſores! penes quem Colonienſe Concilium poſſeſſionem juris diſpenſandi agnoverit? Nonne vel invitis fatendum eſt, romanam Sedem in tranquilla poſſeſſione matrimonii impedimenta diſpenſandi usque ad Concilium Tridentinum fuiſſe? Aut facta negentur, quæ adduximus, toti mundo cognita; aut alia in contrarium producantur nobis hactenus incognita!

§. 51.

Saltem, inquiunt, hac ſuper re nihil in Tridentino Concilio fuit deciſum. Quam optime! ergo, inquam, cum ipſis Moguntinis, *nihil correctum, quod non expreſſum*, ſed prior diſciplina, antiqua conſuetudo, & tranquilla Pontificis poſſeſſio, prout jam ad oculum demonſtravimus, integre ſervata. Veterem hanc conſuetudinis obſervantiam retineri ſe velle vel ipſum Tridentinum ſatis inſinuavit, dum indeterminate *quamcumque* diſpenſandi Authoritatem ſua in poſſeſſione reliquit: de pontificiis autem diſpenſationibus, ſi extra romanam Curiam ſe extendant ſtatuit, ut Ordinariis, tamquam *Delegatis apoſtolicis* committantur. Nonne eo ipſo Concilium hanc diſpenſandi facultatem *propria Authoritate* Epiſcopis negavit, quod iisdem ut Delegatis pontificiis committendam voluit? Præterea ſatis ſollicita fuit ſacroſancta Synodus, ut eam diſpenſandi in aliis rebus poteſtatem, quam volebat penes Epiſcopos eſſe, clare exprimeret: ſic e. g. Seſs. 14 de Ref.

Digitized by Google

C. 7 decrevit cauſſam homicidii involuntarii committendam eſſe Ordinario, vel ex quadam cauſſa Metropolitano, aut viciniori Epiſcopo, qui pro ſacris Ordinibus *diſpenſare* poſſit. Item Seſs. 24 de Reform. C. 6 conceditur Epiſcopis *diſpenſandi* facultas in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, & in quibuscumque reſervatis caſibus occultis tantum pro foro conſcientiæ. Nonne exceptio firmat regulam in contrarium? aut nonne univerſalis eſt regula, Eccleſiæ legibus etiam Epiſcopos eſſe ſubjectos? ergo, inquam, *nihil Epiſcopis conceſſum, quod non expreſſum.* Verum, quod amplius eſt, Tridentini Patres etiam expreſſe ſe declararunt *ſoli* Pontifici jus eſſe relinquendum intra vetitos cognationis gradus matrimonia diſpenſandi. Nam in Actis Concilii die 17 Auguſti a. 1563 apud Paleottum legitur factam fuiſſe propoſitionem, ut ſaltem in quarto gradu relaxandæ legis poteſtas fieret cum Epiſcopis communis: ergo hanc poteſtatem intra tertium, & propinquiores gradus ſolius Papæ eſſe, atque eſſe debere, in eo omnes conveniebant. Jam vero ne in quarto quidem cognationis gradu diſpenſandi jus Epiſcopis fuiſſe permiſſum, inde liquet, quod Patres amplexi ſunt Marci Antonii Bobbæ Auguſtenſis Epiſcopi ſapientiſſimam ſententiam: „Non eſſe id Epiſcopis permittendum, quippe „Concilii propoſito adverſum, *ut rarior eſſet relaxationis uſus:* etenim ſi ſingu„læ a ſingulis Epiſcopis concederentur, longe frequentiores illæ fierent, „quam quotquot quilibet profuſus Pontifex elargiretur.“ Vide apud Pallavicinium *). En ergo, quam volebas expreſſam etiam œcumenici Concilii diſpoſitionem! en rationem criticam, cur Turonenſes Præſules Tridentino quam proximi declararint in quarto cognationis gradu diſpenſationem non eſſe Epiſcopis permiſſam. Si adhuc quæras, quare illa Tridentini prohibitio tantum in Actis Concilii, non inter canones inveniatur; in promtu reſponſio eſt, quia Patres tranquille obſervatam retineri volebant praxin: lex enim, ut dici ſolet, juſto non ponitur, id eſt, Epiſcopi matrimonii impedimenta diſpenſando abuſivæ uſurpationis aut nulla, aut rariſſima dederunt exempla, hinc cauſſa non fuit, cur id ſpeciali canone prohiberetur. Nihil autem contra Eccleſiæ canones permiſſum, quod non expreſſum.

§. 52.

Ex qua antiquiſſima Pontificis poſſeſſione, ſi & divina Primatus jura hoc loco prætereamus, manifeſte ſequitur, cum Principes, & Electores Germaniæ ad Pium IV varia detuliſſent gravamina, inter quæ numerabantur diſpenſationes ſanctæ Sedi reſervatæ, eumdem Pontificem merito reſpondiſſe:

*) Lib. 23, Cap. 10, n° 17.

pondiſſe: „Illos injuſtiſſima petere: nam ut Archiepiſcopi, aut Epiſcopi „poteſtatem habeant diſpenſandi in his, quæ in hujus Sedis Authoritate „conſtituta ſunt, hoc eſt, inferiores & ſubditi in lege Superiorum ſuo„rum, niſi ubi eis hoc expreſſe permittitur, omni juri, omnique rationi con„trarium eſſe, indubitatum eſt“ *). Enimvero, ſi ut Moguntini volunt, ſola *facti* gravamin apoſſeſſionis antiquæ jura infringerent; væ Dominis, qui immorigeros haberent ſubditos! væ nobis Catholicis in Imperio romano! contra quos ſine numero & menſura Proteſtantes usque ad deletionem totius rei catholicæ gravamina jam fecerunt.

§. 53.

Quænam poſt Concilium Tridentinum usque ad hodiernam diem vel ab ipſis Germaniæ Archiepiſcopis continuata ſit praxis, juſſu Sanctitatis Suæ a. 1786 Kalend. Decemb. in litteris ſuis ad Parochos manifeſtum fecit Nuntius Colonienſis ubi ſingula deſignavit quinquennia, quibus tres eccleſiaſtici Principes Electores Imperii ab apoſtolica ſumma Sede diſpenſandi facultatem in certis dumtaxat gradibus circa impedimenta Matrimonii petierunt, & numquam aliter, niſi cum certa reſtrictione obtinuerunt. Reliquum eſt ergo, ut totam hanc criticam diſquiſitionem cum ſanctiſſimo Papa Noſtro Pio VI concludam **): „Ex quibus liquet, primum ab apoſtolica Sede exerceri cœpiſſe diſpenſationum matrimonialium poteſtatem, & hunc uſum penes il„lam ſolam perſeveraſſe, atque ad eamdem ſolam pertinuiſſe, prout „totius Eccleſiæ conſuetudine, & conſenſu fuit agnitum, cum alios Epiſco„pos eam ſibi Authoritatem aſſumſiſſe non conſtet, niſi cum ſanctæ Sedis „expreſſo, vel præſumto privilegio eam tueri ſe poſſe confiderent. — Si „nunc (ab Epiſcopis) diſpenſari inciperet *jure proprio*; quid aliud ageretur „niſi ut ſancta Sedes ſuo ſpoliaretur jure, quod ab antiquiſſimo tempore ſo„la ſemper exercuit, cujusque exercendi tenuit non interruptam, ſed con„ſtantem, receptamque in Eccleſia poſſeſſionem. Qui certe tam inveteratus „poſſeſſionis titulus, etiamſi alia deeſſent in ſuo Primatu conſtituta, funda„menta, valere per ſe ipſe apud omnes deberet.“ Hæc quidem poſſeſſionis non turbandæ æquitas vel inter homines pares naturalis eſt. Ipſam vero poſſeſſionis ſuæ antiquitatem, & continuam praxin cum ſanctiſſimus Pater factis oſtendere dignatus eſt toti mundo cognitis; (quis credat ?) Moguntini Cenſores eloquia ſupremi Chriſti Vicarii, & Eccleſiæ catholicæ Capitis vocare audent *omnia falſiſſima*, Alles grundfalſch ***). Et hæc loquuntur in ipſa Sede Metropolitana, & eccleſiaſtici ſunt, & publici Doctores Archidiœceſi Moguntinæ! Non ea

*) Reinald. ad a. 1563, n. 44. **) Breve Pontif. ad Rvdiſſ. Archiep. Colon.
***) Mainzer Monathſchrift von geiſtlichen Sachen. Junius. 1787. S. 518.

ea certe (uti alias canina illa ſatyrica) non ea eſt ovium vox erga Paſtorem. — *Petre! paſce oves meas!*

COROLLARIUM IV.

De jure appellationum ad Papam, non a Papa.

Ut vel ex ipſa jam inſcriptione patet, præſens hæc ſummi momenti diſcuſſio critica in duas principales partes diſpeſcitur. Prima de jure Pontificis tractat, ex toto chriſtiano orbe appellationes ſuſcipiendi: altera de appellationibus a Papa divino jure, & humano prohibitis. Attamen non juris ſolum, ſed pro noſtri temporis exigentia & facti quæſtio hic tractanda eſt. Sunt autem ſex præcipue Articuli Capite I hic diſcutiendi: 1mo De ipſo ſupremo jure appellationum: 2do De hujus juris exercitio ex factis Antenicænis: 3tio De Canonibus Conciliorum, Nicæni, Antiocheni, Sardicenſis: 4to De factis hiſtoricis Poſtnicænis usque ad nonum ſeculum: 5to De recentiori poſitiva juris ſpeciatim germanici diſpoſitione: 6to Demum de ſano & utili adpellationum uſu. Si hoc in prælio Eruditorum authoritate, hoc eſt, præjudiciis, queis plurimi hodiernorum Reformatorum ducuntur, pugnandum ſit; magna ſtant utrinque Nomina, ex uno latere Petri de Marca, Baluzii, Queſnelli, Febronii, & quem caſtra deſeruiſſe dicas, Zalweinii, aliorumque denſo agmine gregariorum: Ex adverſo autem non minus magni Nominis viri, Benedictus XIV, Cardinalis d'Aguirre, Chriſtianus Lupus, Antonius de Simeonibus, Thomaſſinus, Barthelius, Fratres Ballerinii, P. Zacharia cum tota, quod maximum eſt veteri Eccleſia. Ex hoc ſolo præjudicio, quæ pars fortioribus armis inſtructa ſit, jam colligas.

CAPUT I.

De appellationibus ad Papam.

ARTICULUS I.

De ipſo ſupremo jure appellationum.

§. 1.

Nos autem ſibi intimam rei naturam ſcrutemur! Inditum certe a natura principium, atque etiam gentium jure ſtabilitum eſt, miſeris injuſta

juſta forte ſententia preſſis ad ſuperioris judicis tribunal refugium, aditumque eſſe concedendum. Hanc viam, quæ appellationis dicitur, cum ipſa natura afflictis voluerit apertam, ab optimo Paſtore Chriſto fuiſſe occluſam, ſuasque oviculas, iniquis forſitan inferiorum judicum oppreſſionibus absque refugii ſolatio expoſitas, blaſphemus foret, qui aſſereret. Atqui romanum Pontificem, S. Petri Succeſſorem, in hac terra Chriſti Vicarium, & ſingulis Epiſcopis, vel Archiepiſcopis, & Conciliis quibuscumque provincialibus jurisdictione eſſe ſuperiorem, res eſt divinis ex eloquiis adeo manifeſta, certaque, ut catholicam fidem profitentium nemo unus, ne noſtris quidem diebus palam contradicere auſus fuerit. Hinc noſtræ catholicæ fidei dogma eſt, naturali & divino jure ad ſummi Pontificis tribunal tamquam epiſcopali ſuperius Appellationes ſpectare. Hoc jus eſſentiale eſt Primatui divinitus inſtituto, quod qui negaverit, hunc a noſtra fide, & Eccleſia eſſe alienum non dubitamus, prout Benedictus XIV enuntiavit *): „Hoc jus adeo neceſſario connexum eſſe cum romani Pontificis in univer„ſam Eccleſiam jurisdictionis Primatu, ut nemo poſſit illud in controver„ſiam adducere, niſi & hunc velit præfracte inficiari.

§. 2.

Ipſe Zalweinius, uti & Natalis Alexander, hic Natione Gallus, ille Germanus, ambo pontificiæ Sedis nullo modo adulatores, alibi potius ſibi ſtipendia meriti, hoc idem jus appellationum, ceu divini Primatus *Appendicem* agnoverunt. Verba prioris ſunt **): „Quæſtio juris noſtra opi„nione facillimæ eſt deciſionis, nam ſi ſemel in Pontifice revereamur quem„dam Primatum jurisdictionis, ſane jus adpellandi inde velut appendix „*neceſſario* conſequitur: quid enim aliud eſt jus appellandi, quam jus pro„vocandi ad judicem ſuperiorem, velut ab ipſo jure naturæ fluens? in „quantum nempe ſapit ſpeciem neceſſariæ defenſionis eum in finem, ut „appellanti fiat juſtitia, in qua ſe per judicem inferiorem læſum eſſe que„ritur. Si ergo Pontifex vi Primatus vices legitimi judicis ſuſtinet; quo „auſu ipſi admiſſionem, vel exactionem appellationum abnegare ſuſtine„mus?“ Hæc Zalweinius, nempe ut Theologus catholicus: verum eſt illum pro ſua egregia Advocati vafritie adniti ad omnem hujus juris praxin contra divinum, & naturale jus enervandam, aut extinguendam. Cauſſam, niſi jam pateat, inquirere nolim. Alter vero hoc loco non tam hiſtoricus, quam Theologus ita loquitur ***): „Hoc ipſo quod romanus Ponti„fex

*) De Synod. diœces. Lib. 4, Cap. 5. n. 1.
**) Princip. jur. eccleſ. T. 2. Q. 1, C. 4, §. 5.
***) Hiſt. eccleſ. Sec. 4, Diſſert. 28, Propoſ. 1.

Digitized by Google

„ſex eſt jure divino omnium Epiſcoporum primus, & ceteris jurisdictione „Superior, Eccleſiæ Caput, Vicarius Chriſti; conſequens eſt, ut ad ipſum „Epiſcopi, cum injuriam patiuntur, appellare poſſint. Ipſa enim juris „naturalis æquitas ab inferiorum judicum ſententiis ad ſupremum judicem „appellari poſſe dictat, & perſuadet. Cum itaque romanus Pontifex ra„tione ſui Primatus ſit Superior Epiſcopis omnibus diviſim ſumtis, & „Conciliis etiam provincialibus, ac nationalibus; ad ipſum appellare poſſe „Epiſcopos Metropolitanorum, Primatuum, Patriarcharum aut Conciliorum „ſive provincialium, ſive nationalium, ſive patriarchalium judiciis depoſi„tos, neceſſario ſequitur, ac perinde jus appellationum epiſcopalium ad „romanam Sedem pontificii Primatus eſt appendix.“

§. 3.

Gallicanæ Eccleſiæ doctrinam, eamque recentiſſimam ex teſte multo præſtantiore, Archiepiſcopo Senonenſi audiamus, qui ita ſcribit *): „Quod „ex Authoritate, quam *Chriſti inſtitutione* in nos (Epiſcopos) Pontifex ha„bet, legitime ſequitur, jus eſt judicandi ſontes Epiſcopos. Quodſi illos „a Provinciæ Epiſcopis in primæ cognitionis cauſſa judicari mores noſtri „poſtulant, jus tamen ſuſcipiendarum appellationum eſt ipſi absque ulla „controverſia ſervatum.“ Quidquid hac in re antiquiſſimi licet canones ſtatuerint; non certe hoc jus appellationum, quippe divinitus inſtitutum, e medio tollere, aut plane in praxi irritum facere potuerunt, ſed tantum pro *meliori* exercitio ad graviores cauſſas e. g. Epiſcoporum reſtringere. Quare etiamſi inferiorum Clericorum, ſive etiam ſecularium cauſſa, dummodo natura ſua *gravior* ageretur; eamdem ad ſe vocare Pontifex poſſet inſuper habita quacumque diſciplina, aut cujuscumque Concilii ſtatuto: neque enim ulla hominum diſpoſitio Pontificem jure ſpoliare poteſt, divinitus ſibi commiſſo, aut vel ejusdem uſum tunc reſtringere, quando fidelium bono neceſſarius foret. Atque hinc quæcumque Conciliorum decreta cum hac conditione intelligi neceſſe eſt, *ſine præjudicio tamen romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri*: ita jam Innocentius I. **). Hoc ipſum ſacroſancta Synodus Tridentina clare ſub initio, & fine expreſſit per ſpecialem hanc clauſulam, *ut ſalva ſemper Authoritas Sedis apoſtolicæ & ſit, & eſſe intelligatur* ***).

§. 4.

*) Inſtruct. paſtor. Pariſ. 1753. **) Epiſt. ad Victric. Rothomag.
***) Seſs. 7 & Seſs. ult. de Reform. Cap. 21.

§. 4.

Obſervatu digniſſima ſunt, quæ in hanc rem doctiſſimi Fratres Ballerinii annotarunt *): „Poſſet quidem nonnullis in circumſtantiis contendi, „hanc primigenii juris ad ſummum Pontificem revocationem, ſi qua inolita in Provinciis judiciorum forma aboleretur, non expedire, eoquod „plura exinde incommoda, aut ſcandala ſequerentur, quæ ex naturali, ac „divina lege impedienda ſunt. — At aliud eſt quærere, num quid ex„pediat, vel liceat: aliud vero negare poteſtatem, & jus ipſum, quod in„ſtitutione divina certum ſit, & alieni juris uſurpationem criminari. Qui „de primo ſolum diſputat, ſi non paſſione, vel præjudicio aliquo, ſed ze„lo, ac veritate ducatur, ſoliusque boni publici intuitu agat, ut ſcandala „impediat, & rationes in hanc rem opportunas quibuscumque poteſt viri„bus (debita ſemper obſervantia, & moderatione ſervata) urgeat, atque „promoveat, quibus inſtitutionem eccleſiaſticam conſuetudine firmatam, „ſartam tectamque ſervandam, a novitate autem inducenda abſtinendum „eſſe ſuadeat, at nihil tamen opponat, quod ipſam pontificiam, certeque „divinam inſtitutionem feriat; non ſolum nihil peccaverit, verum etiam „ſancte, & laudabiliter faciet."

§. 5.

Atque hoc catholicæ fidei dogma de jure appellationum plurimis Pontificum, Iſidoro Mercatore multo antiquiorum teſtimoniis conſtat. Maximi ponderis illud eſt Julii I, quod ad Epiſcopos Antiocheni Concilii a. 342 ante ipſum Sardicenſe perſcripſit **). Cum enim Euſebianæ Sectæ Epiſcopi S. Athanaſium Tyri depoſuiſſent, Legatos ad romanum Pontificem cum ipſis damnationis documentis miſerunt, ut ſuæ Synodi confirmationem ab illo obtinerent. Pro Athanaſio Alexandriæ congregati Epiſcopi ad eumdem Papam litteras dederunt. Unde patet ex hoc Orientalium facto (Hæreticorum æque, ac Catholicorum) haud firmam fuiſſe viſam Synodi Authoritatem ſine ultimata Papæ ſententia, ad quem Euſebiani ipſa ſui judicii inſtrumenta transmiſerant. Pontifex ergo perceptis quoque Athanaſii Legatis tam hunc, quam illos ad novum judicium Romam avocat. Nunc vero illi ſuæ cauſſæ merito diffiſi parere detrectant, NB. neutiquam tamen Romam vocandi jus Pontifici negantes, ſed temporis anguſtias, & bellicum ſuæ Patriæ ſtatum prætendentes. Ceterum, quod rei caput eſt, orientales illi Hæretici jam tunc fere eadem cauſſabantur, quæ moderni juris eccleſiaſtici Reformatores frequenter in ore habent, Epiſcopis injuriam fieri, ſi de rebus jam a ſe definitis denuo apud Papam rationem reddere deberent,

*) Opp. S. Leon. Tom. 2, p. 979.

**) Apud Couſtant. Epiſt. 1 Julii.

Digitized by Google

rent, & ratam eſſe habendam cujuslibet Synodi ſententiam: quam in rem, immerito licet & falſo Novatiani, ac Pauli Samoſateni exempla proferebant. Pontifex autem reſpondit: „Nihil dignum querela eſſe, quod ad „Synodum (romanam) vocarentur: qui in rebus a ſe geſtis & judicatis fi„duciam ponerent, eos non indigne ferre, ſi ab aliis judicium ſuum ex„aminetur, id per Nicænam Synodum permitti, & antiquam eſſe hanc „conſuetudinem — *ergo oportuiſſet illos huc accedere, & non abnuere, ut „negotium ad finem deduceretur.* — — Si qua culpa Epiſcoporum fuerit, „ſecundum eccleſiaſticum Canonem oportuiſſe judicium fieri, *ut primum „ad Eccleſiam romanam ſcriberetur, & hinc, quod juſtum eſt, decerneretur.* „Demum concludit Pontifex, non poſſe ſe illorum Synodo ſuffragari, ne„que injuriam facere, dum pro communi Eccleſiæ bono ſummæ Sedis ſen„tentiam perſcriberet: *Apud omnes nota eſſe, quæ a B. Petro Apoſtolo ac„ceperit.*" Hoc præſtantiſſimo documento Julius P. tamquam de re omnibus Catholicis nota teſtatur apoſtolica Petri Authoritate Synodos Epiſcoporum poſſe reformari. Quid dicet jam Dupinius, quid Zalweinius, quid Febronius? in Sardicenſi Concilio poſt quinque annos jus quoddam reviſionis primum Pontifici conceſſum fuiſſe? Apage nugas!

§. 6.

Eodem adhuc quarto Seculo Damaſus P. Ariminenſis Concilii acta ad ſe relata dijudicavit, rejecitque his verbis *): „Neque enim præjudicium „aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatorum (600 Epiſco„porum) quando conſtat neque romanum Epiſcopum, cujus ante omnia de„cebat eos exſpectare decretum — præbuiſſe conſenſum." Quin immo idem Pontifex varias illius temporis tam Catholicorum, quam Hæreticorum Synodos una ſimul omnes præter Nicænam exauthoravit, præcepitque teſte S. Athanaſio **), ut nulla deinceps *in Eccleſia catholica nominaretur Synodus præter unam Nicænam.* Veniant nunc Febroniani, & pontificiam poteſtatem reformandi provinciales Synodos per Iſidorum falſis Decretalibus fuiſſe invectam fabulentur!

§. 7.

Quinti jam Seculi initio Innocentius I, ut ſupra §. 3 annotavimus, ab ipſius univerſalis Synodi Nicænæ decreto exceptam eſſe apoſtolicam Petri Authoritatem declarat ***): „Si quæ autem cauſſæ, vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exor„tæ,

*) Epiſt. 3 ad Epiſcop. Illyr. **) Initio epiſt. ad Epictet.
***) Ad Victric. Cap. 3.

Digitized by Google

„tæ, ut ſecundum Synodum Nicænam congregatis ejusdem Provinciæ „Epiſcopis jurgium terminetur, nec alicui liceat (ſine præjudicio tamen „romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſſis debet reverentia cuſtodiri) re„lictis his Sacerdotibus — ad alias convolare Provincias.“ Ecce, quomodo in ipſis inferiorum Clericorum cauſſis ad ſummæ Sedis tribunal via appellationis per Synodum Nicænam patuerit. Bonifacius I Epiſcopis Theſſaliæ vehementer exprobrat, quod apoſtolico Legato debitam reverentiam non exhibentes, ſi qua haberent gravamina, ad ſe non detulerint *): „Inſtitutio univerſalis naſcentis Eccleſiæ de B. Petri ſumſit honore „principium, in quo regimen ejus, & ſumma conſiſtit: ex ejus enim fon„te eccleſiaſtica diſciplina per omnes Eccleſias Religionis jam creſcentecul„tura manavit. Nicænæ Synodi non aliud præcepta teſtantur, adeo ut non „aliquid ſuper eum auſa ſit conſtituere, cum videret nihil ſupra meritum „ſuum poſſe conferri: *Omnia denique huic noverat Domini ſermone con„ceſſa* Hanc ergo Eccleſiis toto orbe diffuſis velut caput ſuorum certum „eſt eſſe membrorum, a qua ſe quisquis abſcidit, fit chriſtianæ Religionis „extorris. — Audio Epiſcoporum quosdam apoſtolico jure contemto no„vum quidpiam contra Chriſti proprie præcepta tentare, cum ſe ab apo„ſtolicæ Sedis communione, & ut dicam verius, poteſtate ſeparare nitun„tur, eorum petentes auxilium, quos eccleſiaſticarum ſanctio regularum ma„joris eſſe non dedit poteſtatis. — *NB.* Quoniam ideo tenet Sedes apo„ſtolica Principatum, ut querelas omnium licenter acceptet; interpellari „nos ſuper hoc miſſa legatione convenerat, quos curam omnium rerum „manere videatis.

§. 8.

Agapetus P. ſexto Seculo ad Juſtinianum Imperatorem de Stephani Lariſſæi cauſſa agens ita ſcripſit **): „Abſit a quorumlibet mentibus chri„ſtianis, ut in quacumque perſona aut innocentiam redarguant, aut crimen „abſolvant, ſed univerſa, quæ apoſtolicæ Sedis nuper hac ſunt parte diſ„poſita, illo ſemper ſtudio manaverunt, quæ Principatui B. Petri vos quo„que cupitis per omnia reſervari, ſcilicet ne in his, *qui Sedis ejus audien„tiam poſtulaſſent, ſpreta ejus reverentia alterius ſententia proveniret.*“ Vigilius Papa ad Euterium hæc ſcribit: „Unde omnium appellantium apo„ſtolicam Sedem Epiſcoporum judicia, & cunctarum majorum negotia cauſ„ſarum eidem ſanctæ Sedi reſervata eſſe liquet. — Cujus tramiti, ſi quis „obviare tentaverit Sacerdotum, cauſſas ſe non ſine honoris ſui periculo „apud eamdem Sedem ſanctam noverit redditurum.“ Cum ſeptimo Seculo

*) Epiſt. 14. **) Vide Antiſeb. vindic. Part. 3, p. 453.

lo Wilfridus Eboracenſis Sede ſua pulſus ad Agathonem appellaſſet; S. Pontifex in Concilio romano ajebat: „Non mediocriter ſatisfecit audienti- „bus petitionis ſeries, quam Wilfridus Deo amabilis Epiſcopus obtulit in „hoc, cum ſe indigne de epiſcopali Sede dejectum agnovit, non contuma- „citer per vim ſecularem obſtitit, ſed humiliter ſentiens Authoris noſtri „B. Petri Apoſtolorum Principis canonicum expetivit ſubſidium, & ſup- „plici præſtolatione, quæ ſuper eo cenſenda ſunt, ſe ſuſcepturum perhi- „bens, quod ex ore noſtro B. Petrus, Author noſter, cujus miniſterio fun- „gimur, præviderit ſtatuendum.“ Huc adeſte, Febroniani, & perceptis hiſce nti- quiſſimis documentis Iſidorianas fraudes, ſi ita placet, calumniamini!

§. 9.

Neque vero ſoli Pontifices a Petri Primatu jus ſupremum judicandi repetebant. Audiatur etiam ſupra nominatus Stephanus Lariſſæus in libello ad Bonifacium II *): „Ego vero nec accuſatorum, nec aliquorum cona- „tus metuens, ſed ad Deum ſolummodo, & ad leges ſanctæ Eccleſiæ, & ad „Principatum ſanctarum Eccleſiarum traditum vobis reſpiciens, mox inter „acta dixi, ut oporteret me ad aliquem accuſantem reſpondere, aut de mea „ordinatione aliquid judicare, non ſub eo, qui nunc judicare dignatur, cauſ- „ſam me dicere neceſſe eſt, ſed alibi apud quem ſacrorum Canonum lex „cuſtoditur, & usque hactenus conſuetudo ſervatur, memoriam faciens Ve- „ſtri ſancti Capitis, & apoſtolicæ Sedis, dicens vos eſſe Dominos hujus „examinationis.“ Stephano concinit Theodoſius Ecdinienſis Epiſcopus, qui lectis in romana Synodo ejusdem libellis ait ad Pontificem: „Conſtat „venerandos Sedis veſtræ Pontifices, quamvis in toto mundo Sedes apo- „ſtolica Eccleſiarum ſibi jure vindicet Principatum, & ſolam eccleſiaſticis „cauſſis undique appellare neceſſe ſit; ſpecialiter tamen gubernationi ſuæ „Illyrici Eccleſias vindicaſſe.“ Fruſtra igitur ad labefactanda hæc antiqui- tatis teſtimonia Febroniani ex S. Bernardo multo poſteriore quædam loca excitant, ubi S. Abbas magna libertate, qua vix amplius noſtris cum Ar- chiepiſcopis loqui liceret, ſummum Pontificem, antea diſcipulum ſuum, Eugenium III a quibusdam abuſibus deterrere conatur, quos atra loligine deſcribit **): „Sic factitando, inquit, probatis vos habere plenitudinem „poteſtatis, ſed juſtitiæ forte non ita. Facitis hoc, quia poteſtis, ſed „utrum & debeatis, quæſtio eſt.“ Simili modo idem vir ſanctus ad Inno- centium II perſcripſerat ***): „Appellatur de toto mundo ad te: Id qui- „dem in teſtimonium ſingularis Primatus tui: & tu, ſi ſapis, non Prima-

tu

* Apud Antiſ. vindic. l. c.

**) De Conſid. L. 3, C. 4, n. 4.

***) Epiſt. 178.

„tu gaudebis, ſed fructu." Nemo non videt S. Doctorem agnoviſſe, confeſſumque fuiſſe pontificiam Authoritatem, & jus recipiendi appellationes vi Primatus, & ex plenitudine poteſtatis, ſed liberrime contra illius temporis abuſus peroraſſe: aliud eſt enim abuſus notare, aliud ipſum uſum, ejusdemque jus negare. Stabilitum ergo catholicum dogma eſt ex antiquitatis, ut vel adverſariis placet, adhuc puræ traditione, divinum jus penes Pontificem eſſe, ex univerſo orbe appellationes recipiendi.

ARTICULUS II.

De factis Ante-Nicænis.

§. 1.

Secundo loco curatius adhuc ipſam praxin, eamque primævam appellationum ad ſummam Sedem obſervari oportet. Sunt quidem admodum raræ primi illius ævi tabulæ, quæ temporum naufragio emerſerant; quotquot tamen ex pretioſis hisce monumentis ſuperſunt, etiam noſtrorum, licet Hypercriticorum judicio probata, fere nihil ſunt aliud, præterquam apoſtolicæ Sedis aut in rebus dubiis conſilia, decretaque, aut in controverſis judicia. Sic Clementis romani prima jam epiſtola ad Corinthios teſtatur injuſte depoſitos illius Eccleſiæ Presbyteros apud Sedem Petri refugium quæſiviſſe. Dignum memoratu eſt, quod, S. hic Pontifex Eccleſiæ hierarchiam ſub uno Capite jurisdictione prædito clare jam deſcripſerit *): „Summo Sa„cerdoti, inquiens, ſua immunia tributa ſunt, & Sacerdotibus locus proprius „aſſignatus eſt, & Levitis ſua miniſteria incumbunt: homo laicus præceptis „laicis conſtringitur." A vero aberrant illi, qui ſummo ſub Sacerdote Epiſcopum hic volunt intelligendum, partim quia S. Clemens expreſſe de uno Judæorum ſummo Sacerdote loquitur, quam veterem Dei inſtitutionem ipſi etiam Eccleſiæ applicat, partim quia per Sacerdotes ſecundo loco poſitos generatim Epiſcopos, & Presbyteros nullo diſcrimine *nominetenus* facto pro more Apoſtolorum complectitur, prout ex contextu patet, ubi ab Apoſtolis per regiones, & urbes ait *Epiſcopos ac Diaconos* fuiſſe conſtitutos. Clarum erit legenti ipſam hanc præſtantiſſimam epiſtolam, primi & ſecundi ordinis Sacerdotes per Epiſcopos promiſcue intelligi.

§. 2.

*) Ad Corinth. Epiſt. 1, n. 40.

§. 2.

Res ſatis nota eſt, ſecundo Seculo a Victore P. Synodum Epiſcoporum Aſianorum juſſu ſuo convocatam adhuc dijudicatam, ac reprobatam fuiſſe. Falſa ſunt, quæ Dupinius ſcribit *): 1*mo* Provinciales illas Synodos ſine juſſu Pontificis celebratas: 2*do* S. Irenæum, aliosque Victori reſtitiſſe, quaſi eidem jus negaſſent judicandi, atque Epiſcopos excommunicandi: 3*tio* *Simili* modo ab omnibus Epiſcopis potuiſſe excommunicari Epiſcopos: & 4*to* excommunicationem non eſſe actum jurisdictionis. Tertio Seculo Dionyſius Alexandrinus, cum eſſet de fide in Filium Dei ſuſpectus, non ad Epiſcoporum provincialium Synodum, ſed & romanum Pontificem fuit delatus, quod judicium S. Epiſcopus non recuſavit, ſed libenter ſubiit: vid. epiſt. Couſt. Quodſi in prima, ut dici ſolet, inſtantia Pontifex jure ſuo judicare potuit; cur non potuerit in altera?

§. 3.

Sed neque deſunt formalis appellationis exempla. Marcion a proprio Patre, & Epiſcopo ſuo ob ſtuprum excommunicatus ad romanam Sedem, a qua prior ſententia reformaretur, confugit. Ergo jam tunc ſecundo Seculo Pontificis tribunal tamquam ſuperius epiſcopali agnitum eſt. Nonne critica hæc concluſio valet? Quid refert, quod Marcion Romæ repulſam tulerit? quaſi vero appellatio ab exitu, & non a provocatione ad ſuperius tribunal eſſet denominanda. Ceterum animadvertendum eſt, non a Pontifice, ſed ſede tunc vacante a Clero romano negatam Marcioni audientiam. Quam ſibi poteſtatem viduatus Clerus non eſſe fatebatur, etiamne Pontifex non habuerit? Iniquior videtur Natalis Alexandri adverſus Bellarminum cenſura **): Non enim Marcion Romanorum communionem tantum *ſuffurari* voluit ſuppreſſa Patris ſententia, ſed hanc potius reformari ſublata Patris excommunicatione, ſive quod idem eſt, reſtituta ſibi Romanorum communione. Propterea iſti reſponderunt: „Nobis injuſſu venerandi Patris tui iſtud facere non licet: „una ſiquidem fides eſt, & animorum una conſenſio: neque contra ſpectatiſſi-„mum Collegam, patrem tuum moliri quidpiam poſſumus.“

§. 4.

Tertio Seculo vel orientalis Eccleſia plura offert appellationum ad romanum Pontificem exempla. Ut enim ex antiquo Claudio Apollinario Hierapolis

*) De antiq. Eccleſ. Diſciplina. Diſſert. 2, Cap. 2, §. 1.

**) Hiſt. eccleſ. ad Sec. 2, Diſſert. 2, Art. 3.

rapolis Epiſcopo Euſebius narrat *), Montanus, Florianus, Baſtus, aliique ipſorum ſequaces in variis Synodis regionum, Aſiaticæ & Ponticæ damnati ad Zephirinum P. appellarunt, ut ſibi ablatam communionis pacem reddi præciperet. Origenes Epiſcoporum judicio damnatus ſeu ſponte ſua, ſeu a Fabiano P. vocatus Romam petiit, ut ibi cauſſam ſuam defenderet teſte Euſebio *1) Paulus Samoſatenus in Antiochena Synodo damnatus cum nollet Sede ſua cedere; in auxilium vocatus Imperator Aurelianus, etſi Gentilis hanc cauſſam Romæ adhuc tractari, atque definitivam inde ſententiam exſpectari juſſit, prout conſtat ex relatione Synodi Antiochenæ ad Dionyſium P. apud Euſebium *2). Tam communis etiam in Oriente perſuaſio fuit de ſuprema inter Chriſtianos judicandi Authoritate in romano Pontifice reſidente.

§. 5.

Ex Occidente appellationum exempla fere jam abundant. Privatus Labeſitanus ab Africanis Patribus damnatus Romæ communionem fraudibus impetrare tentavit, ſed a Fabiano P. Synodi ſententia confirmata eſt *3). Fortunatus, & Feliciſſimus in Carthaginenſi Concilio damnati Romam navigarunt, S. Cornelio Pontifici fucum facere conati, ſed nonniſi damnationis ſuæ confirmationem retulerunt *4). Baſilides, & Martialis Hiſpaniæ Epiſcopi a provinciali Synodo depoſiti Romam ad Stephanum P. confugerunt, a quo etiam reſtituti priſtinæ dignitati videntur *5). Imo ipſe Cyprianus ad eumdem Pontificem ſcripſit rogans, ut ad Provinciam Arelatæ litteras dirigeret, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtitueretur *6). Sive Marcianus a Synodo Provinciæ jam judicatus fuerit, ſive non; utcumque Dupinius S. Cypriani verba torqueat; manifeſte ex illis apparet ab ipſo Cypriano agnitum fuiſſe, Epiſcoporum cauſſas dijudicandi poteſtatem ſeu ante, ſeu poſt Synodum Pontifici convenire.

§. 6.

Nec obſtat, quod Cyprianus in cauſſa Felicisſimi & Fortunati ad Cornelium P. ſcripſerit: „Cum ſtatutum ſit omnibus nobis & æquum ſit pariter, „ac juſtum, ut uniuſcujusque cauſſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, „& ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unusquisque, „& gubernet rationem ſui actus Domino redditurus oportet utique eos, qui„bus

*) Hiſt. eccleſ. Lib. 5, Cap. 15. *1) Lib. 6, Cap. 20. *2) Lib. 7, Cap. 24.
*3) Inter Epiſt. Cyprian. 30. *4) Cypr. Epiſt. 55. *5) Cypr. Epiſt. 68.
*6) Cypr. Epiſt. 67.

Digitized by Google

„bus præſumus, non circumcurſare, nec Epiſcoporum concordiam cohærentem ſua ſubdola, & fallaci temeritate collidere, ſed agere illic cauſſam „ſuam, ubi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint; niſi ſi paucis „deſperatis, & perditis minor videtur, eſſe Authoritas Epiſcoporum in Af„rica conſtitutorum, qui jam de illis judicaverunt, & eorum conſcientiam „multis delictorum laqueis vinctam judicii nuper gravitate damnarunt. Jam „cauſſa eorum cognita eſt, jam de eis dicta ſententia eſt. Nec cenſuræ con„gruit Sacerdotum mobilis, atque inconſtantis animi levitate reprehendi.“ Ex his verbis commotus, & ulceratus Cypriani animus ſatis ſe prodit, qui rhetorico ſuo more hanc ſubdolam, & injuſtam, quod non diffitemur, appellationem exaggeravit. Hinc 1mo ſi preſſe verba urgerentur, nimium dixiſſet & falſum, quaſi ſingulis Epiſcopis, etiam absque Synodo provinciali, in ultima jam inſtantia licuiſſet Presbyteros condemnare ex ea ratione, *quod ſingulis Paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat, & gubernet unusquisque ſoli Domino rationem redditurus:* quod certe falſum eſt; ſecus væ Presbyteris, nec minus Laicis ſub tyranno Epiſcopo! Tantum itaque 2do in fraudem & abuſum appellantium tam violenter invectus eſt Cyprianus, & *NB.* pro hoc ſingulari caſu juſtam negavit appellandi cauſſam: *Quæ autem cauſſa veniendi, & Pſeudoepiſcoporum contra Epiſcopos factum nunciandi?* non negavit jus ſuperioris judicis, ſed & tacite confeſſus eſt: *Navigare audent ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.* Hujus ergo unitatis neceſſitatem cum principali Eccleſia, ſeu quod idem eſt, ſubordinationem erga eamdem agnovit. 3tio Quod ſtatutum, & praxin Africanorum attinet, non negamus, *jure humano* Presbyteris fuiſſe prohibitum extra Provinciam appellare, eo tempore, quo non unius Archiepiſcopi, vel ejus Curialiſtarum arbitrio, ſed a provinciali Epiſcoporum Synodo judicia formabantur. Feliciſſimus autem nonniſi Presbyter fuerat, immo nec Fortunatus legitimus, ſed tantum Schiſmaticorum Pſeudoepiſcopus. Ceterum diſciplina mere humanæ inſtitutionis, ſi qua cauſſa gravior eſſet, non poterat jus divinum pontificiæ Authoritatis impedire: hinc & Romæ iſto peculiari Africanorum ſtatuto non putabatur ligata S. Petri poteſtas.

§. 7.

Futile non minus eſt, quod ex S. Cypriano in cauſſa Baſilidis & Martialis poſt Queſnellum Dupinius opponit *): „Illis Hiſpaniæ Epiſcopis ob ido„lolatriæ crimen depoſitis, & a Papa, ad quem confugerant, reſtitutis qui„dam Hiſpani ad Africanam Eccleſiam litteras dederunt conſilium hac in re „expe-

*) De antiq. Eccleſ. Diſcipl. Diſſert. 2, Cap. 2.

Digitized by Google

„expetentes. Cyprianus reſpondit, legitime jam ordinatos in locum depo-„ſitorum pro veris Epiſcopis agnoſcendos inſuperhabita Papæ reſtitutione, „quippe qui ordinationem jure profectam reſcindere nequeat.“ Sed ipſum S. Cypriani textum ante oculos ponamus, & tota difficultas mox diſparebit: en verba *): „Nec reſcindere (Pontifex) ordinationem jure profectam poteſt, „quod Baſilides poſt crimina ſua detecta, & conſcientiam etiam propria con-„feſſione nudatam Romam pergens Stephanum Collegam noſtrum longe poſi-„tum, & geſtæ rei, ac tacitæ veritatis ignarum fefellit, ut exambiret repo-„ni ſe injuſte in Epiſcopatum, de quo fuerat juſte depoſitus. Hoc eo perti-„net, ut ad ſuperiora peccata ejus etiam fallaciæ, & circumventionis crimen „accederet.“ Ergo Cyprianus non ex defectu poteſtatis, ſed juſtitiæ, ac propter fallaciam, & circumventionem nullius valoris eſſe declaravit pontificiam reſtitutionem. Sane ipſi Pontifices haud raro declararunt, hoc ſenſu, ſcilicet ob ſubdolam obreptionem deceptoribus favere non poſſe ſuas ſententias. His accedit non levis ſuſpicio, quod non tam Pontifex, quam ipſe potius Cyprianus relatione unius Epiſcopi, nempe Cæſarauguſtani cum paucis Clericis ex tota Hiſpania deceptus fuerit, quodque reliqui ex Clero, populoque Pontificis ſententiæ adhæſerint expulſis Felice, & Sabino, qui in Sedes Baſilidis, & Martialis fuerant ſubrogati. Quidquid ob penuriam documentorum placeat, certum eſt ex facto hoc colligi, quod ipſe Baluzius Iſidori Mercatoris licet inimicus certe infenſiſſimus, in Nota 27 ad memoratam Cypriani Epiſtolam fatebatur: „Antiquiſſimum eſſe in Eccleſia uſum, ut ex „remotiſſimis orbis partibus Epiſcopi, qui ſe injuſte preſſos eſſe a Collegis „ſuis crederent, provocarent ad romanum, tamquam ad primarium Eccleſiæ „univerſalis Antiſtitem.“ Mirum, quam audacter Febronius provocet, quis jam Dupinium refutaverit! ego vero provocare non dubito, quis Fratres Ballerinios, quis Antifebronium, quis hiſtoricas haſce veritates vel a me conſcriptas ſit refutaturus?

§. 8.

Quarti Seculi initia attingimus, ubi mox in Cæciliani cauſſa inſigne occurrit exemplum, quod docet provinciales Synodos a romano Pontifice potuiſſe reformari. Ille enim ſub Numidiæ Primate a 70 Epiſcopis Carthagine damnatus. Sedem ſuam retinuit, eoquod cum romana Eccleſia communione eſſet conjunctus, coram qua teſte Auguſtino epiſt. 162 cauſſam ſuam dicere potuiſſet. Revera cum Schiſmatici Africani ſententiæ ſuæ Authoritatem deeſſe ſentirent, eam Galliæ Præſulum aſſenſu roborare nitebantur: quare datis ad Imperatorem Conſtantinum litteris ex Gallia adhuc

*) Epiſt. 68.

huc ſibi judices dari petebant. Imperator, ut Optatus Milevitanus teſtatur *), juſte indignatus in hac re ſuum incompetens forum implorari, eamdem ad romanum Pontificem ablegavit miſſa Melchiadi P. epiſtola, & adjunctis ex Gallia quoque eccleſiaſticis judicibus. In romano Concilio a. 313 pontificia Authoritate purgatus Cæcilianus Carthaginenſis Archiepiſcopus, ejusque adverſarii Donatiſtæ ſunt damnati. Melchiadem hac in re legitimum judicem fuiſſe, aperte fatetur Auguſtinus, etſi ad frangendam Donatiſtarum pertinaciam cit. epiſt.: *argumento ad hominem* illos urgeat, eoquod nec ipſe Pontifex per ſe hoc judicium ſibi uſurpaverit, ſed ad ipſorum preces, quibus transmarinos petebant judices, ab Imperatore rogatus. Non minus falſum, quam & catholicis auribus ſumme offenſivum eſt, quod Dupinius garrit, Melchiadem non proprio nomine, ſed ut judicem ab Imperatore deputatum ſententiam pronunciaſſe. Quæſtionem hanc, quantum ſcio, primus inter Catholicos Natalis Alexander tractavit, ſed ut ipſe declarat, *contra quosdam e Calviniano grege Theologaſtros* **). Videant ergo, qui Dupinio glorientur Doctore, quibusnam pro caſtris ille militaverit.

§. 9.

Socrate ***), & Sozomeno ****), græcis teſtibus, *quoniam cura omnium Eccleſiarum ad romanum Pontificem ſpectat*, Orientis Epiſcopi ſuis Sedibus per Arianos dejecti, Paulus Conſtantinopolitanus, Marcellus Ancyranus, Aſclepas Gazenſis, & Lucius Hadiranopolitanus Romam confugerunt, ſeu quod idem eſt, appellarunt, ſuaque expoſita cauſſa Julii Pontificis litteris in proprias Eccleſias reſtituti ſunt. Mendax eſt Dupinius, dum horum ad pontificiam Sedem confugium negat. Inane pariter eſt, quod hisce *poſitivis* factis opponit, *negativum* argumentum, e. g. Meletium & Arium, item Euſtathium Antiochenum in Oriente depoſitos Romam non appellaſſe, quaſi vero ſi quis hodie a primæ inſtantiæ ſententia ad ſuperiorem judicem non appellet, jam hujus ſuperior jurisdictio negaretur. Certe Meletius, & Arius propter Idololatriæ, hæreſeos, aliaque aperta crimina damnati mitius ſibi judicium Romæ non poterant polliceri, præterquam, quod pro antiquiſſimo more a catholicis Epiſcopis ſancte obſervato ipſa ſynodalia decreta ad ſummum Pontificem relata fuerint. An Euſtathius innocentiam ſuam apud Pontificem non defenderit, ex documentorum inopia ignoramus: ceterum ſi ad Papam non appellavit, neque id mirum, quia Imperatoris edicto violenter in exilium fuit ejectus, & contra perſecutoris violentiam nulla appellatio prodeſt.

§. 10.

*) Contra Parmenianum Lib. 1.
**) Ad Sec. 4 Diſſert. 3, Quæſt. 2.
***) Hiſt. eccl. L. 2, C. 15.
****) Hiſt. eccl. L. 3, C. 8.

§. 10.

Demum poſt tot jam appellationum exempla ex pauciſſimis primævæ hiſtoriæ monumentis illud inſigne eſt S. Athanaſii, qui ab Euſebianis Tyri in Concilio damnatus per legatos ſaltem ſuos, niſi in propria perſona ad Julium P. cauſſæ ſuæ defenſionem detulit, atque ad eam Romæ defendendam a Pontifice fuit evocatus, ut patet ex ipſa genuina Julii epiſtola ad Euſebianos. Frivola plane exceptio eſt, quam Calvinianorum ex ore Dupinius, & Febronius repetunt, non proprie Judicem, ſed tantum Arbitrum ab ipſis Patribus electum in hac cauſſa Pontificem fuiſſe. Euſebiani enim, ſi libera voluntate in judicium Julii, tamquam arbitri conſenſiſſent, contra eumdem conqueri non potuiſſent, quod cauſſæ hujus cognitionem ſuum ad tribunal traxiſſet, quod ipſos ad cauſſam dicendam ad ſe Romam vocaſſet, quod Orientalium Judicio hac retractatione injuriam faceret: nec Julius etiam hoc retractandi jus ex antiqua conſuetudine, ex eccleſiaſtica regula, ex apoſtolica Petri authoritate, tamquam omnibus notiſſima ſibi vindicare, ac Euſebianis exprobrare potuiſſet, quod ſine romanæ Eccleſiæ conſenſu ſententiam contra Epiſcopos ferre præſumſerint. Vide ſupra Art. 1, §. 5. — Diſcant Febroniani hiſtoriæ hujus veritatem vel a græcis Hiſtoricis potius, quam a Blondello Calvini ex ſecta hæretico. Certe jam excitati Socrates, & Sozomenus, uti & Theodoretus *) teſtantur judicium hujus cauſſæ a Julio fuiſſe reaſſumtum proprio romanæ Sedis privilegio, ſecundum Eccleſiæ canonem, & legem ad ſummi Sacerdotis dignitatem ſpectantem, *quæ pronunciat acta illa irrita eſſe, quæ præter ſententiam Epiſcopi romani conſtituuntur.* Quod igitur Athanaſius ſcribit Apolog. 2: *Euſebianos ipſi Julio, ſi vellet, arbitrium cauſſæ detuliſſe*, id eodem interprete fecerunt, *ut terrerent ipſum*, fiduciam ſuæ cauſſæ affectantes, qua videri volebant, ſe novum ſui judicii examen non reformidare: eventus autem ſimulationem detexit, dum actu examini novo pro viribus reſtiterunt.

§. 11.

Æque vanum eſt, falſumque, quod Febronius cum Valeſio **) aſſerit. Athanaſium a Julio tantum innocentem fuiſſe pronunciatum, & in communionem receptum, neutiquam vero Sedi ſuæ reſtitutum. Inanis diſtinctio! Nonne qui innocens a judice declaratur, & reformata priorum judicum ſententia in communionem totius Eccleſiæ reſtituitur, jam eo ipſo legitimus priſtinæ Sedis Epiſcopus pronunciatus eſt? Sed nugis heſterni Valeſii major eſt fides græcorum teſtium, eorumque antiquiſſimorum, major

*) Lib. 2, Cap. 4. **) In Socrat. Lib. 2, Cap. 15 in Nota *b*.

jor eſt ipſius Julii fides, qui expreſſe in laudata epiſtola ad Euſebianos *) profitetur *pro vero Epiſcopo a ſe habitum* Athanaſium, & ſententiam Euſebianorum injuſtam, illegitimamque *apoſtolica Petri Autboritate* declarat. Falſum inſuper eſt, in Sardicenſi primum Synodo Athanaſium ſuæ Sedi fuiſſe reſtitutum. Cum enim poſt Julii ſententiam novis machinationibus, novis accuſationibus ſuorum hoſtium impeteretur; iterum a Sede ſua fugere compulſus, ac nova hac cauſſa in Sardicenſi Synodo diſcuſſa *NB*. non ſine romani Pontificis conſenſu iterum reſtitutus eſt. His accedit, quod Euſebianis omni arte, & niſu conantibus Sardicenſes Patres a communione Athanaſii, & aliorum Epiſcoporum in Synodo Tyria depoſitorum avertere, illi id *impoſſibile* poſt Julii judicium enunciarunt, imo data opera hujus judicii æquitatem in epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam defenderunt: „Qua ex re æquitas judicii fratris, & Coepiſcopi noſtri Julii „liquidiſſime apparuit, qui non temerario conſilio, ſed cum matura deliberatione SENTENTIAM TULIT, adeo ut nihil relinquatur dubii de communio„ne Fratris noſtri Athanaſii.„

§. 12.

Poſtquam ex ſingulis quatuor primis Seculis jam tot, tamque clara vidimus exempla ad ſummam Sedem appellationum, & quidem ex pauciſſimis, quæ ſuperſunt illorum temporum documentis; quid ergo de Zalweinio ſentiendum, qui catholicus Doctor cum eſſet, Hæreticorum & Shiſmaticorum provocationes ad Imperatorem comparare, parique cenſu habere non erubuit cum appellationibus fidelium ad apoſtolicam Petri Cathedram? Quis non ſequentium verborum falſitatem agnoſcat, & averſetur **): „Profecto ſi totam Antiquitatem priorum ſeculorum percurramus; „vix ullum authenticæ appellationis exemplum reperire erit, aut ſi quæ „admodum pauca exſtarent, magis juri, & conſuetudini ordinariæ, quam „exemplis quibusdam & factis undecumque petitis ſtandum foret.“ Quid ergo Zalweinius dixerit ad tot appellationum exempla paucis ex documentis a nobis allata? undenam niſi ex hisce factis conſuetudinem ordinariam colligere poſſumus? cur ipſum jus auſus eſt jam in dubium vocare, quod antea ut Catholicus divinæ inſtitutionis eſſe fatebatur? quid demum authentica ſit appellatio, niſi *ab inferiore judice ad legitimum Superiorem provocatio*? Talem autem romanum eſſe Pontificem quis Chriſtianorum *ſalva fide* negaverit? Quosnam teſtes pro contraria diſciplina primævæ antiquitatis producit, niſi unum Cyprianum, de quo ipſe diffiteri non poteſt, *vebementius nonnihil pro ſuis juribus zelaſſe?* vide noſtram reſponſionem ſupra §. 6.

ARTI-

*) Apud Couſtant. n. 13.   **) Princip. jur. eccleſ. Tom. 2, Quæſt. 1, Cap. 4, §. 5.

ARTICULUS III.

De Canonibus Conciliorum.

§. 1.

Tertio nunc loco de Canonibus, imprimis Nicæni Concilii dicendum, cujus ex interpretatione Gentiani Herveti canon V ita ſonat: „De „iis, qui a communione ſegregati ſunt, ſive Clericorum, ſive Laicorum „ſint ordinis, ab Epiſcopis, qui ſunt in unaquaque Provincia, valeat ſen„tentia ſecundum canonem, qui pronunciat eos, qui ab iis ejecti ſunt, „non eſſe ab aliis admittendos: examinetur autem, numquid vel puſillani„mitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi Epiſcopi acerbitate congre„gatione pulſi ſint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, „recte habere viſum eſt, ut ſingulis annis in unaquaque Provincia bis in anno „Synodi fiant, ut cum omnes Provinciæ Epiſcopi in eumdem locum commu„niter conveniant, ejusmodi quæſtiones examinentur, & ſic quos Epiſco„pum offendiſſe conſtiterit, juſte eſſe a congregatione ſeparati apud omnes vi„deantur, donec Epiſcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem „proferre ſententiam." Incredibile eſt, quantum Anti-Romani laborent ad concluſionem, quæ hoc in canone non continetur, extorquendam, ſcilicet Epiſcoporum Synodis hic ultimatum concedi judicium ſine ullo ad ſupremam Sedem recurſu, aut appellatione.

§. 2.

At enimvero tranquilla mente hunc canonem perpendens Lector, multa videbit huic violentæ torſioni contraria. 1*mo* Ex ipſa textus littera apparet, non hic de judicandis Epiſcopis, neque de cauſſis fidei agi, ſed tantum de criminibus inferiorum ſive ex populo, hinc nequidem *de cauſſis majoribus*. Perabſurda eſt Dupinii cavillatio, etiam epiſcopales cauſas hic ſubintelligi, quia in numero plurali *ab Epiſcopis* dicuntur judicatæ, hoc eſt a Synodo Epiſcoporum, cum Clericorum inferiorum, vel Laicorum cauſſæ tantum ab uno Epiſcopo judicari conſueverint, quaſi vero vulgaris mos ſermonis non eſſet numerum *indeterminatum*, ſeu pluralem ſæpe pro *determinato*, ſeu ſingulari adhibere e. g. dici ſolet Epiſcopi hoc poſſunt, loco quilibet *ſingularis* Epiſcopus hoc poteſt. Sed & ipſi Nicæni Patres expreſſe in contextu de *ſingularis* Epiſcopi judicio ſe loqui manifeſtant. 2*do* Patres id tantum decreverunt de *ordinariis* criminum judiciis: cum enim in unius Epiſcopi, forſitan paſſione incitati ſententia firmam non ponerent fiduciam, hinc ſingulis annis convocationem Synodorum præſcripſerunt: de *extraordinario* appellationis judicio

dicio a ſumma Sede ferendo nec verbulum Patres: abſtrahere autem, vel reticere aliquid nondum eſt negare. 3*tio* Poſtquam bis per ſingulos annos celebrari provinciales Synodi ceſſarunt, eumdem hunc canonem eo ipſo dudum ceſſaſſe neceſſe eſt. 4*to* Quod demum præcipuum eſt, appellationem ad apoſtolicam Petri Cathedram hoc canone non fuiſſe excluſam *poſitive* conſtat. Partim id ex eo apparet, quia ad anteriorem Apoſtolorum, ut vocantur, canonem ibi reſpicitur, qui tantum inter Epiſcopos diverſarum Provinciarum inter ſe æquales voluit, ut nempe ab uno Epiſcopo excommunicatus ab alio non recipiatur: ad romanum vero Pontificem, ceu Epiſcoporum omnium Caput injuriam paſſos ſemper confugiſſe, jam ex factis Antenicænis demonſtratum eſt. Partim etiam ex proxime ſubſequentibus Nicænum, iisque certiſſimis documentis patet, ipſum voluiſſe Concilium, ut jura ſummi Pontificis ſarta tecta ſerventur. Ita præter Sardicenſes Patres, de quibus paulo poſtea, Julius, Bonifacius, Innocentius, quos vide ſupra Art. 1, §§. 5, 6, 7, & ſingulariter romana Synodus ſub Felice III teſtantur: „Domino ad B. Petrum dicente, *tu es* „*Petrus*, & *ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam* &c. Quam vocem „ſequentes trecenti decem, & octo SS. Patres apud Nicæam congregati con„firmationem rerum, atque Authoritatem ſanctæ romanæ Eccleſiæ detulerunt: „quam utramque usque ad ætatem noſtram ſucceſſiones omnes Chriſti gratia „præſtante cuſtodiunt.“

§. 3.

Antiocheni cujusdam Concilii, ut vulgo creditur, de anno 341 duos canones poſt Petrum de Marca, & Dupinium Febronius opponit. Canon XIV ordinat, ſi in cauſſa Epiſcopi provincialis Synodus diviſa fuerit, Metropolitanus plures ex vicinia Epiſcopos ad priores judices advocet, a quibus, quod juſtum fuerit, adprobetur. Canon XV vero, ut totius Synodi unanimo conſenſu damnatus Epiſcopus apud alios minime judicetur, ſed firma concordantium ex Provincia judicum maneat Authoritas. Atque hos canones ab ipſo Chalcedonenſi Concilio dicunt approbatos: unde jam concludunt, Epiſcoporum cauſſas comprovincialium, aut finitimorum judicio fuiſſe omnimodo terminatas, ut nullus poſthac appellationis locus ad ſuperius quodcumque eccleſiaſticum tribunal relinqueretur. Ad hujus obſcuri Concilii canones triplicem eruditorum reſponſionem proferam, quarum quælibet motam ab adverſariis difficultatem facile ſuperabit.

§. 4.

Prima eſt illorum, qui Antiochenus hos canones aut integros ab Arianis ſaltem occultis in odium S. Athanaſii, & romanæ Eccleſiæ profectos cum Zalweinio exiſtimant, aut ex duabus Synodis Antiochenis, una Euſebia-

Digitized by Google

ſebianorum a. 341, altera Orthodoxorum ante annum 335 habita commixtos cum Tillemontio, & Bartholo judicant, ita ut duo excitati canones opinione veroſimillima ad Authores Arianos referendi videantur; ceteri autem, quos Chalcedonenſe Concilium adoptavit, totam ſuam inde trahant Authoritatem. Altera eſt reſponſio, quam apud Beveregium *) vel ipſi dant græci canonum interpretes, Ariſtænus, Matthæus Blaſtores, ac Theodorus Balſamon, hos Orientalium canones Antiochenos a Sardicenſi Synodo *juſtiore*, & *humaniore ſententia* fuiſſe ſublatos, vel intelligendos eſſe tantum de tali Synodo, quam ipſe Pontifex jam probaverit, ut Balſamon ait, *de Synodo, a qua non detur appellatio, uti a Papa.*

§. 5.

Ut vero largiſſimus ſim, cum FF. Balleriniis **) tertium admitto, a catholicis Antiochenæ Provinciæ Epiſcopis a. 332 Sede vacante hos canones fuiſſe confectos, ubi autem nec verbulum de appellatione ad ſupremam Sedem, dè qua ibi quæſtio non erat, ſed juribus ſummi Sacerdotis intactis, tantum de provincialium Synodorum judiciis rite ordinandis tractabatur, ita ut can. XIV in diverſitate opinionum ſynodalis reviſio novis judicibus adjunctis præciperetur: hæc autem reviſio *NB.* provincialis in caſu conſenſus omnium judicum can. XV negaretur. Quis dicat propterea romani Pontificis divina jura fuiſſe reſtricta? Memoratu ſane digna ſunt ipſa Balleriniorum verba ***): „Illud imprimis animadvertimus, eo cano„ne XV non omnem appellationem, ſeu tractationem expungi, ſed ſolum „in caſu conſenſus omnium Epiſcoporum unius Provinciæ denegari illud „novum judicium e vicinæ Provinciæ Epiſcopis inſtituendum, quod ante„cedenti canone conceſſum fuerat. De jure autem appellationis, aut re„tractationis in pleniori Synodo, aut in alio tribunali ſuperiore ne verbum „quidem. Deinde eo ſolum caſu novum judicium laudato canone XV ex„cluditur, quo crimen adeo ſit manifeſtum, ut ne uno quidem Epiſcopo „diſcrepante omnes in condemnationem conſentiant. Id in legitimis ju„diciis nulla præcipitantia, præventione nulla inſtitutis non ſolet accidere, „niſi cum reus vel confeſſus eſt, vel ſaltem convictus, quo quidem caſu „aliquot etiam civiles leges tum antiquæ, tum recentiores appellationem „vetant. — Ceterum ſi in iis quoque circumſtantiis, quibus aliquis Epiſ„copus omnium licet Epiſcoporum ſuæ Provinciæ ſententia condemnatus, „aliquo nomine ſe gravatum ſentiat, omnis appellatio, aut judicii renova-

„tio

*) In Pandect. canon. Tom, 1, pag. 435 &c. Oxonii 1672.

) Opp. S. Leon. Tom. 3. Præf. p. 25. *) Tom. 2, Col. 943.

Digitized by Google

„tio can. XV ſublata credatur; idem canon hoc ſane ſenſu nec a græca, „nec a latina Eccleſia umquam receptus fuit, ac proinde tum in Oriente, „tum in Occidente appellationum cauſſæ ſemper viguere, & Sardicenſium „poſteriorum canonum prævaluit Authoritas, qui dum appellationibus adi- „tum patere ſanxerunt, hunc Antiochenum canonem emendarunt, ſimul- „que apoſtolicæ Sedis juri in appellationibus proſpexere.“

§. 6.

Sane Antiochenos hos canones, eoquod aliquos eorum Chalcedonenſe Concilium adoptavit, ad mentem ejusdem Concilii exponi oportet, ut merito doctiſs. Antonius de Simeonibus contra Dupinium animadvertit *): „Quamobrem canones illos non ex Antiochenorum (forte Arianorum) „Epiſcoporum, ſed ex Chalcedonenſium Patrum ſententia exponendos eſſe „omnes intelligunt: qui quidem haud dubie ſibi perſuaſum habebant, ſum- „mum Pontificem de totius Eccleſiæ cauſſis, ſive per appellationem, ſive „alio quocumque modo ad apoſtolicam Sedem delatis poſſe judicare. Quod „ut clarius oſtendatur, animadvertendum eſt, Theodoretum Cyrenſem Epiſ- „copum ab orientali Synodo damnatum ad S. Leonem M. provocaſſe, a „quo cum fuiſſet abſolutus, re poſtea ad Chalcedonenſe Comitium delata „nequaquam Patres declararunt, a Synodis ad rom. Pontificem provocatio- „nem non dari, quemadmodum liquido declaraſſent, ſi id verum eſſe exi- „ſtimaſſent: ſed potius fuere profeſſi, Sedi apoſtolicæ orientalium Synodo- „rum ſententias irritas faciendi eſſe poteſtatem. Hac de cauſſa Leonem M. „laudibus concelebrant, quod Theodoretum reſtituiſſet. — *Archiepiſcopo „Leoni multos annos! poſt Deum Leo judicavit.* — De hac Leonis ſenten- „tia judices non ſemel in eodem Concilio, præcipue Act. 1 in hæc verba „loquuntur: *Glorioſiſſimi judices, & Ampliſſimus Senatus dixerunt, ingre- „diatur Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps Synodi, quia „& reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo.* Cognoſcebant „igitur Chalcedonenſes Patres ex Occidente, Orienteque provocari ad ro- „manum Pontificem poſſe, ut etiam Eutychetis, & Flaviani exemplo nu- „per experti erant: idcirco dubitari non poteſt, quin ii Antiochenos cano- „nes recipiendo nullum præjudicium Sedi apoſtolicæ fieri arbitrati ſint.“

§. 7.

*) De rom. Pontif. judiciaria poteſtate T. 2, C. 20, §. 6.

Digitized by Google

§. 7.

Ad Sardicenſe Concilium nunc ordine devolvimur. Qui ad rem ſpectant ſequentes ſunt canones, quos Herveto interprete ex Græco verſos, ut amplius adverſariis ſatisfaciam, in uno latere, in altero ex latina editione Dionyſii Exigui hic conſpiciendos propono.

Canon III.

Verſio græca.

Si quis Epiſcoporum in aliquo negotio condemnandus fuerit viſus, ut putet, non malam, ſed bonam cauſſam habere, ut etiam rurſus judicium renovetur, ſi veſtræ dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverunt, ſcribatur Julio Epiſcopo urbis Romæ, & per propinquos Provinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, judicium renovetur, & cognitores ipſe præbeat. Si autem probare non poteſt cauſſam ejus eſſe talem, ut eam rurſus judicari opus ſit, quæ ſemel ſunt judicata, non infirmentur ſed rata ſit lata ſententia.

Editio latina.

Quodſi aliquis Epiſcoporum judicatus fuerit in aliqua cauſſa, & putat ſe cauſſam bonam habere, ut iterum Concilium renovetur, ſi vobis placet, S. Petri memoriam honoremus, ut ſcribatur ab his, qui cauſſam examinarunt, Julio romano Epiſcopo, & ſi judicaverit renovandum eſſe judicium, renovetur, & det judices: ſi autem probaverit talem cauſſam eſſe, ut non refricentur ea, quæ acta ſunt, quæ decreverit, confirmata erunt, ſi hoc omnibus placet. Reſpondit Synodus, placet.

Canon IV.

Verſio græca.

Gaudentius Epiſcopus dixit, ſi videtur, neceſſe eſt adjici huic ſententiæ, quam ſincera dilectione plenam protuliſti, ut ſi quis Epiſcopus fuerit depoſitus judicio Epiſcoporum, qui ſunt in vicinia, & dicat rurſus ſibi defenſionis negotium competere; non prius in cathedram alius ſubſtituatur, quam romanus Epiſcopus cauſſa cognita ſententiam tulerit.

Editio latina.

Gaudentius Epiſcopus dixit, addendum, ſi placet, huic ſententiæ, quam plenam ſanctitate protuliſti, ut cum aliquis Epiſcopus depoſitus fuerit coram Epiſcoporum judicio, qui in viciniis locis commorantur, & proclamaverit agendum ſibi negotium in urbe Roma, alter Epiſcopus in ejus Cathedra poſt appellationem ejus, qui videtur depoſitus eſſe, omnino non ordinetur, niſi cauſſa fuerit in judicio Epiſcopi romani determinata.

Digitized by Google

Canon V vel VII.

Verſio græca.	*Editio latina.*
Oſius Epiſcopus dixit, placuit, ut ſi quis Epiſcopus delatus fuerit, & congregati ejusdem regionis Epiſcopi eum gradu moverint, ac veluti appellans confugerit ad Beatiſſimum Rom. Eccleſiæ Epiſcopum, & velit ipſum audire, & juſtum eſſe exiſtimaverit ejus rei examinationem renovari; Coëpiſcopis ſcribere dignetur, qui ſunt propinqui Provinciæ, ut ipſi diligenter, & accurate ſingula perſcrutentur, & ex veritatis fide de re ſententiam ferant. Si quis autem poſtulet ſuum negotium rurſus audiri, & ad ejus ſupplicationem romanum Epiſcopum movere viſum fuerit, ut e proprio latere Presbyteros mittat, ſit in poteſtate ipſius id, quod illi placuerit, & ſi decreverit Rom. Epiſcopus aliquos oportere mitti, qui cum Epiſcopis ſint judicaturi, habentes Authoritatem ejus, a quo miſſi ſunt, & hoc ponendum eſt: ſi autem ſufficere crediderit ad rei cognitionem Epiſcopi (lege Epiſcopii) ſententiam, faciet, quod prudentiſſimo ejus conſilio recte habere videbitur.	Oſius Epiſcopus dixit, placuit autem, ut ſi Epiſcopus accuſatus fuerit, & judicaverint congregati Epiſcopi regionis ipſius, & de gradu ſuo eum dejecerint, ſi appellaverit, qui dejectus, & confugerit ad Epiſcopum Rom. Eccleſiæ, & voluerit ſe audiri, ſi juſtum putaverit, ut renovetur judicium, vel diſcuſſionis *examen* ſcribere his Epiſcopis dignetur, qui in finitima, & propinqua Provincia ſunt, ut ipſi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis definiant. Quodſi is, qui rogat ſuam cauſſam iterum audiri, deprecatione ſua moverit Epiſcopum romanum, ut de latere ſuo Presbyterum mittat, erit in poteſtate Epiſcopi, quid velit, & quid æſtimet; & ſi decreverit mittendos eſſe, qui præſentes cum Epiſcopis judicent, habentes ejus Authoritatem, a quo deſtinati ſunt, erit in ſuo arbitrio. *Si vero* crediderit Epiſcopos ſufficere, *ut negotio terminum imponant, faciet*, quod ſapientiſſimo conſilio ſuo judicaverit.

§. 8.

Hos canones attento animo conſideranti, Quesnellianæ, Dupinianæ, & Febronianæ cavillationes facile, ut fumus evaneſcent: a Patribus ſiquidem Catholicis non tantum Occidentis, ſed & ſeptuaginta & amplius Orientis contra Euſebianos, ut videtur, conditi ſunt: illi enim S. Athanaſii hoſtes infenſiſſimi eidem a ſe injuſte condemnato omnem reſtitutionis viam occludere conabantur, propterea adverſus Julium P. graves querelas proponentes, quod iſte orientalium Synodorum jura violaſſet jam judicatas ab illis cauſſas denuo ad ſuum tribunal trahendo, iniquum id eſſe prætendentes; ſed

ſed ſicut orientales Epiſcopi cauſſas ab occidentalibus definitas pro validis habuiſſent, ita neque Occidentales, neque ipſe adeo Pontifex Orientalium judicia retractare deberent, quaſi vero romano Pontifici, tamquam univerſæ Eccleſiæ Capiti, & Primati ſuprema in Orientem jurisdictio non competeret. Ut hisce Hæreticorum iniquis gravaminibus os obſtruerent Sardicenſes orthodoxi Patres, non ſolum innocentiam Athanaſii declarare, eumque reſtituere decreverant, ſed & Euſebiana gravamina retundere, atque obſervantiam ſummo Sacerdoti debitam canonicis etiam inſtitutis firmare: quem in finem hosce tres canones confecerunt, jam ſingillatim a nobis examinandos.

§. 9.

Prout tertii canonis verba ſatis indicant, nondum hic de vera, & propria appellatione damnati ad ſummam Sedem ſermo eſt, ſed de ſecundo judicio ſynodali, quod vi canonum petere Epiſcopus poterat prima cognitione provincialis Synodi damnatus, *ſi putaret ſe bonam habere cauſſam*, ad quod ſecundum judicium, propinqui extraprovinciales Epiſcopi vocari ſolebant. In hoc caſu, ut dicitur, ſecundæ inſtantiæ, nondum pontificia authoritate judicabatur: attamen Sardicenſis Synodi Præſes, Oſius expedire putabat, ut lite inter comprovinciales Epiſcopos orta neutra pars litigans ex alia Provincia judicem evocaret, ſed ut præter generalem reverentiam ſupremo Capiti debitam S. Petri memoria, quam deprimere Euſebiani ſtudebant, in eo ſpecialiter honoraretur, ut hæc cauſſa, utpote gravior, cum de damnando Epiſcopo ageretur, *ab ipſis judicibus provincialibus*, ſeu primæ inſtantiæ ad romanum Pontificem referretur, in cujus arbitrio ſtaret, ex finitimis Epiſcopis *judices denominare*, de quorum æquitate præſumeret. Huc reſpicere videtur, quod iidem Patres in ſynodica epiſtola ad Julium P. ſcripſerunt: „Optimum & valde congruentiſſimum „eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes.“ Ergo de *relatione* cauſſarum, nondum *de appellatione* hic agitur: ac merito FF. Ballerinii obſervarunt, tantum hoc tertio canone, ubi de relatione ipſorum judicum, a Patribus Sardicenſibus adhiberi formulam: *S. Petri memoriam honoremus*, neutiquam vero in aliis canonibus, ubi de damnati appellatione ſermo eſt, quia hic non reverentialem tantum honorem, ſed jus ſtrictum ſummæ Sedis agnoverunt. A vero igitur plane alienum eſt, quod poſt Petrum de Marca plurimi ad nauſeam recoquunt: hunc tertium Sardicenſem canonem eſſe primam originem quaſi gratuiti juris pontificii circa ſuſcipiendas appellationes, de iis enim nondum hoc canone agebatur.

§. 10.

Quartum nunc canonem explicemus, qui prioris additamentum eſt de tertia, ut ajunt, inſtantia ſeu vera jam, & propria appellatione damnati a ſecundo judicio extraprovincialium judicum ad romanum Pontificem. Nihil in eo ſtatuitur de jure Pontificis appellationes ſuſcipiendi, ſed hoc pro certo jam ſuppoſito tantum ordinatur, ut alter in locum depoſiti non ſubrogetur, antequam romanus Epiſcopus cauſſa cognita ſententiam tulerit. Hæc ipſius græci textus verba ſunt plane decretoria, ita ut nugas fabulentur Petri de Marca aſſeclæ, dum tantum hic apud priores judices novis additis *reviſionem* volunt indicari: cauſſam enim cognoſcere, & ſententiam ferre, quod utique in tertio jam tribunali proprium jus appellationis indicat, expreſſe romano Pontifici tribuitur. Clarior autem adhuc eſt latinus textus, qui *agendum in urbe Roma negotium*, & *cauſſam in judicio romani Epiſcopi terminandam* aſſerit. Atque hæc latina lectio non ſolum in omnibus Mſcptis Dionyſii Exigui, verum etiam in aliarum collectionum ſex perantiquis codicibus invenitur, imo ipſum originalium exemplar, Sardicenſium canonum latino ſermone fuiſſe conceptum validis certe argumentis probant Ballerinii *).

§. 11.

Quinto canone Gaudentii ſermonem de formali damnati Epiſcopi appellatione ad Papam excipiens Oſius ita eſt proſecutus, ut ſi quis a Synodo provinciali depoſitus vel in ſecunda jam inſtantia ad romanum Pontificem appellando (id ſibi vult græca expreſſio *ut appellans*) confugerit; ab ejusdem voluntate dependeat, an, & quomodo velit alterum concedi judicium, ſcilicet an Pontifex propinquæ tantum Provinciæ Epiſcopos ut judices velit nominare, an dignum æſtimet ad preces appellantis, qui ſuſpectos habet finitimos judices, e proprio latere Legatos mittere, qui cum Epiſcopis judicent, & qui NB. pontificiam in judicio authoritatem præ Epiſcopis obtineant. In aprico poſitum eſt, utroque hoc quarto, & quinto canone agi de formali appellatione ad ſuperius Epiſcopis, idque pontificium tribunal, eamque appellationem, ut licitam a Patribus Sardicenſibus agnoſci, ac præſupponi, neutiquam vero noviter inſtitui. Ex quo apparet, quam falſe & inepte Dupinius garriat, quod Pontifex romanus non de cauſſa ipſa judicarit, ſed tantum de Epiſcoporum judicio; quaſi iſtud dijudicare, non foret ipſam rejudicare, & reformare poſſe cauſſam. Cauſſam ab Epiſcopis jam judicatam recognoſcere, iterumque deſuper aut in tertia Romæ per ſe ipſum inſtantia, aut in ſecunda per Legatos in partibus ſententiam

*) Opp. S. Leon. Tom. 2, p. 950.

tentiam ferre, dicite Febroniani! quid eſt hoc, niſi ſuprema jurisdictione pontificia in via appellationis judicare? Enimvero aut communis hominum ratio inſaniat neceſſe eſt, aut vos verborum inani fuco fallitis.

§. 12.

Nihil officit Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi interpretatio *), quod Sardicenſes Canones cauſſam Epiſcopi in provinciali Synodo judicati cum Pontificis romani Vicario, vel arbitrio, & Epiſcoporum, qui jam judicaverunt, & aliorum, qui in propinqua Provincia ſunt, judicio præcipiant terminari. Præterquam enim quod nulla ſit fides Hincmari in hac interpretatione, quippe qua uſus eſt ad palliandam ſuam erga Epiſcopos arrogantiam, & violentiam; nec ipſe etiam Hincmarus negavit, ſed potius faſſus eſt cognitionem ejusmodi cauſſæ, etiam in ſecunda inſtantia debuiſſe ad Papam referri, ut *cum ejus arbitrio* terminaretur. Alia autem plura, utpote a ſcopo ſuo aliena Hincmarus aſtute reticuit, quæ Sardicenſes Canones expreſſe præcipiunt, ut Legatis pontificiis eadem, quæ Papæ, in judicio Epiſcoporum authoritas ſit, Can. V; ſive ut romanus Epiſcopus poſt ſecundum jam judicium finitimorum judicum cauſſa cognita ſententiam ferat, Can. IV. Quod vero iidem Canones in Oriente, & Occidente uſu fuerint recepti, mox fiet ex dicendis manifeſtum.

ARTICULUS IV.

De factis Poſtnicænis usque ad nonum Seculum.

§. 1.

Quarto igitur loco facta Poſtnicæna, eaque Iſidoro Mercatore longe anteriora breviter diſcutienda ſunt, & omiſſis quidem iis, quæ de Synodo Conſtantinopolitana, & Chalcedonenſi Dupinius producit (quippe quæ cum extra oleas verſentur, reſponſione digna non ſunt) appellationum ulteriorem hiſtoriam inprimis ex Oriente repetamus. Euſtathius Sebaſtenus Epiſcopus in Concilio Melitinenſi depoſitus, *viam ſibi ipſi*, verba ſunt Baſilii **), *per quam reſtitueretur, cogitavit, eam videlicet, ut ad Liberium P. proficiſceretur.* Cum ab eodem litteras, per quas reſtitueretur, Synodo Tyanenſi a. 369 exhibuiſſet, locum ſuum priſtinum obtinuit. Natalis Alexandri verba hic ſunt memoranda: „Nec vero illud tantum ſuæ adver„ſus apoſtolicam Sedem venerationis argumentum dederunt omnes Epiſco-

„pi

*) Epiſt. ad Joannem P. VIII.

**) Epiſt. 74.

„pi Diocæſeos Ponticæ in Synodo Tyanenſi congregati, verum etiam cum „poſtea priſtinos in errores eſſet relapſus. Euſtathius hominem apoſtolicæ „protectionis munitum præſidio ita ſunt reveriti, ut ipſum damnare, ac „exauthorare prius noluerint, quam Rom. Pontificem de ejus relapſu mo„nuiſſent, eumque rogaſſent, ut illum Canonum ultioni permitteret, ut „conſtat ex laudata S. Baſilii epiſtola" *).

§. 2.

Falſo opponit Dupinius, Euſtathium miſſum fuiſſe ad Liberium, non ut ageret de ſua reſtitutione, ſed tamquam Legatum Synodi Lampſacenæ, ut Papam ad communionem Epiſcoporum Seminarianorum amplectendam adduceret. Duplici enim ex cauſſa inter Legatos Lampſacenæ Synodi Euſtathius ad Liberium proficiſcebatur, tum ut ipſe, utpote depoſitus, pro vero Epiſcopo a Papa reciperetur, teſte S. Baſilio, tum ut Synodus ex Semiarianis congregata, & propterea Papæ merito ſuſpecta ab illo expoſita fide pro catholica haberetur. Falſum quoque Dupinii figmentum eſt, Euſtathium non fuiſſe Sedi ſuæ a Liberio reſtitutum, ſed tantum per litteras ejus fidem commendatam: nam ſecum attulit Pontificis epiſtolam, per quam reſtitui juſſus eſt, prout S. Baſilius teſtatur: *Epiſtolam attulit, per quam reſtitueretur.*

§. 3.

S. Joannes Chryſoſtomus in Synodo ad Quercum a Theophilo Alexandrino inique damnatus ad Innocentium I romanum Pontificem appellavit: non minus Theophilus quoque Romam Legatos miſit, qui definitivam inde ſententiam referrent, prout patet ex epiſtola Honorii Imperatoris ad Arcadium Imperatorem Orientis. Pontifex depoſitionem Chryſoſtomi in Synodo factam reprobavit, nullamque declaravit. Injuriam Ambroſio Camaldulenſi Monacho Dupinius facit, quaſi ille Palladii id teſtantis textum originarium ad extollendam Rom. Pontificis authoritatem mala fide fuiſſet interpretatus: neque enim ut Dupinio arridet, græca vox ἀθετήσας ſimpliciter *improbantem* ſignificat, ſed potius, quod apud Scapulam invenitur, & contextus exigit, *reprobantem*, *abrogantem*, aliquid pro nullo *decernentem*, ſeu *cum Authoritate improbantem.*

§. 4.

Neque etiam obſtat, quod Innocentius ultimum de Chryſoſtomi innocentia judicium ferre nondum voluerit, ſed in Epiſtola ad Clerum, populum-

*) Ad Sec. 4. Diſſert. 28, Propoſ. 3.

Digitized by Google

pulumque novam petierit ſynodalem cognitionem, utpote *quæ ſola talium procellarum motus ſopire poſſet.* Nam Pontifex contentus primum judicium ſua Authoritate irritum feciſſe, pro ſua prudentia integram cauſſæ hujus cognitionem Concilio reſervavit, quod expediens ſibi videbatur, ut veritate facti in aprico poſita orientalium Epiſcoporum diviſos animos ad unitatem reduceret, & meliora Imperatori perſuaderet, ad opprimendam innocentiam jam diſpoſito. Dupinius autem falſo contendit non ad Pontificem, ſed ad Synodum provocaſſe Chryſoſtomum, eoquod in epiſtola ad Innocentium ſcripſerit: *Licet abſentes eſſemus, & ad Synodum appellaremus.* Ad magnam enim, & legitimam Epiſcoporum Synodum Chryſoſtomus provocavit, antequam ab illa Pſeudo-Synodo ad Quercum damnaretur: nondum ergo hæc propria fuerat appellatio, quippe quæ judicio nondum lato locum habere nequit. Poſtea vero ab exilio revocatus S. Chryſoſtomus novam ab Imperatore Synodum petiit, non ut Sedi ſuæ reſtitueretur, utpote jam reſtitutus, ſed ut demonſtrata ſua innocentia ſuorum inimicorum facinora juſta ultione punirentur. Inſuper Febronii vana eſt objectio, quod Chryſoſtomus ſuas litteras non ad ſolum Pontificem, ſed ſimul ad Epiſcopos alios Italiæ direxerit *). Iſtud enim propterea factum, quia Epiſcopi illi occidentales pro more illorum temporum in Concilio congregati unum *cum*, & *ſub* Papa tribunal conſtituebant: hinc obſervante Fleurio Chryſoſtomus initio ſuarum litterarum ad ſolum loquitur Pontificem, in fine autem ad plures ſermonem convertit **). Solus certe Pontifex fuerat, a quo Synodi occidentales eminentiorem ſuam traxere authoritatem.

§. 5.

Nec vero a judicio dumtaxat Theophili, ſed & ab altera Epiſcoporum Conſtantinopoli collectorum Synodo ad Innocentium P. Chryſoſtomus adpellavit ita ſcribens: „Obſecro, ut ſcribatis ***), quod hæc tam inique „facta & abſentibus nobis, & non declinantibus judicium, non habeant „robur, ſicut neque ſua natura habent. Illi autem, qui inique egerunt, „pœnæ eccleſiaſticarum legum ſubjaceant: nobis vero, qui nec convicti, „nec redarguti, nec habiti ut rei, litteris veſtris, & charitate veſtra, alio„rumque, quorum ſcilicet & antea ſocietate fruebamur, frui concedite.“ Etſi S. Chryſoſtomus acta Synodi natura ſua ſine robore eſſe agnoſceret; ad

*) De Statu Eccleſiæ T. 1, Cap. 5, §. 9, n. 2.

**) Hiſt. eccleſ. T. 5, L. 22, n. 3.

***) Mamiana editio S. Chryſoſtomi in ſingulari ad ſolum Pontificem verba dirigit, *obſecro, ut ſcribas.*

ad pontificiam tamen authoritatem confugit," ut invalida declararentur. Nec porro Innocentio licuiſſet cum Epiſcopo ſynodali ſententia depoſito communionem habere, quod eccleſiaſtica lege Epiſcopis prohibitum fuerat, niſi ſuperior Pontificis in ipſas Synodos juriſdictio ubique nota fuiſſet.

§. 6.

Itaque ſententiam in hac ſecunda Synodo adverſus S. Chryſoſtomum latam æque reſcidit Pontifex, ac illam prioris: id conſtat ex Dialogo Palladii, ubi Theodorus Rom. Eccleſiæ Diaconus refert verba Commonitorii ab Innocentio P. Legatis dati, quos e ſuo latere Conſtantinopolin miſerat, ut adeſſent Concilio ad illius cauſſæ plenam diſcuſſionem celebrando: in hoc autem Commonitorio iſthæc inter alia leguntur: „Non oportere Joan„nem judicium aggredi, niſi illi prius Eccleſia, communioque redderetur, „ut omnis dilationis evaſione ſublata ſua ſponte Concilium ingredi poſſet." Atque hæc Pontificis ſententia tanti habebatur, ut teſte Theodoreto *) Epiſcopi Occidentis non prius cum Epiſcopis Ægypti, & Orientis, & Boſphori, atque Thraciæ communicare voluerint, quam nomen illius Sanctiſſimi Viri (Joannis Chryſoſtomi) in tabulis, in quibus nomina Epiſcoporum continebantur, retuliſſent: hinc & Arſacium ejus Succeſſorem ne ſalutare quidem dignati ſunt. Quod hoc loco Natalis Alexander obſervat, dignum ſane obſervatu eſt, hoc argumentum ex appellatione S. Joannis Chryſoſtomi depromtum eo majoris eſſe roboris, quod ejus, etſi Epiſcopi orientalis, cauſſa non eſſet res fidei, ſed meræ diſciplinæ. Quare eorum evaneſcit diſtinctio, qui tantum in fidei cauſſis ad unitatem neceſſariis Pontificis Authoritatem admittere velle videntur, eamdem vero negant, pernegantque in rebus diſciplinæ, utpote ſine quibus ſalva poſſit *eſſentialis* unitas totius Eccleſiæ corporis conſiſtere. In rebus gravioris *momenti*, etiamſi tantum diſciplinaribus intervenire ſemper potuiſſe ſummum Pontificem ex hiſtoria omnium Seculorum quam certiſſime conſtat: neque Epiſcoporum eſt, quippe inferiorum, definire, quasnam cauſſas ſuas interventione dignas ſummus Pontifex poſſit, aut velit judicare.

§. 7.

Aliud Conſtantinopolitani Patriarchæ ad apoſtolicam Sedem appellantis exemplum ſuppeditat S. Flavianus, qui in Conciliabulo Epheſino damnatus libellum appellationis Papæ Legatis obtulit, cujus rei coæva extant teſtimonia omni exceptione majora. In eo omnes conveniunt, ut ipſe fatetur Dupinius, ſed cum Queſnello contendit, Flavianum non ad Pontificis,

*) Hiſt. eccleſ. L. 5, C. 34.

cis, ſed œcumenici Concilii judicium appellaſſe, idque ex ipſo Leone perſuadere nituntur, qui licet ſuæ Authoritatis ſtudioſiſſimus nullibi dicit appellationem *ad ſe* fuiſſe interpoſitam, imo expreſſe in epiſtola ad Imperatorem ſcribit, ex eo, quod Flavianus appellarit, generalem Synodum eſſe convocandam, & hoc *neceſſario* poſtulari vi Canonum Nicænorum, ſeu potius, ut multis videtur, Sardicenſium. Præterea ex litteris Placidiæ Imperatricis ad Theodoſium patet, quod Flavianus non ſolum ad apoſtolicam Sedem, ſed *& ad omnes Epiſcopos illarum partium* provocaverit. His, ſi quæ ſunt, difficultatibus levi brachio diſſolvendis cum FF. Balleriniis *) tria opponimus ex hiſtoricis monumentis illorum temporum mox demonſtranda. *1mo* S. Flavianum revera ad Authoritatem apoſtolicæ Sedis appellaſſe, non vero adverſariorum ſenſu ad univerſale Concilium, quaſi neceſſarium & ſupremum in ſua cauſſa tribunal, ſine quo Pontificis Authoritas inſufficiens fuiſſet. *2do* S. Leonem P. accepto appellationis libello ſtatim apoſtolica Authoritate decreviſſe nulla eſſe acta Conciliabuli Epheſini. *3tio* Eumdem alia plane ex cauſſa Concilium generale indixiſſe, quam quod ad illud Flavianus appellaverit.

§. 8.

Ac primum quidem ex verbis S. Leonis ſat clare colligi poteſt: *Quia & noſtri* (Legati) *fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit* **). Cum enim Leo aſſerat, *Legatis ſuis* a Flaviano libellum appellationis fuiſſe traditum; quid eſt hoc, ſi cor tuum ſincere interroges, niſi *ad ſe*, ſeu ad apoſtolicam Pontificis Authoritatem a S Flaviano fuiſſe appellatum? Ad quam enim aliam confugerit Flavianus Authoritatem, niſi ad eam, cujus Legatis libellum appellationis tradidit? Certe naturalis is ſenſus eſt, quem ſi negaveris, mentem tuam præjudicio, aut odio adverſus S. Sedem captam oſtendis. Quesnellus plane ſomniat, dum Legatos illos non tantum ſummi Pontificis, verum etiam univerſæ Eccleſiæ occidentalis nomine deputatos fuiſſe contendit. *Cur vero*, ait, *Flavianus nomen Leonis non interpoſuit?* unde quæſo, id Quesnello conſtat, ſiquidem ipſa S. Flaviani appellatio ad nos haud pervenit? Nonne judicandus eſt, ejus nomen interpoſuiſſe, cujus Legatis ſuam appellationem obtulit? Nonne merito creditur eadem fuiſſe formula Flaviani, qua in ſimili cauſſa Theodoritus Cyri Epiſcopus expreſſe ad S. Leonem appellavit ***)? „At ego apoſtolicæ Veſtræ Sedis expecto ſententiam & „oro, atque obteſtor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum, ac juſtum *tribu„nal Veſtrum invocanti*, opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctri-

 nam

*) Opp. S. Leon. Tom. 2. Obſerv. in Diſſert. 8vam Quesnelli.

) Epiſt. 44 ad Theodoſ. *) Leon. Epiſt. 52.

Digitized by Google

„nam meam apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere.“ His adde aliud ipſis Flaviani documentum, quo ſenſa ſua de pontificia Authoritate in recognoſcendis Orientalium quoque judiciis clare expreſſerat. Cum enim ex litteris S. Leonis didiciſſet, Eutychen in Synodo depoſitum ad romanum Pontificem appellaſſe; non ſolum ad illum acta Synodi transmiſit, ſed & totam cauſſam ejus judicio *NB.* ſine neceſſitate Concilii univerſalis definiendam ſubjecit, hisce verbis *): „Propriam faciens communionem cauſ„ſam, & ſanctarum Eccleſiarum diſciplinam *ſimul decernere* **) in damna„tionem adverſus eum regulariter factam, & per propria ſcripta dignare. „— Cauſſa enim eget ſolummodo *Veſtro ſolatio, atque defenſione* ***), qua „debeatis conſenſu proprio ad tranquillitatem, & pacem puncta perducere. „Sic enim hæreſis, quæ ſurrexit, & turbæ, quæ jam propter eam factæ „ſunt, facillime deſtruentur, Deo cooperante per Veſtras ſacratiſſimas lit„teras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri diffulgatur, quatenus „nequaquam ubique ſanctiſſimæ turbentur Eccleſiæ.“

§. 9.

Sunt & alii indubii teſtes appellationis a Flaviano ad Leonem P. interpoſitæ. Liberatus ſexti Seculi Scriptor Carthaginenſis ex documentis, quæ ipſe inſpexerat, ita narrat ****): *Flavianus contra ſe prolata ſententia per ejus Legatos Sedem apoſtolicam libello appellavit.* Præclarum in hanc rem teſtimonium dat pariter epiſtola Valentiniani Imperatoris ad Theodoſium *****): „Debemus dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam, „& in noſtris temporibus conſervare, quatenus beatiſſimus romanæ civitatis „Epiſcopus cui Principatum Sacerdotii ſuper nos antiquitas contulit, locum „habuit, ac facultatem de fide, & Sacerdotibus judicare. — Hujus enim rei „gratia ſecundum ſolemnitatem (hoc eſt *conſuetudinem*) Conciliorum, & Con„ſtantinopolitanus Epiſcopus *NB.* Eum per libellos appellavit.“ Hoc teſtimonium adeo evidens eſt, ut Petro de Marca vel invito veritatis confeſſionem expreſſerit ******): *Flavianum vero ad Leonem P provocaſſe tradito Legatis libello manifeſte probatur ex epiſtola Valentiniani:* & paulo poſt, *libellum appellationis tradidit Legatis ſummi Pontificis, ſic tamen, ut ad ſolum Pontificem romanum provocaverit* Obſervari etiam cum FF. Balleriniis meretur appellationis rationem ab Imperatore in eo reponi, quia ſummus Pontifex *vi Principatus,*

---

*) Epiſt. 16.

**) Id eſt, ſententiam ſimilem ferre, quem ſenſum vox græca dat συμψηφισασθαι.

***) Melius ad græcum textum: *Veſtra inclinatione, & ſubſidio.*

****) In Breviario Cap. 12. *****) Inter Leon. Epiſt. 55.

******) De Concord. Sacerd. & Imper. Lib. 7, C. 7, n. 2.

cipatus, ſeu Primatus ſui poteſtatem habet *de fide*, *& Sacerdotibus judicandi*. Nec refert, quod forte Flavianus unacum Pontifice ad romanæ Synodi Epiſcopos ſuam appellationem inſcripſerit, ut colligi videtur ex Gallæ Placidiæ ad filium Theodoſium epiſtola *), in qua legitur Flavianum ad apoſtolicam Sedem, & ad omnes Epiſcopos *barum partium*, id eſt, cum Leone P. in Synodo congregatos appellaſſe. Hæc enim romana Synodus non aliunde, niſi ab ipſa Petri apoſtolica Sede ſuam traxerat Authoritatem: mos quippe antiquus ſummorum Pontificum fuerat in gravioribus cauſſis Synodos Romæ cogere, ne ſoli per ſe ipſos præcipiti quodam impetu ſine congrua deliberatione negotia peregiſſe viderentur. Quamobrem etſi Flavianus ad judicium romanæ Synodi cauſſam ſuam per Legatos pontificios direxerit; certum eſt tamen, ab eo ſuperiorem hujus tribunalis Authoritatem non aliunde, quam ab apoſtolica Sede Petri fuiſſe derivatam: unum erat enim ad apoſtolicæ Sedis *Synodum*, ſive *judicium* appellaſſe. Hinc merito doctiſſimus Manſi in Animadverſionibus ad Differt. 28 Natalis Alexandri *de jure appellationum* hæc ſcribit: „Tam „aperta ſunt documenta, quæ S. Flavianum appellationem ſuam ad *ſolum* romanum Pontificem interpoſuiſſe oſtendunt, ut hoſtem veritatis ſe prodat, „quicumque hoc denegare præſumat.“

§. 10.

Eamdem rem confirmat, alterumque ſimul punctum §. 7 evincit epiſtola Hilarii Diaconi ad Pulcheriam Auguſtam, ſcilicet accepto appellationis libello S. Leonem ſtatim apoſtolica Authoritate decreviſſe, nulla eſſe acta Pſeudoſynodi Epheſinæ. Formalia ſunt epiſtolæ **): „Veſtra itaque veneranda Clementia cognoſcat, a præfato Papa *cum omni occidentali* (ſcilicet „illa romana) *Synodo* reprobata omnia, quæ in Epheſo contra Canones per „tumultus, & odia ſecularia a Dioſcoro Epiſcopo geſta ſunt, & nulla ratio„ne hæc in his partibus ſuſcipi poſſe, quæ per potentiam prædicti non ſine „læſione fidei, & præjudicio ſanctiſſimi Viri, innoxiique (Flaviani) com„miſſa ſunt.“ Hæc ſane ut jure obſervant FF. Ballerinii, decretoriam ſanctionem a Leone P. pro Flaviano editam in romana Synodo ſignificant. Idem confirmatur ipſius Leonis epiſtolis 44, 45, 50, & 51 ex eadem Synodo in Orientem miſſis, in quibus affirmat Flavianum *in ſua communione*, ac proinde in Conſtantinopolitana Sede perſiſtere, *irritaque* eſſe quæcumque Epheſi acta, & omnia *in eodem ſtatu* eſſe oportere, in quo ante judicium illud Orientalium fuerunt. Hinc etiam in Concilio Chalcedonenſi Act. 10 cum lectio Actorum Epheſi peteretur a Judicibus; Legati pontificii eamdem impedierunt hanc afferentes rationem, quæ maximi ponderis eſt: *Quia a*

 Beatiſ-

*) Epiſt. 56. **) Epiſt. 46.

Beatiſſimo, & Apoſtolico romanæ urbis Epiſcopo omnia, quæ ibi geſta ſunt, vana ſunt habita NB. Si Flavianus ad univerſale Concilium appellaſſet, & ſine hoc Leoni jus non fuiſſet decernendi in cauſſa Flaviniani; Pontifex Epheſina Acta privatim quidem, ſicut quivis alius Epiſcopus irrita judicare potuiſſet, neutiquam vero id in Synodo ſua tanta Authoritate definire, ut ſuam ſententiam pro norma Eccleſiis præſcriberet, omnesque, qui Epheſinis geſtis aſſenſum dederint, nec pœnitentia reſipuerint, Eccleſiæ communione privaret, prout patet ex Leone Epiſt. 80, quod certe apoſtolicam Authoritatem fuiſſe interpoſitam demonſtrat.

§. 11.

His accedit, quod acta ejusdem Conciliabuli Epheſini in cauſſa Theodoreti pariter S. Leo apoſtolicæ Sedis judicio reformaverit, prout conſtat tum ex ejus Epiſt. 120, tum ex Chalcedonenſis Synodi Act. 1, ubi Judices dixerunt: *Ingrediatur & Reverendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit Particeps Synodi, quia & reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus Leo.* Iidem Judices pro Theodoreto Concilii ſententiam poſtularunt, *ſicut & Sanctiſſimus Leo Archiepiſcopus judicavit*, quibus totum concinens Concilium reſpondit: *Poſt Deum Leo judicavit.* Quodſi verum eſt in Theodoreti cauſſa, in qua, quid Leo re ipſa ſcripſerit, ignoramus; cum FF. Balleriniis concludo, id multo magis fatendum eſſe in appellatione Flaviani, ob quam & Synodus Romæ coacta, quæ Epheſina geſta reſcidit, & litteræ e Synodo illa romana emiſſæ ſunt, quibus S. Flavinianus inique depoſitus, & pro vero Conſtantinopolitano Epiſcopo habendus decernitur.

§. 12.

Reſtat nunc tertio loco oſtendendum, quod S. Leo longe alia ex ratione univerſale Concilium deſideraverit, quam quia ad illud Flavianus appellavit. Enimvero ſi quis difficiles illius temporis circumſtantias mente tranquilla penſitet; is facili negotio intelliget, cur Leo celebrandum judicaverit univerſale Concilium, non eam fuiſſe *juris*, ſed *facti* neceſſitatem. Etſi enim ſatis aperte iniqua eſſent Epheſini latrocinii adverſus S. Flavinianum acta vel ipſo Queſnello judice; illa tamen veluti juſta per Eutychianorum Epiſcoporum violentiam ab Imperatore Theodoſio ſuffultam vindicabantur. Hinc iniqua vis non tam jure erat declaranda, quippe quod parum in effectu profeciſſet; quam majori quadam veluti violentia, ſcilicet univerſi orbis judicio retundenda: neque id ſolum fuerat S. Leoni agendum, ut Flavianus exul pro innocente ab Orthodoxis haberetur; ſed potius, ut actu efficeretur, ipſum extincta hoſtili perſecutione ab exilio revocari, ſuisque ovicu-

Digitized by Google

oviculis reſtitui. Remedium igitur efficax pro curandis ſcandalis per Eutychianam perfidiam Imperatore patrocinante excitatis neceſſarium videbatur; neque aliud id eſſe Leo M. perſpexerat, quam ut in œcumenico cum Occidentalibus conventu pars Orientalium pertinax confunderetur, & ejiceretur; pars vero alia, quæ per inſcitiam in errore verſabatur, meliora edoceretur, demum alia pars, præpotentium metu adrepta, prout ſemper debiles dantur animi, ad rectum tramitem reduceretur, & vel maxime, ut Imperator Theodoſius circumventum ſe, deceptumque conſpiciens ſuum ab iniquis Patrocinium ſubtraheret. Propterea in Occidente conventum fieri Pontifex volebat, ubi aliis Auguſtis imperantibus, omni violentiæ periculo ſubmoto factioſi homines nihil poſſent, ſicque cuncta ſecurius componerentur. Atque hoc animi ſui conſilium, non tam ob juridicam declarationem, quam ob remedium ſcandalorum œcumenicam Synodum convocandi S. Leo in ipſis ad Theodoſium litteris manifeſte aperuit, & his quidem verbis *): „Generalem Synodum jubeatis, intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut „mitiget, ne aliquid ultra ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum, convenientibus utique orientalium Provinciarum Epiſcopis, quorum ſi qui ſuperati minis, atque injuriis a veritatis tramite deviarunt, „ſalutaribus remediis in integrum revocentur ipſique, quorum eſt cauſſa durior, ſi conſiliis melioribus acquieſcant, ab Eccleſiæ unitate non excidant.“ Atque iterum **): „Concilium univerſale intra Italiam — Clementia Veſtra concedat, ut in unum convenientibus omnibus his, qui aut ignorantia „aut timore prolapſi ſunt, correctionis remediis conſulatur.„ En! ut non dubitet Pontifex de errore Eutychianorum, quaſi ſuſpenſa fide usque ad Concilii deciſionem, ſed tantum ſollicitus ſit de efficaci remedio errantes corrigendi.

§. 13.

At inquiunt, non tantum facti; ſed & juris neceſſitatem Leo ex appellatione Flaviani derivavit cit. Epiſt. 44: „Quia & noſtri fideliter reclamarunt, & eisdem libellum appellationis Flavianus Epiſcopus dedit; „generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari,“. Et paulo infra: *Poſt appellationem interpoſitam hoc neceſſario poſtulari.* Reſpondeo: Si Leonis M. epiſtolam attente legas; duo, obſervabis a S. Pontifice ſimul petita fuiſſe, & *generalem* Synodum, & eam quidem *intra Italiam*: primum, ut efficax remedium ſcandalis afferret, prout modo vidimus & hæc *facti* neceſſitas erat: alterum vero, ut ex jure appellationis a Flaviano interpoſitæ Theodoſium refelleret, ob Epheſinæ Synodi prætenſam Authoritatem obſtina-

*) Epiſt. 44. **) Epiſt. 69.

obſtinacius reſiſtentem; hæc ſane Imperatori oppoſita, quod ipſus libenter aſſero, fuit *juris* neceſſitas, quam merito S. Pontifex poſt appellationem ad ſe factam contra Pſeudoſynodum Epheſinam ex Nicænis, aut Sardicenſibus canonibus allegavit his verbis: *Quam autem poſt appellationem Flaviani hoc neceſſario poſtuletur, canonum Nicææ habitorum decreta teſtantur.* Illa porro Sardicenſia decreta, ut vulgo creditur, quæ Leo excitavit, nequaquam ad univerſale Concilium, ſed tantum ad apoſtolicæ Sedis judicium appellationis viam oſtendunt. Hæc genuina eſt S. Leonis interpretatio, cur poſt appellationem *neceſſarium* dixerit Concilium, NB. *intra Italiam* celebrandum, utpote quod a præſentia ſua, & Authoritate ultimati judicii robur acquirere deberet. Non erit ſuperfluum hic dicta de Canonibus Sardicenſibus Art 3, §. 7 relegere. Nulla ergo Pontifici fuit neceſſitas *generale* Concilium celebrandi; ſed Imperatori Concilium poſt appellationem exſpectandi, in quo *pontificia Authoritas* ultimatam ſententiam enunciaret. Propterea ut pontificia Authoritas in reaſſumendo judicio liberior eſſet; id *intra Italiam* fieri S. Leo poſtulavit.

§. 14.

Præter ipſas S. Leonis epiſtolas habemus & alios ejuſdem coævos, ſummique momenti interpretes, Valentinianum Imperatorem, qui ad Theodoſium ſcripſit *): „Hinc ergo poſtulanti (Papæ) annuere non negavi, quatenus ad tuam Manſuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus „Sacerdos (Leo) congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus *NB.* „*intra Italiam* omni præjudicio ſubmoto, a principio omnem cauſſam, quæ „vertitur, ſolicita probatione cognoſcens ſententiam ferat.“ Non is Imperator dixit, ut congregati ex toto orbe Sacerdotes, *omnes*, ſed ut *prædictus Sacerdos*, S. Leo ſententiam ferat, cui ſcilicet, ut paulo ante præmiſerat, ob Principatum Sacerdotii competeret *de fide, & Sacerdotibus judicare.* Similiter Placidia Auguſta ad eumdem Theodoſium, generale Concilium *intra Italiam* poſtulans ſe expreſſit **): „Ut ſecundum formam, & definitionem „apoſtolicæ Sedis, quam etiam nos tamquam præcellentem ſimiliter veneramur in ſtatu Sacerdotii illæſo manente per omnia Flaviano, ad Concilium „apoſtolicæ Sedis judicium tranſmittatur, in qua primus ille, qui cœleſtes „claves dignus fuit accipere, Principatum Epiſcopatus ornavit.“ Demum nec alio ſenſu eadem Imperatrix Pulcheria ſcripſit ***): „Ad apoſtolicam Sedem, in qua primus Apoſtolorum B. Petrus, qui etiam claves „regnorum cœleſtium ſuſcipiens, Principatum tenuit, *Epiſcopatus* (alii *Epiſcoporum*) cauſſa remittatur.“

§. 15.

*) Epiſt. 55. **) Epiſt. 56. ***) Epiſt. 58.

Digitized by Google

§. 15.

Confecta igitur res eſt: Sanctiſſimi viri, & Epiſcopi a Synodis orientalibus inique damnati ad ſanctam apoſtolicam Sedem romanam appellarunt, ab eaque recepti, & reſtituti ſunt, prout Gelaſius P. teſtatur *): „Apoſtolica „Sedes frequenter more majorum, etiam ſine ulla Synodo præcedente, & „abſolvendi, quos Synodus inique damnaverat, & damnandi nulla exiſten-„te Synodo, quos oportuit, habuit facultatem. Sanctæ memoriæ quippe „Athanaſium Synodus orientalis abdixerat; quem tamen exceptum Sedes „apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ me-„moriæ nihilominus Joannem Conſtantinopolitanum Synodus etiam catho-„licorum Præſulum certe damnarat, quem ſimili modo Sedes apoſtolica „etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemque ſanctæ memoriæ Fla-„vianum Pontificum congregatione damnatum pari tenore, quoniam Sedes „apoſtolica non conſenſit, abſolvit.“ Tune vero tot, tamque ſanctos Pontifices, & Epiſcopos aureæ ætatis conviciari audebis ab Iſidoriano quodam Mercatore fuiſſe deceptos? Ut ego in immenſo veluti mari jam vela contraham, a plurimis aliis Orientalium exemplis, quæ inſuper adducere ex quinto, & ſequioribus ſeculis poſſem, brevitatis gratia abſtinebo, unice adhuc, ſed & enixe Lectorem rogans, ut ad ea velit animum reflectere, quæ Corollario I §§. 15, & 16 de Photiano ſchismate attuli, clariſſima certe facta, ex quibus ſuprema in judicando poteſtas apoſtolicæ Sedis vel ab Orientalibus agnita eluceſcit.

§. 16.

Antequam occidentalis Eccleſiæ hiſtoriam proſequar; vel ipſo in limine morandum, & ſolvenda objectio eſt, quam licet inaniſſimam, magna tamen verborum pompa Launoyus, & Dupinius, horumque Magiſtrorum diſcipuli præjudiciis capti oſtentant. In cauſſa Bonoſi, inquiunt, cum a Synodo Capuana delegati judices, Anyſius Theſſalonicenſis Metropolita, & vicini Epiſcopi per litteras Syricium P. adiiſſent, ejusque judicio ſententiam ferendam commiſiſſent, reſcripſit Pontifex **): „Sibi judicandi „formam non competere, ſed ipſorum eſſe ſententiam ferre, quibus Syno-„dus detuliſſet, nec ullam refugiendi, aut elabendi accuſatoribus, vel ac-„cuſato copiam eſſe.“ En meum reſponſum! Non hic de appellationis, ſed primæ inſtantiæ judicio agitur, quod Pontifex ſibi jam non competere, quippe ſua dignitate indignum cenſuit, ne demandata ſibi a Synodo poteſtate judicare videretur, qualis illa fuerat Theſſalonicenſis, aliorumque ex

*) Epiſt. 13 ad Epiſc. Dardan. **) Epiſt. Siric. ad Anyſ.

Digitized by Google

ex vicinia Epiſcoporum. Si cauſſa tamen integra foret, id eſt, nondum Synodi nomine judicibus delegata; propria ſua Pontificis Authoritate ſe judicaturum Siricius aſſeruit: nunc vero illorum eſſe *primam* ſuſcipere cognitionem, ſervata ſibi recognoſcendi, ſententiamque latam confirmandi, vel reformandi poteſtate. Hoc ſibi ipſa volunt Siricii verba: „Accepi litteras „veſtras de Bonoſo Epiſcopo, quibus vel pro veritate, vel pro modeſtia „noſtram ſententiam ſciſcitari voluiſtis. Sed cum ejusmodi fuerit Concilii „Capuenſis judicium, ut finitimi Bonoſo, atque ejus accuſatoribus judices „tribuerentur, & præcipue Macedones, qui cum Epiſcopo Theſſalonicenſi „de ejus factis cognoſcerent; advertimus, quod nobis judicandi forma com„petere non poſſet. Nam ſi integra eſſet hodie Synodus, recte de iis, „quæ comprehendit veſtrorum ſcriptorum ſeries, decerneremus. Veſtrum „eſt igitur, qui hoc accepiſtis judicium, ſententiam ferre de omnibus: vi„cem enim Synodi recepiſtis, quos ad examinandum Synodus elegit. — „Ideo primum eſt, ut ii judicent, quibus judicandi facultas eſt data: vos „enim totius, ut ſcripſimus, Synodi vice decernitis. Nos quaſi ex Syno„di Authoritate judicare non convenit. — Unde veſtræ normam exſpec„tamus ſententiæ."

§. 17.

Eadem reſponſio confirmatur ex iis, quæ S. Ambroſius reſcripſit ad Theophylum Alexandrinum, quem Capuana Synodus delegaverat ad diſſidia Antiochenæ Eccleſiæ componenda, ſcilicet, *quæ Synodi nomine decernerentur, ea eſſet ad Sedem apoſtolicam referenda, ut inde confirmarentur.* Non ergo ſuprema agnoſcebatur Capuanæ Synodi Authoritas; ſed ſicut Alexandrini, ita Theſſalonicenſis Archiepiſcopi judicium erat apoſtolicæ Sedi ſubjiciendum. Verba Ambroſii ſunt *): „Sane referendum arbitra„mur ad S. Fratrem noſtrum, romanæ Sacerdotem Eccleſiæ, quoniam præ„ſumimus, ea te judicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant: ita enim „utile erit conſultum ſententiæ, ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro „ſtatuatur Concilio, quod Communioni noſtræ diſſenſionem non afferat, ut „nos quoque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, cum id geſtum eſſe cog„noverimus, quod Eccleſia romana haud dubie probaverit, læti fructum „hujus examinis adipiſcamur."

§. 18.

Graviores cauſſas, illas præſertim fidei, in Africana etiam Eccleſia per appellationem ad Rom. Pontificem deferri potuiſſe, nunc oſtendendum exem-

*) Epiſt. ad Theoph.

exemplis eſt. Et Pelagius quidem Epiſcoporum judicio damnatus vel ipſe, ut quidam volunt, ad Innocentium I appellavit, vel Africani Præſules proprio motu ſententiam ſuam ad eumdem Pontificem miſerunt iis ex rationibus, quas ipſi non ſiluerunt, tam ut in gravi adeo fidei periculo ſua judicia Sedis apoſtolicæ Authoritate firmarentur, quam ne in ipſos culpa neglecti officii caderet, ſi quæ pro bono Eccleſiæ ſuggerenda Pontifici, tacuiſſent. Summe æſtimatum Afris reſcriptum Innocentius P. emiſit *): — „Antiquæ traditionis exempla ſervantes, & eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, Veſtræ Religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quam „antea cum pronunciaretis, vera ratione firmaſtis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes, quid apoſtolicæ Sedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, a quo „ipſe Epiſcopatus, & tota Authoritas nominis hujus emerſit. — Vel id „vero, quod Patrum inſtituta ſacerdotali officio cuſtodientes non cenſetis „eſſe calcanda, quod illi non humana, ſed divina decrevere ſententia, ut „quidquid quamvis de disjunctis, remotisque Provinciis ageretur, non „prius ducerent finiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ut „tota hujus Authoritate, juſta quæ fuerit pronunciatio, firmaretur, indeque ſumerent ceteræ Eccleſiæ (velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri latices Capitis incorrupti manarent) quid præcipere, quos abluere, quos veluti cœno inemundabili ſorditatos mundis digna corporibus unda vitaret.“ Poſt hanc primum Pontificis allatam ſententiam Pelagii cauſſa Africanis videbatur finita teſte Auguſtino **): *Jam de hac cauſſa duo Concilia ad Sedem apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt: cauſſa finita eſt, utinam aliquando finiatur error!*

§. 19.

Innocentio fatis functo certe ad ejus Succeſſorem Zoſimum Cœleſtius Pelagianus appellavit, cujus ille fraudibus deluſus Carthaginenſis Concilii judicium ſuſpendi juſſit; & Epiſcopis injunxit, ut deputatos Romam ablegarent, *NB.* qui etiam paruerunt, miſſisque ſimul Concilii actis Papæ ſuaſerunt, *ut iterato Cœleſtium ad examen vocaret* ***). At Cæleſtius illud ſuſtinere non auſus Roma aufugit: tum vero Zoſimus ſententiam tulit, qua decreta Concilii Africani confirmavit, & Pelagianam hæreſin iterum damnavit, hancque damnationis ſententiam prolixa epiſtola ſpeciatim ad Africanos, & generatim ad omnes catholicæ Eccleſiæ Epiſcopos, nullo his amplius examine permiſſo miſit ſubſcribendam: id quod etiam fideliter ab

 uni-

*) Apud Couſtant. Epiſt. 29 ad Epiſcop. Carthag.
) Serm. 132 de verb. Evangel. Joann. *) Fleur. Tom. 5, Lib. 23, §. 50.

univerſis factum, Juliano, ſociiſque ejus exceptis, qui & Sede ſua depoſiti, & Eccleſia ſunt ejecti. Hæc celeberrima Zoſimi epiſtola, quæ *Tractatoria* vocatur, ſupremam & infallibilem in rebus fidei Authoritatem apoſtolicæ Sedis ex traditione quinti jam ſeculi evidenter demonſtrat. Vide apud Couſtantium additamenta ad epiſtolas Zoſimi.

§. 20.

Atque etiam Epiſcoporum cauſſas ex Africa ad romanam Sedem per appellationem deferri potuiſſe, teſtem exceptione majorem habemus S. Auguſtinum, qui de Cæciliano Carthaginenſi Epiſcopo a Donatiſtis exagitato, & in pluribus Conciliis depoſito ſcribit Epiſt. 162, illum potuiſſe ſuam cauſſam dicere apud romanam Eccleſiam, *in qua ſemper apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Neque enim Africana vetus diſciplina ſicut inferioribus Clericis *NB.* in cauſſis mere perſonalibus, & criminalibus, ita Epiſcopis quoque appellationes transmarinas prohibuerat, id quod expreſſe iterum de eodem Cæciliano Auguſtinus teſtatur: „Neque enim de Presbyteris, aut Diaconis, aut inferioris ordinis Clericis, ſed de Collegis agebatur, qui poſſent aliorum Collegarum judicio, præſertim apoſtolicarum „Eccleſiarum cauſſam ſuam integram reſervare." Hac ſua facultate reipſa uſus eſt Antonius Fuſſalenſis, qui apud Synodum Provinciæ accuſatus, & Sede ſua dejectus ad Bonifacium P. appellavit, quam appellationem non ſolum Pontifex acceptavit, ſed & ipſi Africani Præſules ratam agnoverunt, cum Synodi Acta Romam miſerint, & ipſe adeo Numidiæ Primas ad Pontificem pro Antonio litteras dederit commendatitias *). Porro frequentia tunc fuiſſe hujusmodi exempla, *Sede apoſtolica judicante, vel aliorum judicia firmante*, ex Epiſt. 26 S. Auguſtini diſcimus, qui prætermiſſis antiquioribus tria recentia tantum judicia in Epiſcopos Africæ lata commemorat. Hæc Auguſtini teſtimonia ſufficiant, ut brevitatis ſtudio nihil dicam de Lupicino Africæ Epiſcopo, quem pendente cauſſa coram apoſtolica Sede, quo appellavit, excommunicari non debuiſſe, S. Leo Afris reſcripſit Epiſt. 87. Hanc ipſam epiſtolæ partem vere genuinam eſſe, nec merito ſuppoſitionis ſuſpectam contra Queſnelli conatus doctiſs. FF. Ballerinii ſuis in Annotationibus demonſtrarunt.

§. 21.

*) Fleur. Tom. 5, L. 24, §. 34.

Digitized by Google

§. 21.

Nihil adverſariis prodeſt famoſa, ſed & intricata ipſo fatente Dupinio Afrorum controverſia cum ſummis Pontificibus, Zoſimo, Bonifacio, Cœleſtino. 1mo enim ipſa principalis cauſſa non circa appellationem cujusdam Epiſcopi, ſed Apiarii Presbyteri verſabatur. 2do non de appellationibus in cauſſa fidei, ſed tantum in mere perſonali, ſeu criminali agebatur: 3tio Afri non ipſum jus divinum ſupremi judicis Pontifici negabant, ſed tantum juris exercitium reſtringi, non penitus tolli petebant: hinc intacto jure ſola pericula fraudum & abuſuum opponunt, neque Epiſcoporum appellationes abſolute volunt excluſas, ſed tantum ne *facilius* admittantur, & ne ille *præpropere & indebite* videantur reſtitui. 4to Ipſorum animi facto Apiarii non injuſte quidem, gravius tamen offenſi, & commoti fuerant, hinc prout natura fert, ſuo impetu ad extrema præcipites, omnibusque generatim appellationibus infenſi: 5to Ignorantia facti laborabant, videlicet Canonum Sardicenſium inſcii, & in Nicænis ſuæ cauſſæ patrocinium inveniſſe ſibi viſi, quid vero Pontifices pro tuendis ſuis juribus reſponderint, hodie perditis Reſcriptis ignoratur. 6to Demum, tametſi Afri falſo fundamento juris eccleſiaſtici Pontifices niti crederent, vel ſola tamen obſervantia erga apoſtolicam Cathedram pontificum Legatum ſua in regione *NB. cum facultate judicis* admiſerunt, nec indigne tulerunt, Coepiſcopum ſuum Urbanum Romam ad cauſſam evocari: ſed licet adhuc controverſia durante exactam Pontificis mandatis obedientiam præſtiterunt. Quam ob rem merito FF. Ballerinii concludunt *): „Videant, qua moderatione iis utendum ſit, qui hac in re Africanis Magiſtris, ac Ducibus gloriantur, ac ſimul intelligunt, quam perperam hanc „Africanorum reſiſtentiam ſolis appellationibus Clericorum transferant ad „Epiſcoporum appellationes: quas ab Africanis nunquam vetitas, & ſemper „receptas oſtendimus.“ Quid? quod ipſe antiquus Codex Africanæ Eccleſiæ expreſſe teſtatur in certis caſibus etiam inferioribus Clericis a provinciali Synodo provocare licuiſſe: *Si judices convinci potuerint vel inimico animo judicaſſe, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati.* can. 10 Concil. Cath. III. Quid hic tranquillus Lector noſtro ævo cogitabit ?? — Demus autem, & quod falſum eſt, quaſi verum transmittamus, Africanos nullas generatim appellationes in cauſſis criminalibus ad Romanum Pontificem admiſiſſe; quid ſola Africa adverſus univerſæ Eccleſiæ conſenſum & obſervantiam valeret?

*) Opp. S. Leon. Tom. 2, p. 971.

§. 22.

Quantum in Occidente pontificiæ Authoritati circa judicia eccleſiaſtica fuerit tributum, imprimis ex antiquiſſima conſtat Imperatoria Lege, quam a Gratiano Synodus Romana precibus impetraverat, ut judiciorum eccleſiaſticorum ordo ſeculari, quod ajunt, brachio protegeretur, & in executionem deduceretur. Lex autem Gratiani primum de judiciis in prima inſtantia ſic diſponit: „Volumus, ut quicumque judicio Damaſi, quod „ille cum Concilio quinque vel ſeptem habuerit Epiſcoporum, vel eorum, „qui Catholici ſunt, judicio, vel Concilio condemnatus fuerit, ſi injuſte „voluerit Eccleſiam retinere; ut qui evocatus ad Sacerdotale judicium per „contumaciam non iviſſet, aut ab illuſtribus viris, Præfectis Prætorio Galliæ, atque Italiæ, ſive Proconſulibus, vel a Vicariis authoritate adhibita „ad epiſcopale judicium, ut ad urbem Romam ſub proſecutione proveniat, „aut ſi in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerſerit, om„nis ejus cauſſæ dictio ad Metropolitæ in eadem provincia Epiſcopi de„ducatur examen, vel ſi ipſe Metropolitanus eſt, Romam neceſſario, vel „ad eos, quos Romanus Epiſcopus judices dederit, ſine dilatione conten„dat. (Deinde de ſecunda inſtantia.) Quodſi vel Metropolitani Epiſcopi, „vel cujuscumque iniquitas eſt ſuſpecta, aut gratia; ad Romanum Epiſco„pum accerſitum liceat provocare.“ *) Hanc Imperatoris legem ad preces Romanæ Eccleſiæ latam, quæ ſemper a Catholicis tamquam Mater & Magiſtra omnium reliquarum eſt agnita, exſufflat Dupinius, aſſerens, ſed non probans *numquam fuiſſe promulgatam*, *nec uſu receptam*. Aſſerenti incumbit probatio. Nos vero hujus legis obſervantiam vel ex ipſa Gallia mox demonſtrabimus.

§. 23.

Maximum Valentinæ civitatis Epiſcopum ob graviſſima crimina Clerici jam ad Præceſſores Bonifacii I detulerunt, a quibus provinciales judices cauſſæ cognitione *NB.* delegati fuerunt, quod tamen judicium aſtute ille ſubterfugit, propterea iterato apud Bonifacium accuſatus. Pontifex etſi illum jam ſua ſententia damnare potuiſſet, prout ſemper in ſumma Sede miſericordia prævalet judicio, noviter per omnes provincias datis litteris Gallicanæ Synodi judicio examen commiſit, ita tamen, ut Patrum ſententia ad ſe Romam pro confirmatione mitteretur Verba epiſtolæ ſunt **): „Quidquid autem Veſtra charitas de hac cauſſa duxerit decernendum, cum „ad nos relatum fuerit, noſtra ut condecet, neceſſe eſt Authoritate firmetur.“

Apud

*) Vide apud Dupin *de antiq. Eccleſ. Diſcipl.* Diſſert. 2, Cap. 1, §. 4.
**) Bonifac. Epiſt. 2 ad Epiſc. Galliæ.

Apud eumdem Ponfificem, non tantum apud ſuum Metropolitam, aut Synodum provincialem Lutevenſes Clerici Patroclum arelatenſem accuſarunt, quod in aliena provincia prætermiſſo Metropolitano Epiſcopum ordinaſſet. Bonifacius P. totam hanc cauſſam Metropolitæ, Hilario Narbonenſi apoſtolica authoritate committit, *ita tamen, ut perhibit omnibus apoſtolicæ Sedi, quidquid ſtatuerit, referret* *). Inde manifeſtum fit, provincialium Synodorum, aut Archiepiſcoporum judicia non ſine apoſtolica Authoritate ſupremi tribunalis locum tenuiſſe. Porro Cœleſtinus P. ab Orientalibus apud ſe accuſatum Danielem, jam vero in Gallia Epiſcopum factum, non exſpectato provincialis Synodi judicio, mox dignitate epiſcopali a ſe dejectum, Romam ad ſuum judicium avocavit. Idem Pontifex cauſſam Maſſilienſis Epiſcopi ad ſe delatam archiepiſcopali judicio *NB. ſua Authoritate* delegavit **). Certe Archiepiſcopi Galliæ, tamquam cauſſarum delegati judices, ſicut ad Bonifacium, ita ad Cœleſtinum ſuam ſententiam referre debebant, apoſtolica authoritate firmandam. Si jam veterem aureæ ætatis diſciplinam hierarchicam, hoc eſt quarti, quintique ſeculi usque ad octavum ex Oriente, & Occidente comparemus; hoc plane digniſſimum notatu diſcrimen apparebit, apud Orientales quidem in graviori cauſſa ſemper viam ad primam Petri Cathedram, ſed nonniſi per appellationem patuiſſe: in occidentalibus vero, Europæ præſertim Eccleſiis ad pontificium tribunal primum etiam judicium potuiſſe deferri, & Archiepiſcopos quam maxime delegata Authoritate apoſtolicæ Sedis, cui ſuas ſententias referre debeant, fuiſſe gaviſos. Non eſt, cur Dupinii inanes cavillationes hic morer, quæ ipſas Pontificum illorum epiſtolas *genuinas* legenti facile evaneſcent.

§. 24.

Nunc breviter adhuc ad Leonis M. facta contra falſam, atque iniquam Queſnelli cenſuram ſatis quidem jam a FF. Ballerinis vindicata ***). Celidonium Galliæ Epiſcopum a S. Hilario Arelatenſi in Synodo damnatum ad Leonem P. appellaſſe, ab eoque appellationem ſuſceptam, & Hilarii ſententiam fuiſſe reformatam, res eſt vel ipſis adverſariis exploratiſſima: tantum quod negant, pernegantque, eſt, S. Hilarium, ceterosque Galliæ Epiſcopos Pontificis judicio acquieviſſe. Sed & hac in re præter FF. Ballerinios Queſnellum luculentiſſime falſitatis convincit doctiſs. Cerboni ****). Idem Hilarius in cauſſa Projecti Epiſcopi, cui contra Canones Succeſ-

*) Epiſt. ejusdem 13 ad Hilar.

**) Cœleſtin. Epiſt 2 ad Epiſc. Provin. Viennenſ. & Narbon.

***) Opp. S. Leon. T. 2. Obſervat. in 5 Diſſert. Queſnel.

****) De Jure, & legum Diſciplina. Tom. 3. Romæ 1777.

Digitized by Google

Succeſſorem ordinavit, apud Pontificem accuſatus, adverſus ſe ſententiam retulit. Memoratu digna eſt Imperatoris Valentiniani conſtitutio in Gallias miſſa, qua Leonis decretum adverſus Hilarium jure Metropolitico a Papa ſpoliatum juſſit executioni mandari: „Quid enim (inquit Imperator) „tanti Pontificis Authoritati in Eccleſiis non liceret? Sed noſtram quoque „præceptionem hæc ratio probavit, ne ulterius nec Hilario, quem adhuc „Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec „cuiquam alteri eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis romani Antiſtiti liceat obviare. — — *NB.* Hac perenni ſanctione cenſemus, ne quid „tam Epiſcopis gallicanis, quam aliarum Provinciarum contra conſuetudi„nem veterem liceat ſine venerabili Papæ Urbis æternæ Authoritate ten„tare. Sed hoc illis, omnibusque pro lege ſit, quidquid ſanxit, vel ſanx„erit apoſtolicæ Sedis Authoritas, ita ut quisquis Epiſcoporum ad judici„um romani Antiſtitis evocatus venire neglexerit, per Moderatorem ejus„dem Provinciæ adeſſe cogatur" *). En pragmaticam legem Imperii occidentalis etiam pro evocatione Archi-vel Epiſcoporum ad romanum Pontificis judicium! Facile foret, ſi volupe pro pontificio Appellationum jure ex Italia, Hiſpania, Illyrico vetera adhuc exempla producere. Doctiſſimi Viri, d'Agguierre, Natalis ipſe Alexander, FF. Ballerinii, Cerboni, Zaccharia, aliique abunde id jam præſtiterunt. Unice velim Lectorem meum hic rogatum, ut de S. Gregorio M. hiſtoriam relegat ſupra Coroll. I, §. 10 ex Fleurio a me deſumtam.

§. 25.

Quod vero in prima etiam inſtantia aditus ad apoſtolicam Sedem patuerit, epiſtolæ S. Gregorii exempla ipſius Africæ exhibent, unde difficiliores fuerant appellationes. Sic epiſtola ad Monachum Hilarium nos docet, quod Feliciſſimus, & Vincentius Diaconi a ſuo Epiſcopo Argentio injuriam paſſi, eumdem inſuper turpiſſimi criminis reum ad S. Pontificem detulerint: Gregorius vero admiſſa accuſatione Hilario, tamquam Legato ſuo, quid agere deberet, præſcripſit. Ex epiſtola ad Columbum diſcimus, Conſtantium, & Muſtellum Diaconos Pontifici nunciaſſe, quod Maximianus Eccleſiæ Pudentianæ catholicus Epiſcopus pecunia corruptus defuncto illius Eccleſiæ Donatiſta Epiſcopo alium ex eadem ſecta permiſerit ordinari: unde Pontifex, quid agendum, præcepit. Clerus Eccleſiæ Regenſis ſuum Epiſcopum Paulinum nimiæ Sævitæ apud Gregorium accuſavit; quapropter is datis literis ad eumdem Columbum, & ad Victorem Numidiæ Primatem hanc Epiſcopi culpam præcipit puniendam. Edic Febroniane, num & has litteras pontificias inter ſpurias merces Iſidori cenſeas abjiciendas? —

§. 26.

*) Vide Cerboni, Tom. 3, p. 345.

§. 26.

Nec primi tantum ordinis Sacerdotes, ſeu Epiſcopi, ſed & inferiores Clerici poterant ad Sedem romanam ex utraque Eccleſia, tam Orientis, quam Occidentis appellare; imo interdum etiam in prima inſtantia illic ſuum refugium quærebant, ubi ſummus totius Paſtor ovilis præſederat. Per Africanam diſciplinam id quidem inferioribus Clericis ad præcavendos abuſus in cauſſis perſonalibus erat vetitum; quæ tamen regula in cauſſis Eccleſiæ gravioribus, maxime autem fidei exceptionem patiebatur, ut ex Africa prolatis exemplis doctiſs. Manſi comprobat *), & nos ipſi quædam ſuper. §. vidimus. Frequentiora ſunt exempla aliarum Eccleſiarum, & quidem Clerici Conſtantinopolitani a Neſtorio degradati ad Cæleſtinum appellarunt, qui eos in ſuo gradu, & communione permanere decrevit, quod patet ex ipſius Epiſt. 19. Aëtius ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus contra Patriarcham Anatholium ad S. Leonem appellavit, ut ex Epiſt. 57, & 58 ad Marcianum, & Pulcheriam dignoſcitur. Eutyches Archimandrita, & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter a Concilio ad eumdem Pontificem primum quidem appellaſſe mentitus eſt, poſtea vero actu appellavit. Neque in Gallia inuſitatæ fuerant hujuſmodi appellationes. Ita Savianus, ac Leo Presbyteri a Ruſtico Narbonenſi Metropolita degradati Romæ novo examine ſuam cauſſam diſcuti petiere, cumque & illic judicio defeciſſent, a S. Leone ad ſuum Epiſcopum remiſſi, ejuſque clementiæ commendati ſunt, ut conſtat ex Epiſt. 92 ad Ruſticum. Tuentius Gallicanæ Eccleſiæ Clericus adverſus Proclum Maſſilienſem Metropolitam ad Pontificem appellavit, quod docet Zoſimi P. epiſtola ad Epiſcopos Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Clerici Arelatenſes ad Pelagium I confugerunt, nec auditus fuit Sapandus Epiſcopus, etſi ægerrime id ferret. Profecto ſi SS. Pontificum epiſtolas ad ſeculum usque octavum ſcrutemur, paſſim apparebit, etiam inferioris Cleri appellationes ad romanam Sedem ubique in uſu diu ante famoſum Mercatorem fuiſſe. Tu Febroniane! quid ad hiſtorica hæc exempla dices? etiamnum Eccleſiæ diſciplinam falſis mercibus eſſe corruptam aſſeres? Sed mendacium tuum manibus palpamus.

§. 27.

Ultimo loco hujus Articuli non eſt ſilentio prætereundum, quam antiquæ illi hactenus a nobis explanatæ noſtra Germaniæ diſciplina vel inde a ſua fundatione, hoc eſt ſub S. Bonifacio, noſtro Apoſtolo conformis fuerit. Etſi quidem tunc proprio motu Eccleſiæ particulares ſecundum Veterum inſti-

*) Animadverſ. 1 in Natal. Alexand. Diſſert. 28 *de Jure appellationum*.

inſtituta romanæ Matri fideliter referrent, ſi qua res nova, aut gravior cauſſa contigiſſet, eamque Pontificum judicio committerent *finaliter* determinandam; attamen exempla non deſunt recurſuum ab Epiſcoporum judiciis ad apoſtolicam Petri Cathedram. Ita Epiſcopi, ac Presbyteri criminum cauſſa depoſiti Romam contendebant, & inde reverſi ſe abſolutos jactitabant. S. Bonifacius nequaquam id faciendi poteſtatem, ſeu ipſam in hos Sacerdotes jurisdictionem auſus eſt ſummo Pontifici abnegare; ſed ſubmiſſa epiſtola rei veritatem edoceri petiit: cui Zacharias P. a. 745 reſcripſit: „Et hoc pariter ſuggeſſiſti, quod hi, qui ante projecti ſunt „Sacerdotes, a nobis ſe abſolutos apud Francorum Provinciam divulgent, „quod tua S. Fraternitas nullo modo credat. Quia (quod impoſſibile) ſi „hoc feciſſemus, tuæ charitati per noſtras indicaſſemus litteras. Sed hoc, „quod impoſſibile, nullo modo credas, quia non aliud prædicamus, *& aliud* agimus, & dirigimus, ut illi garriunt; ſed auxiliante Deo illud, quod „prædicamus, finetenus obſervandum cenſemus. Hoc autem Sanctitatem „tuam, firmiſſime ut teneas, hortamur, *NB.* ut ſanctorum Patrum inſtitu„tis, & conſultis ſacrorum Canonum omnimodo obſequi debeas, quia nos „nullatenus aliud prædicamus, & aliud agimus" *). Inſani fuiſſent hi Sacerdotes, ſi Romam usque profecti fuiſſent præſcii, ſi rediiſſent, nullam pontificiæ abſolutionis rationem in Germania habendam: ad quid enim illam menti fuiſſent? Hinc & Pontifex ſuam quidem abſolvendi jurisdictionem inſinuat per ea verba: *quia ſi id feciſſem, per litteras indicaſſem*; ſed hos tamen Sacerdotes abſolvere ſibi *impoſſibile* fatetur, non quaſi ex defectu jurisdictionis, ſed ex defectu juſtitiæ, eoquod contra Canones peccare non poſſet, quos defendere deberet, hoc eſt, quia non aliter poſſet agere, quam prædicaret.

§. 28.

Quin etiam apoſtolica noſtræ Germaniæ tempora nos docent, ſummo Pontifici non ſolum jus fuiſſe a Synodo provinciali appellationes ſuſcipiendi, ſed & partium evocationes Romam usque ſuum ad judicium faciendi. Hoc altera demonſtrat epiſtola Zachariæ P. ſcripta a. 747: „Dum fuerit „aggregatum Concilium, ad medium deducantur ſacrilegi illi, & contuma„ces Adalbertus, & Godalſacius, & Clemens Epiſcopi, ut eorum denuo „ſubtili indagatione cribretur cauſſa: quodſi deviantes a rectitudinis trami„te usquequaque repereritis, & convicti fuerint, inclinati ad viam conver„ti rectitudinis, ut bonum, atque placitum in oculis veſtris paruerit, cum „Principe Provinciæ diſponite ſecundum ſacrorum Canonum ſancita. Sin autem

*) Apud Hartzheim Tom. 1, p. 71.

„autem in ſuperbia perſtiterint contumaciter proclamantes reos ſe non eſſe; „tunc cum probatiſſimis, atque prudentiſſimis Sacerdotibus duobus, aut tri- „bus prædictos ad nos dirigatis viros, ut profunda inquiſitione coram Se- „de apoſtolica eorum inquiratur cauſſa, & juxta quod meruerint, finem „ſuſcipiant" *). Satis jam dilucide veterem ſeculorum, quæ adhuc pura ab Iſidori corruptione vocantur, diſciplinam circa appellationes per- ſpeximus.

ARTICULUS V.

De Jure recentiore, ſpeciatim Germanica.

§. 1.

Sequiori ævo appellationes ad romanam Curiam fuiſſe adhuc frequentiores, nec adverſarii negant, nec nobis probandum incumbit. Ceterum nolim ego curioſius indagare, an ipſæ forſitan ſucceſſu temporis frequentiores inferiorum tribunalium injuſtitiæ, aut violentiæ hæc miſerorum refugia ad ſupremum judicem, in jure naturæ fundata multiplicaverint: ſiquidem cum mundi dignitatibus etiam arrogantia Præſulum, maxime autem Archipræſulum nonnumquam ad exorbitantiam uſque adcreviſſe videatur. Certum eſſe non diffiteor, prout in rebus humanis nihil eſt a rubigine abuſuum exemtum, ſeculis undecimo & duodecimo appellationum frequentiam tanto jam exceſſu inoleviſſe, ut cum S. Bernardo viri probatiſſimi juſtas propterea querelas, præſertim quod profanæ cauſæ ſine numero & modo Romam traherentur, ipſis Pontificibus proponerent. Hinc primam juris, verius autem abuſuum reformationem ab iisdem etiam Pontificibus factam invenio, plurimis jam cauſis ad delegatos in partibus judices ſponte ſua remiſſis. Sane id in Eugenio III jam laudat Bernardus *in conſiderat*: „Bene facis tu, quod appellationum negato ſuffragio, imo ſuffugio „multa remittis negotia ad cognoſcentes, vel qui noſcere citius poſſunt: „ubi enim certior, ac felicior notio, ibi deciſio tutior, expeditiorque." Alia ad cavendos abuſus avocationum, aut cauſſarum delegationum remedia largiter inſtituerunt ſummi Pontifices Innocentius III a. 1216, Honorius III a. 1223, Innocentius IV a. 1245, Bonifacius VIII a. 1302, & Clemens V 1311, quorum ſingula ſtatuta vide vel in libro Pontificibus Romanis ſumme infenſo **).

 §. 2.

*) Harzheim T. 1, p. 76.

**) Concordata Nationis germanicæ integræ. Tom. 2, pag. 193.

§. 2.

Juris autem publico pacto Eccleſiam inter, & Imperium firmati *de appellationibus* prima Epocha ſe mihi offert initio Seculi XIII, ubi Imperatores Otto IV a. 1209, & Fridericus II a. 1213 pacem cum romano Pontifice inierunt promittentes, *ſe quidem non impedituros ad romanam Curiam appellationes, attamen tantum in cauſſis eccleſiaſticis.* Quam regulam a. 1230 etiam amplexus eſt Rex Henricus in comitiis Wormatienſibus. Idem inculcat *Pax publica* Friderici II de a. 1235. Huic regulæ etiam Concilia Germaniæ ſeſe conformabant: ita Concilium provinciale Moguntinum a. 1261: & Colonienſe a. 1260. Unde & Rudolphus Habsburgicus a. 1275 ſummo Pontifici promiſit: „Appellationes in negotiis, & „cauſis eccleſiaſticis ad apoſtolicam Sedem libere fiant, eorumque perſecu„tionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat" *). En Concordatorum Germaniæ partem non contemnendam, & quidem regulam ad interpretationem poſteriorum. Non enim a natione noſtra a. 1459 Moguntiæ decreta Baſileenſia omnia *abſolute*, ſed tantum *cum certis modificationibus* ſunt acceptata, ſeu prout ipſe Rex Rom. Albertus II in ſua conſtitutione explicat, *quatenus commoditatibus temporibusque, & moribus Nationis Germanicæ convenire videntur.* **) Atqui ex modo allatis documentis conſtat, in moribus Germaniæ fuiſſe poſitum, & pactis publicis firmatum, NB. ut *in cauſſis eccleſiaſticis appellationes ad apoſtolicam Sedem libere fiant, easque nemo impedire præſumat.* Ea eſt ergo modificatio, ſub qua Decretum Baſileenſe ſeſſ. 31 a Germanis acceptum dici poteſt ſcilicet *ſecundum mores, & conſuetudinem Germanorum.*

§. 3.

Hæc epocha reformationis, ſeu juris recentioris in Imperio circa appellationes, ſeculum XIII, quo ad romanam etiam Curiam in cauſſis eccleſiaſticis appellare quidem permiſſum, ab ipſis tamen Pontificibus, ut cum juſto moderamine id fieret, fuit proviſum. Cumque abuſuum mala teſte experientia numquam poſſint ſimul ac ſemel, quaſi in momento curari; haud ſane difficiles in reſtringendis amplius ab ordinario judice avocationibus ſeſe præbuerunt Pontifices: ita Moguntia ab Innocentio IV ſpeciale privilegium petiit, atque obtinuit, vi cujus in nulla cauſſa litigantes extra patriam poſſint ad judices evocari, quamdiu ipſæ partes coram Ordinario ſuo paratæ forent juri ſtare. Aliis adhuc modis in provincialibus Synodis e. g. circa delegatos Judices abuſuum remedia Papis non invitis quære-

*) Vide l. c. p. 191.

**) Ad Concord. Nat. Germ. Document. Faſcicul. 1, p. 4.

Digitized by Google

querebantur *): adeo, ut ſi veritatem fateri velis, ſummos Pontifices dicas paterno potius affectu judicum ſubditorum querelis remederi ſtuduiſſe, quam easdem durius, aut imperioſius repuliſſe.

§. 4.

Quod cauſſas criminales inferiorum Clericorum concernit; easdem ſicut in Gallia ab æuo Caroli Calvi, ſic & in Germania regulariter, hoc eſt, vi obſervantiæ ac privilegii apoſtolici ad transalpinum judicium devolvi non potuiſſe videtur: hoc quidem dari poteſt hodiernis ad *jus antiquum Germaniæ*, *NB.* quod iſidoriano antiquius non eſt, Appellatoribus. Digniſſimum autem obſervatu eſt, quod hac occaſione multi cum criminum cauſis, mere *perſonalibus* controverſias *reales* integrarum ſocietatum e. g. *Monaſteriorum* perperam confundant, falſo præjudicio ducti, ſicut in illis, ita in his quoque caſibus ad ſummæ Sedis tribunal recurſum fuiſſe umquam prohibitum. Præterquam enim, quod nec inferioribus Clericis in cauſſa perſonali appellatio fuerit interdicta, ubi domeſticos judices cum fundamento poterant *iniquitatis* arguere; illæ Monaſteriorum ad romanum Pontificem provocationes non fuerant propriæ tamquam a legitima judicis ſententia appellationes, ſed plerumque contra opprimentium violentiam, eamque non raro extrajudicialem, aut certe nimium aperte partialem refugia. Si vel unius Monaſterii hiſtoriam vellem hic deſcribere, quam pudenda facinora elapſorum temporum reſuſcitare deberem oblivione jam merito ſepulta! Quamobrem non ſolum in ejusmodi caſibus ad ſummam Sedem refugia tunc petebant, ſed & ipſi fundatores Monaſteriorum eadem ſæpe ab Epiſcoporum poteſtate exemta, & romano Pontifici immediate cupiebant eſſe ſubjecta. Quæ Monaſteriorum cauſſae, etſi quidem ex ſe ipſis ad perſonales, imo criminales Clericorum cauſſas veteri jure ordinatas non pertineant; quoniam tamen cum iisdem ſolent a plerisque commiſceri, licebit mihi breviter hoc loco παρενθολογειν.

§. 5.

Diſciplinæ primævæ in Germania fundamentale documentum exhibet Abbatiæ Fuldenſis inde a ſua fundatione exemtio, per ipſum noſtræ Patriæ Apoſtolum, S. Bonifacium ab apoſtolica Sede impetrata. Authenticum hoc Privilegium immediatæ ſubjectionis erga romanam Eccleſiam Zacharias P. anno 751 conceſſit, quod Mabillonius refert lectu non indignum **). „Zacharias P. Bonifacio Epiſcopo, & per eum Fratribus in Mona„ſterio ab eo conſtructo. Quoniam ſemper ſunt concedenda, quæ rationalibus

*) l. c. p. 196.

**) Annales Ord. S. Bened. T. 2, p. 156.

„bus congruunt deſideriis, oportet, ut devotioni Conditoris piæ conſtru-
„ctionis oraculum in privilegiis præſtandis minime denegetur. Igitur quia
„poſtulaſti a nobis, quatenus, Monaſterium Salvatoris a te conſtructum in
„loco, qui vocatur Bochonia, erga ripam fluminis Fuldæ privilegio Sedis
„apoſtolicæ decoretur, ut ſub jurisdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo Autho-
„re deſervimus, Eccleſiæ conſtitutum, nullius alterius Eccleſiae poteſtati
„ſubmittatur; pro qua re piis deſideriis faventes, hac noſtra Authoritate,
„id quod expoſcitur, effectui mancipamus. Et ideo omnem cujuslibet Ec-
„cleſiæ Sacerdotem in præfato Monaſterio ditionem ullam habere, aut au-
„thoritatem, præter Sedem Apoſtolicam, prohibemus: ita ut niſi ab Abba-
„te Monaſterii fuerit invitatus, nec Miſſarum ſolemnitatem ibidem quis-
„quam præſumat celebrare, ut profecto juxta id, quod ſubjectum apoſto-
„licæ Sedi conſiſtit, inconcuſſe dotatum permaneat. Locis quoque, & re-
„bus, tam eis, quas moderno tempore tenet, vel poſſidet, quam quæ fu-
„turis temporibus in jus ipſius monaſterii divina Pietas voluerit augere
„ex donis, & oblationibus, decimisque fidelium, absque ullius perſonæ
„contradictione, firmitate perpetua perfruatur. Conſtituimus quoque per
„hujus decreti noſtri paginam, ut quicumque cujuslibet Eccleſiæ Præſul,
„vel quacumque dignitate prædita perſona hanc Privilegii noſtri chartam,
„quam Authoritate Principis Apoſtolorum firmamus, temerare tentaverit,
„anathema ſit, & iram Dei incurrens a cœtu Sanctorum omnium extorris
„fiat. Et nihilominus præfati Monaſterii dignitas a nobis indulta, perpe-
„tualiter inviolata permaneat, apoſtolica Authoritate ſubnixa. Data pridie
„Nonas Novembris imperante Domino Auguſto Conſtantino, anno 32 Im-
„perii ejus, Indictione quinta.“

§. 6.

Refugia igitur ad ſummum Eccleſiæ Antiſtitem, quo ſuos Adverſarios ſæpius Religioſi provocabant, ipſo nitebantur jure naturæ, nulla hominum diſpoſitione impediendo. Atque hac ipſius naturæ æquitate impellente hodiernis etiam diebus fieri conſpicimus, ut Monaſteriorum cauſſæ vel a Dominis Proteſtantibus non minus docte, quam ſolide defendantur. Qua in Palæſtra inſignem victoriæ laurum contra Moguntinos non ita pridem ſibi promeruit celeberrimus Schlettweinius *). Sed quod ſingulariter commemoretur, digniſſimum eſt Electoris Palatini nunc glorioſiſſime regnantis decretum a. 1779 die 1 Decembris datum pro tutela Regularium contra

*) Die Gerechtigkeit in Abſicht auf die Klöſter. 1784. Wichtige Beyträge zu der Gerechtigkeit in Abſicht auf die Klöſter, 1785. Entwickelung der Wichtigen Materien vom Kircheneigenthum. 1786.

contra Moguntini, vel potius Wormatienſis Epiſcopi violentiam: en tenorem decreti: „Eo minus exſpectare debuimus ſuſceptum tribunali eccle„ſiaſtico tam indignum, quo per illud jura noſtra territorialia inveniantur „læſa, religioſi Ordines, quorum manibus arma deſunt, magis magisque „afflicti, Catholicorum plebs ſcandalizata, & opprobria Proteſtantium pro„vocata. Inutilis labor foret multis demonſtrare formitandas ſimilis atten„tati conſequentias: hæ nimis jam publico notae ſunt. Et cum decreta „Wormatienſium in ſua executione neceſſario terribiles effectus producere debe„ant; obligatos nos ſentimus, pro pace interna Religionis, pro conſervatione „Dignitatis electoralis, pro afflictorum conſolatione hisce Dominis ante om„nia amicabiliter declarare, quod neutiquam cogitemus reſpicere, aut quo„modolibet effectui dare directe, vel indirecte, privatim aut publice dictam „reſolutionem, nec quamcumque aliam, quæ in futurum prodire poſſet in „præjudicium ſtatutorum Concilii generalis Tridentini quoad epiſcopalem „jurisdictionem erga Religioſos. Non poſſumus non hosce Dominos ro„gare, ut ſtatibus noſtris parcant, ne per ejusmodi attentata tempeſtas e„rumpat injurioſa reverentiæ Epiſcopis debitæ, & honori ſanctæ Religio„nis. Hortamur e contrario, ut evitetur omnis perturbatio in cura ani„marum, omnis violatio eccleſiaſticæ Conſtitutionis, omnis immutatio in „regulis inſtitutorum religioſorum, nos potius conjuncto ſtudio adjuvare „in iis, quæ ex jure Advocatiæ, & Superioritatis territorialis impendere „debemus, remediis ad bonum Religionis, & Cleri.“ Quodſi Religioſos inique preſſos vel ſeculares Principes ſuam in tutelam hodie recipiant; quis credat antiquitus contra injuſtas oppreſſiones vetitum fuiſſe ad ſupremum Eccleſiæ Caput refugium?

§. 7.

Ut denuo ad gravamina in ſpecie Germanorum circa appellationum abuſus redeamus; tempore magni Schiſmatis, ne tunc quidem ipſum divinum jus apoſtolicæ Sedis graviores cauſſas ſuum ad tribunal avocandi ullus eorum, qui catholicæ eccleſiæ membrum eſſe ambiebant, impugnare, vel in dubium vocare eſt auſus; ſed in Concilio Conſtantienſi tantum quoad cauſſas minores avocationum ad Curiam limitationem poſt Gerſonium quidam petiere: quin ipſa Synodus ſecularibus adeo in cauſſis romanum tribunal permiſit: 1*mo* in caſu perhorreſcentiæ duobus teſtibus, & juramento Actoris probandæ: 2*do* in caſu negligentiæ ſecularis judicis legitime probatæ: 3*tio* cum conſenſu partium expreſſo *). De cauſſis vero eccleſiaſticis ita decrevit: „Quæ vero ad forum eccleſiaſticum pertinent, & *NB.* de jure ſunt „per

*) Van der Hardt, Tom. 1, Col. 1003.

„per appellationem, aut alias devolutæ, aut de ſua natura in illa (Curia) „tractandæ, tractentur in ea, ceteræ committantur in partibus, niſi forte „pro cauſſæ aut perſonarum qualitate illas tractare in Curia expediret pro „juſtitia conſequenda *), vel de Partium conſenſu in Curia tractarentur. „Matrimoniales tamen cauſſæ in prima inſtantia præter appellationem non „committantur in Curia, niſi in cauſſis proxime dictis. Item ad re„frenandum appellationes fruſtratorias, quæ ante definitivas ſententias in„terponuntur ordinamus, quod injuſte, ſeu frivole appellantes ab interlocu„toria, vel gravamine ultra condemnationem expenſarum damnorum, & in„tereſſe in decem florenos, ſi appellatio interponatur in Curia, & in vi„ginti, ſi de Partibus ad Curiam, parti appellatæ condemnetur. Et quod „ſuper eadem locutoria, vel gravamine ſecundo appellare non liceat, niſi „haberent vim definitivæ" **). Tantum jus Pontificis circa appellationes Conſtantienſis Synodus agnovit, quam certe non dices Pontificum adulatricem, aut illorum dominatui ſubditam fuiſſe.

§. 8.

Noſtra autem germanica Natio tam longe abfuit ab iniqua petitione abrogationis omnium ſine diſcrimine appellationum ad romanam Sedem, ut in Aviſamentis a. 1418 Martino P. exhibitis tantum moderamen deſideraret circa appellationes *extrajudiciales, aut etiam judiciales omiſſo medio, indifferenter, & circa definitivam.* Quamobrem etiam Pontifex ad quinquennium cum Germanis concordavit in hunc modum ***). „Sanctiſſimus Do„minus noſter Papa Martinus V ſtatuit, & ordinat, quod nullæ cauſſæ in „romana Curia committantur, niſi quæ de jure, & natura cauſſæ in ro„mana Curia tractari debebunt, & quod cauſſæ, quæ ad forum eccleſiaſti„cum de jure, vel conſuetudine non pertinent, per romanam Curiam eti„am prætextu crucis ſignationis Laicorum extra tempus paſſagii non reci„piantur de illis cognoſcendo in Curia, vel extra committendo, niſi de „conſenſu partium. Quæ vero ad forum eccleſiaſticum pertinent, & de „jure ſunt per appellationem, aut alias ad romanam Curiam devolutæ, ac de

*) Ita ab univerſali Synodo diffidentia quædam prodita fuit ſaltem in quibusdam inferioribus judicibus.

**) Seſs. 43.

***) Ea eſt concordati hujus conditio, ut tantum ad quinque annos fuerit initum: qua ergo fronte quidam hunc ſummum Pontificem, aliosque illius Succeſſores fracti publici fœderis reos condemnare audeant, non perſpicio. Neque id hominum genus malitioſa hujus concordati perverſione adverſus ſummos Pontifices uti velle, mihi facile perſuaſero; attamen eosdem a craſſa hujus rei ignorantia haud excuſandos exiſtimo. Plura forte, ſi digna ſe obtulerit occaſio, hac de re alias.

Digitized by Google

„de ſui natura in eadem tractandæ, tractentur in ea, ceteræ committantur „in Partibus, niſi forſan pro cauſſæ, & perſonarum qualitate in commiſ„ſione exprimenda illas tractari in Curia expediret pro juſtitia conſequen„dâ, vel de Partium conſenſu in Curia tractarentur“ *). En ut faciles ſemper, & æquos erga petitiones Nationum ſeſe romani Pontifices præſtiterint!

§. 9.

His tamen non contenti Baſileenſes, ut ſummum Sacerdotem deprimerent, toto animo ſtudioſi, ſibi vero ipſis non ſolum eccleſiaſticam, ſed & ſecularem jurisdictionem ultra modum inique arrogantes, cum jam Catholicorum omnium conſenſu ſchiſmatici eſſent, quo Nationis noſtræ favorem captarent, ad eam decretum emiſerunt hujus tenoris **): „Quod in „partibus ultra quatuor diætas a romana Curia diſtantibus omnes quæcum„que cauſſæ (exceptis majoribus in jure expreſſe enumeratis, & electionum „Eccleſiarum cathedralium, & Monaſteriorum, quas immediata ſubjectio ad „Sedem apoſtolicam devolvit) apud illos judices in Partibus, qui de Jure, „aut conſuetudine præſcripta, vel privilegio cognitionem habent terminen„tur, & finiantur: & ne ſub umbra appellationum, quæ nimium leviter „& nonnumquam frivole hactenus interponi viſæ ſunt, atque etiam in ea„dem inſtantia ad prorogationem litium ſæpe multiplicari, materia foven„dis injuſtis vexationibus relinquatur, ſtatuit eadem ſancta Synodus, quod „ſi quis offenſus coram ſuo judice habere non poſſit juſtitiæ complemen„tum, ad immediatum Superiorem per appellationem recurſum habeat: nec „ad quemcumque, etiam ad Papam, omiſſo medio, neque a gravamine in „quacumque inſtantia ante definitivam ſententiam quomodolibet appelletur, „niſi forſitan tale gravamen extiterit, quod in definitiva ſententia reparari „nequiret; quo caſu, non alias ad immediatum Superiorem liceat appella„re, ſi vero quispiam a Sedis apoſtolicæ immediate ſubjecto ad ipſam Se„dem duxerit appellandum, cauſſa per reſcriptum usque ad finem litis in„cluſive in Partibus committatur, niſi forte propter defectum juſtitiæ, aut „juſtum metum etiam in Partibus convicinis, de quibus in Commiſſione „exprimendis legitimo prius documento alias, quam per juramentum ſum„marie conſtiterit, apud ipſam Sedem foret merito retinenda. Et quid„quid in contrarium hujus ſaluberrimi decreti attentatum, factum, vel ob„tentum fuerit, ſit nullum ipſo facto; litigantes, qui contra fecerint, in „expenſas condemnentur.“

*) Harzheim Tom. V, pag. 730.

**) Seſſ. 31.

§. 10.

Varia ſunt in Baſileenſi hoc decreto bene obſervanda. *1mo* Patres, etſi quidem ſchiſmatis, non tamen hæreſis rei, ſed catholicum adhuc dogma ſervantes diſtinctionem expreſſe faciunt inter cauſſas majores, & inter alias quascumque: & illas quidem non audent, æque ac has apoſtolicæ Sedi ſubtrahere. Quæ ſumme notabilis diſtinctio non ex principiis Decretalium Iſidori petita, ut placet Domino Gregelio Moguntiæ ante aliquot annos diſcipulo *), ſed ipſis divinis Scripturis, & tota retro Patrum Orientis, & Occidentis traditione fundata eſt, Provocamus enim hunc Dominum, jam in dogmate a nobis diſſentientem, ut argumenta refutet a nobis hactenus ex utroque Verbi divini fonte allata pro catholico dogmate *juris appellationum ad apoſtolicam Petri Cathedram.* Plura adhuc alia falſa hujus Scriptoris hodiernorum, ut vocantur, Publiciſtarum præjudiciis occupati, ne prolixior fiat oratio, refellere jam non eſt opus. Hæc nempe miſera ſors eſt juvenum noſtrorum, ut optima ingenia a Magiſtris publicis venena imbibant: quem exitialem ſtatum noſtrarum Univerſitatum, quibus tamen ſanctæ fundationes prodiga manu adjiciuntur, vivis coloribus depingit lectu digniſſimus ex Proteſtantium numero Schlettweinius. Vid. §. 6.

§. 11.

2do Gravioribus cauſſis, quas apoſtolico Papæ judicio reſervant Patres, in jure enumeratis adhuc adjungunt illas electionum in Eccleſiis cathedralibus, & Monaſteriorum exemtorum. Ita vel a Baſileenſibus agnita fuit immediata jurisdictio romani Pontificis in cæteros Diœceſanos, utpote quos ab Ordinariis locorum exemtos, & immediate ſibi ſubjectos facere potuit: imo ſi verum eſt, quod hodie magno oris jactatur *hiatu*, *NB.* Baſileenſia Decreta ſolenniter a Natione noſtra fuiſſe acceptata, & publico pacto cum romano Pontifice firmata, nec non & rationem legis fundamentalis in Imperio habere; ſequitur *immediatam* Papæ in ſubditos Germaniæ jurisdictionem, etſi tantopere noſtris Reformatoribus exoſam, a Majoribus noſtris ſolemni acceptatione agnitam, & publica fide romano Pontifici hanc agnitionem fuiſſe adpromiſſam, & nunc pro Imperii lege fundamentali eſſe habendam. Et Monaſteria quidem exemta in Nationis noſtræ Concordatis, & Imperii lege fundamentali novum acquirunt, fortiſſimumque fulcimentum.

§. 12.

*) Diſſert. inaugur. *de Juribus Nation.* *German.* Moguntiæ 1787.

Digitized by Google

§. 12.

3*tio* Vi hujus Decreti Baſileenſis equidem cauſſæ minores *per judices in Partibus* terminandæ forent; attamen nec verbulo præſcribitur, eosdem judices ſimul debere eſſe *Nationales*: ſufficit ergo, ſi vel ſint ad Partes delegati. Quin etiam expreſſo tenore legitimi agnoſcuntur judices, qui aut de jure, aut *NB.* conſuetudine præſcripta, aut ſolum Privilegio cognitionem habent: ergo facultas in Appellatorio judicandi apoſtolicis Legatis neceſſario permitti debet, niſi propter jus, ſaltem propter conſuetudinem ſeculis præſcriptam, & pactum cum Pontifice publica fide initum. Præterea talis agnoſcitur in ſubditos Germaniæ jurisdictio Papalis, adeoque immediata, ut judicandi Authoritas vel Privilegio poſſit a Papa quibusdam præter Ordinarios committi: neque enim aliud quam ſummi Pontificis privilegium potes hic intelligere, quippe cum certo de judicibus ſermo eſt, qui non epiſcopali, ſed papali Privilegio judicare ſubditos localis Epiſcopi, ejusque judicia reformare poſſint: hujusmodi pontificia privilegia tunc temporis etiam in Germania valuiſſe, vel invitus teſtis eſt recentiſſimus falſarum mercium fabricator Bonnenſis, non Iſidorus quidem, ſed Hedderichius, qui non ita pridem falſum confinxit Privilegium a Paulo II, ut mentitur, Ruperto Colonienſi Archiepiſcopo 1467 conceſſum: quam turpem fraudem doctiſs. P. Zacharias jam denudavit ad futuram noſtrorum temporum apud poſteros confuſionem *).

§. 13.

4*to.* Nec verbo auſi Baſileenſes Pontificis jus circa ſuſcipiendas appellationes attingere, hoc certo ſuppoſito tantum prolixo ingreſſu in abuſus appellationum invehuntur, *quod nimium leviter, & nonnumquam frivole fuerint interpoſitæ.* Hinc etiam easdem non abſolute excludunt, ne minoribus quidem in cauſſis, ſed tantummodo moderamen practicum ſtatuunt, *ut non omiſſo medio* — Quin imo in certis caſibus e. g. ob defectum juſtitiæ, ſi is probatus fuerit, omiſſis etiam convicinis judicibus immediate apud ſanctam Sedem tractatio cauſſæ permittitur.

*) In F. Philipp. Hedderich — Specimen animadverſionum Placentiæ. 1789. Frivola eſt Hedderichii apologia Bonnæ eod. an. vulgata, in qua Pauli P. Bulla adverſus *leviora* ſuppoſitionis argumenta artibus ſat notis vindicatur. Quare Bonnenſes propter crimen falſi *in P. Schenkel Syntagma* commiſſi nondum ſcribſere apologeticum?

§. 14.

5to. Denique quæ verba difficultatem faceſſere, & ſummi Pontificis jus inique violare poſſent, ſunt ſequentia: *Cauſſas eſſe apud judices in Partibus terminandas & finiendas.* Item: *Cauſſa per Reſcriptum usque ad finem litis incluſive in Partibus committatur.* Quod duplici in ſenſu intelligi poteſt; vel ut a judice in Partibus fiat prius cauſſæ inſtructio, eaque Romam miſſa, & deciſione inde remiſſa, per eumdem judicem in Partibus ſententiæ promulgatio, nec non & executio, quatenus ipſi litigantes ad Curiam longum iter ſuſcipere non debeant: vel ut delegatus a Papa judex non ſolum cauſſam inſtruat, ſed & per ſe ipſum ſine actis Romam mittendis, adeoque independenter a Papa, quam velit ſententiam, enunciet, & exſequatur. Nemo non videt poſteriorem hunc ſenſum, vel naturæ æquitati eſſe contrarium: natura enim jubet delegatam poteſtatem a Principali dependere, eique rationem reddere ſuæ actionis judicio ſuperiore vel confirmandæ, vel reformandæ; præterquam quod tota ratio appellationis ad ſupremum judicem propter majorem juſtitiæ præſumtionem hoc modo annihilaretur, nec jam refugium ad hoc divinitus datum tribunal remaneret, ſed nonniſi vana hujus refugii fictio. Atque etiam Epiſcopis & Archiepiſcopis injurioſa foret hæc delegatorum judicum ſe inferiorum independentia, a quibus reformari poſſent pro ſolo illorum libitu, ſine ratione ulli Superiori reddenda. Num ea mens Baſileenſium fuerit ſummo Pontifici plus juſto infenſorum, ego non diſcutiam; *totius* noſtræ Nationis non fuiſſe certum eſt, ut amplius ex dicendis patebit.

§. 15.

Etſi vero Baſileenſe hoc decretum a Pſeudoſynodo ad captandam benevolentiam Nationi noſtræ oblatum ſua ex natura nullius ſit valoris, quippe a ſchiſmaticis parentibus ortum; quoniam tamen Moguntiæ anno 1439 ſub Alberto II Rege Romanorum inter alia decreta receptum dicitur, hodie noſtram attentionem meretur præter ea hoc loco rememoranda, quæ jam Parte II, Excurſu II de *Concordati Germaniæ* uberius ex Actis producta vidimus. Et quidem ut ordine procedamus in hac noſtris diebus maxima de *Germaniæ Concordatis* controverſia, oportet tria ſingulari ſtudio diſcutere: *1mo* ipſam Moguntinam decretorum acceptationem, *2do* Eugenii IV permiſſionem, *3tio* demum Nicolai V, ſiqua eſt, Aſchaffenburgi confirmationem.

§. 16.

§. 16.

Inſtrumentum factæ per Allemanniæ Principes Decretorum Baſileenſium acceptationis, prout a Moguntinis editum, fere jam in omnium manibus verſatur; ipſo tamen fatente illuſtr. Württweinio fuere, qui hujus Inſtrumenti fidem atque authoritatem vehementer impugnarunt. Res digna foret, quæ non ſolum in Archiepiſcoporum, ſed etiam aliorum Principum Archivis, & Romæ quidem in manuſcripto codice Bibliothecæ Vallicellanæ inquireretur: ſuſpicione enim non caret hoc ipſum de *cauſſis*, & *appellationibus* decretum, cujus quidem initialia verba Würdtweinius in Inſtrumento memorat *), in recenſione tamen ſingulorum decretorum inde a pag. 343 idem reticet, & ſtudioſe omittit. Hoc ipſum decretum in Exemplari Salisburgenſi ad Nicodemum Friſigenſem Epiſcopum transmiſſo defuiſſe videtur, eoquod Epiſcopus ille ſingulorum decretorum *initia* enumerans, ut ipſe loquitur in Synodo diœceſana anno 1440, hujus tamen nullam facit mentionem. Neque hoc apud ſolum deſideratur Meichelbeckium **), ſed in multo antiquioribus Conciliorum collectionibus, uti Coletana Tom. 19, & illa Regia Pariſiorum: Tom. 33. Quod certi hinc colligitur, iſtud eſt Baſileenſe decretum *de cauſſis* in illo Friſingenſi Concilio non fuiſſe acceptatum, nec proin pro patria noſtra, id eſt, Bavaria ab illa Archiepiſcoporum Moguntina acceptatione ullum trahere valorem.

§. 17.

Nec totam Germaniam magis, quam Bavariam illa reſtringit Moguntina acceptatio: in hoc quippe conventu non tota Natio intererat, ſed cum Alberti Regis oratoribus tantum Electores, & Archiepiſcopi partim in propria perſona, partim ſuos per legatos. Tametſi igitur Archiepiſcopi hac occaſione ſibi opportuna, Papæ vero iniqua firmum jus appellationum ſibi vindicare quæſierint; ſpectata tamen Epiſcoporum aliorumque Principum indole haud credibile eſt horum acceſſiſſe conſenſum, quo ſuam cederent libertatem ad ſummum tribunal Romani Judicis accedendi, ſibique neceſſitatem imponerent ſatis alias inviſo Metropolitarum tribunali ſeſe ſubjiciendi. Vel ipſi acceptatores Moguntini hanc difficultatem perſpexerint, neceſſe eſt, cum tam larga modificatione decreta Baſileenſia acceptaverint, ut cuilibet Epiſcopo, vel Principi plenam ſane libertatem priſtinam relinquerent. En verba: „Salvis tamen in quibusdam declarationi„bus, modificationibus, & limitationibus noſtræ Germanicæ Nationi, ac „cuilibet noſtrum ſingulariter in ſuis provinciis, Diœceſibus, ſeu Terri-

 toriis

*) Subſid. Diplom Tom 7, p. 336.

**) Hiſtor. Friſing. Tom. 2, Part. inſtrum. p. 270.

„toriis congruentibus, & accommodis factis, & fiendis, ſuis loco & tem-„pore opportunis exprimendis, ac per ſacrum Concilium decretandis." Quod nec Baſileenſi, nec alio quodam poſteriori in Concilio factum, niſi forte Tridentino, cujus ſtatutis, & canonibus germani Patres noſtri acquieverunt, Novatores autem hodierni refragantur.

§. 18.

Quare decipiunt illi, qui decreta Baſileenſia Moguntiæ accepta, quaſi abſolutam Germaniæ Concordatorum regulam venditant ſilentio prementes eam, quæ cuilibet Epiſcopo, vel Principi expreſſe aſſerta eſt, libertatem modificandi decreta, & limitandi: prout ſingulariter Diœceſi, ſeu Territorio congruum & accommodum fuerit ſive pro præterito, ſive pro futuro. Hanc cum moribus Germanorum congruentiam, hoc eſt, obſervantiam Baſileæ decretis ſeu anteriorem, ſeu poſteriorem næ tu potiore jure dixeris regulam ipſius Moguntinæ acceptationis, atque hinc Nationis noſtræ Concordatorum!

§. 19.

Sicut primitus a Germanis *quibusdam* anno 1439 acceptata, hoc eodem, non alio modo anno 1446 ab Electoribus ſemel, atque iterum Francofordii reaſſumta ſunt Baſileenſium decreta. Illud igitur in ſpecie de *cauſſis* vel numquam a Patriæ noſtræ Epiſcopis fuit acceptatum, vel certe cum aſſerta ſibi libertate congruam cujuslibet Diœceſi obſervantiam vel retinendi, vel inchoandi. Inſuper autem ex Actis memorabile hoc eſt, univerſam Germaniæ Nationem in illa Baſileenſia decreta adeo non conſenſiſſe, ut & adverſus eamdem Electorum & Archiepiſcoporum acceptationem a quibusdam apud Eugenium P. expreſſa gravamina moverentur.

§. 20.

Quid ergo Eugenius permiſerit, nunc videamus. Inter ea, quae Nationis noſtræ Legati Romam miſſi a Pontifice poſtularunt, tertio loco erat: ut *Nationi germanicæ ſuper gravaminibus opportune provideatur.* Fuere autem non omnia Germanorum gravamina, quæ decretis Baſileenſibus levarentur, ſed & alia quædam e. g. de diſpenſatione romana in quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, de exemtorum exorbitantiis, & privilegiis; quin imo, ut modo §. ſup. dictum, de ipſa decretorum acceptatione Præſules quidam gravabantur. Quantum ad iſta; quid Pontifex ad tranquillitatem Germanorum concederet, haud ſatis clare perſpectum habebat, prout ipſe loquitur in Bulla ad ſuos Legatos data Kal. Auguſti anno 1446,

quod

Digitized by Google

quod ſibi de illis decretis *non plane conſtat.* In eadem vero Bulla Legatis ſuis plenam facultatem dedit *ſuper aliis gravaminibus , quæ Natio eadem prætendit, moderandis, limitandis, & auferendis.* Quod autem ad Baſileenſium decretorum acceptationem ſpectat, ex quorum obſervantia cum Prælati quidam' *aliis reclamantibus* dicerent, germanicam Nationem ex pluribus gravaminibus relevari; Pontifex tranquillitati haud melius conſulendum ratus, edita Bulla: *Ad tranquillitatem.* anno 1447 acceptationem decretorum cum ſuis modificationibus *quoad præterita* ratam habuit in favorem illorum, qui eadem vel acceptarunt, vel acceptantibus adhæſerunt.

§. 21.

Quod vero jam ad rei caput pertinet, eſt *quoad futura* obſervatio, & modificatio eorumdem decretorum: hac de re admodum adhuc implexa ipſis Germanis in diverſa ſciſſis, ſapiens Papa nondum aliquid certi voluit ſtabilire, ſed eum in finem Legatum ſuum cum ſufficienti poteſtate ad partes Germaniæ transmittere decrevit, qui non ſolum cum Archipræſulibus, ſed & *aliis ejuſdem Nationis Principibus, & Prælatis, cum quibus fuerit opus, ſuper obſervantia & modificatione decretorum hujuſmodi, nec non ſuper proviſione Sedis apoſtolicæ tractare poterit, & finaliter concordare.* Usque ad hæc enim duo puncta, *ut præditum eſt*, concordatum cum Germanis per priorem Legationem ſummo Romanorum gaudio jam erat concluſum. *Interim* vero *NB.* relative ad novum Legatum in Germaniam mittendum, Pontifex iis, qui decreta acceperunt, permiſit ulteriorem eorumdem uſum *ſcilicet cum modificationibus, quibus recepta ſunt.* Terminum etiam, quo hæc permiſſio exſpirare deberet, ſatis clare expreſſit, *donec per Legatum hujuſmodi, ut prædictum eſt, concordatum fuerit*, aut ſi hoc non contigiſſet, benevolus Papa terminum prolongari voluit uſque ad proxime futurum, jamque indictum Concilium: *vel per Concilium, quod ad prædictorum Regis, Prælatorum, Principum exhortationem convocare proponimus, aliter fuerit ordinatum.* Nemo non videt, quod Pontifex nullatenus intenderit jam actuali pacto eam decretorum Baſileenſium acceptationem firmare, ſed unice tranquillitati *interimiſticæ* providere, uſque dum concordia firma circa eadem decreta ſive retinenda, ſive immutanda per Legatum obtineatur, ſin minus; pro ſua bona voluntate Pontifex voluit permiſſionem durare uſque ad aliam poſt decem menſes celebrandi Concilii ordinationem. In hac hypotheſi, quod concordia de ſæpe dictis decretis obtineri non poſſit, ſane *aliam* Concilii ordinationem Pontifex debuit exſpectare. Qua naturali verborum interpretatione manifeſtum fit, Barthelium & Horixium craſſo errore, niſi mala fide, voculam *aliter* ad partem ſuperiorem de faciendo

ciendo per Legatum concordato tranſpoſuiſſe, quaſi Eugenius jam vero quodam, ſtabilive pacto Baſileenſia decreta admiſiſſet.

§. 22.

Hactenus de modo, ſeu conditione diximus, qua *interim* Eugenius P. in petitionem Germanorum conſenſit. Quid vero præciſe Germanis conceſſerit, ſi quæras; dico, ipſum ſatis clare non cognoviſſe, quid permitteret, ſicut Germani non cognoverant, quid præciſe peterent. Neque enim abſolute, & prout jacent, decreta Baſileenſia ſub Rege Alberto ſunt acceptata, ſed largiſſimis, ſummeque vagis cum modificationibus, quæ Germanicæ Nationi, & cuilibet ſingulariter Principi, vel Epiſcopo pro ſuo Territorio, vel Diœceſi congruerent, & accommodæ eſſent aut factæ, aut fiendæ. Neque Eugenius aliter in decreta acceptata conſenſit, niſi *illis ſimiliter cum modificationibus, quibus recepta ſunt.* Quod vero maxime hoc adhuc loco obſervari oportet, Bulla Eugenii *de tranquillitate* non eſt pactum univerſaliter cum tota Natione concluſum, ſed uni tantum parti data promiſſio, *quod omnes & ſinguli, qui præfata decreta receperunt, vel recipientibus adhæſerunt in præfata Natione — libere, & licite uti poſſint.* Quæ mera permiſſio nullam alteri parti obligationem impoſuit Baſileenſia decreta recipiendi, ſed his æque, ac illis plenam reliquit libertatem.

§. 23.

Atque hoc quam clariſſime elucet ex Bulla ejuſdem Eugenii ad Theodericum Moguntiæ Archiepiſcopum 6 id. Febr. a. 1447 data, qua eidem facultatem concedit dubia, & difficultates ſuper acceptatione illorum decretorum occurrentes componendi: „Quia proviſio circa illa *in genere* loquitur, „nec poterant omnes, quorum intereſt, *ſpecificari*; cupis tales in tuis „Provincia, Civitate, & Diœceſi Moguntinenſi ſpecificare, ac de illis atteſtari, nec non ubi petitum, ſeu opus viſum fuerit, declarationes facere „poſſe tempore procedente. — Nos igitur, qui tales, quorum intereſt, ad „præſens ſpecificare non valemus, ſupplicationibus tuis hujusmodi inclinati, „tibi quotiens opus fuerit, ſuper acceptatione decretorum, ac poſſeſſorum „pacificatione juxta concordiam præfatam litteras tuas teſtimoniales — dandi, concedendi, & *NB.* an ſub concordia, & generalitate præfatis hi, quorum intereſt, contineantur, & per easdem intelligantur, ſeu comprehendantur, — declarandi, & atteſtationes faciendi authoritate apoſtolica plenam, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem." Ita vel in Diœceſi, imo & Civitate Moguntina non omnes acceptatione decretorum Baſileenſium tenebantur, ſed liberum erat non ſolum Epiſcopis, verum

etiam

etiam inferioribus eadem recipere, aut recipientibus adhærere. Unde neceſſario conſequitur, nullo jure ſibi ex Concordatis, *debito* Archiepiſcopos exigere poſſe ſecundam appellationum inſtantiam, ſed prout vetus obſervantia eſt, cuilibet relinqui debere ſuam libertatem.

§. 24.

Quemadmodum non Eugenius IV, ita hoc defuncto neque Nicolaus V in *ſtabilem*, & *abſolutum* valorem decretorum Baſileenſium unquam conſenſit. Hic in litteris ad Theodericum Moguntinum 5 Kal. April. a. 1447 datis equidem declaravit velle ſe, *quantum cum Deo poſſet*, ab Anteceſſore conceſſa, & ordinata manutenere, & adimplere; attamen eidem Archiepiſcopo perſcripſit circa hæc ipſa conceſſa, & ordinata pro pacto firmiter ſtabiliendo non plene ſe conſentire: hinc alias addidit litteras per ſuum pro Germania Legatum Joannem, titulo S. Angeli Cardinalem transmiſſas, quibus mentem ſuam *plenius* explicavit. Hæc epiſtola ſi ex Moguntino Archivo ederetur, aut Romæ forſitan inveniretur, plurimum certe luminis præſenti obſcuriſſimæ quæſtioni affunderetur. Ceterum quod ad finale, plenumque concordatum Aſchaffenburgenſis Conventus a. 1448; de hoc ſufficiens nobis teſtimonium ex actis ſuppeditat Æneas Sylvius teſtis idoneus, quippe oculatus, neque adverſariis merito ſuſpectus, ita ſcribens *): „Diſceptatum eſt, quonam pacto Pontifici Nicolao parendum eſſet. Erant, qui „decreta Baſileenſis Concilii omnia ſuſcipienda contenderent, illisque ſalvis „Papæ obediendum. Contra Legatus apoſtolicus ejus Concilii legibus, quod „romana Sedes refutaſſet, nullam ineſſe vim ajebat. Alii, quibus media „ſententia placebat, verum Baſileæ Concilium aliquando fuiſſe affirmabant, „ejusque temporis conſtitutiones haudquaquam rejiciendas eſſe putabant. „Poſtremo eo modo concordiæ locus fuit, ut ſententia quorumdam decreto„rum Baſileenſis Concilii reciperetur, reliqua vero ejus ſtatuta rejecta vi„derentur.“

§. 25.

Si velis cum Nellero largiori ſenſu Æneæ verba interpretari, ut non tantum *quædam*, ſed *plurima* Baſileenſium decreta Aſchaffenburgi recepta, & alia quædam rejecta fuiſſe contendas; etſi gratis id, vixque probabile aſſeras, me tamen contentioſum non invenies. At certe rem ipſam ſubſtantia ſua veram eſſe fatearis neceſſe eſt, quippe quam Æneas Mayero Moguntiæ Cancellario, ejusdem rei optime gnaro, ſuoque adverſario perſcripſit.

*) In Apolog. adv. Mayer. Cap. 11.

Digitized by Google

ſit. Hinc manifeſtum eſt, ab ipſis Germanis agnitum fuiſſe hoc cum Pontificis Legato concordatum tamquam terminum, quo Eugeniana permiſſio decretorum Baſileenſium deſierit: non enim amplius ad eam, ſive ſuam ſub Alberto Rege acceptationem *) provocarunt, minus illam pro fundamento poſuerunt, quid? quod etiam directe illam Germanorum quidam repudiarunt, quibus *media ſententia* placuit tantum primarum 25 Seſſionum conſtitutiones ex Baſileenſi Concilio adoptantibus. Tandem concordiæ omnium locus fuit eo modo, ut *ſententiæ* quorumdam decretorum, non ipſa *ex integro* decreta Baſileenſium reciperentur. Unde totus harum ſententiarum valor, qui hodiedum ſubſiſtere poſſit, ab hac Aſchaffenburgica acceptione unice repetendus eſt, ita ut merum ſit commentum recentiorum poſt Barthelium Canoniſtarum, illam ſub Alberto acceptationem eſſe Concordati Germanici regulam, Aſchaffenburgenſem vero ſub Friderico III concordiam nonniſi a regula exceptionem. Quod vel DD. Poteſtantium ex numero Göttinganus Scriptor, utut ſanctæ Sedis infenſiſſimus hoſtis, & objurgator ingenue faſſus eſt, ſcilicet efficaciam decretorum Baſileenſium cum concordato per Pontificis Legatum concluſo jam ceſſaſſe, & illa nunc tantum *ad Antiquitates hiſtorico-publicas* pertinere **). Ceterum a nobis longiſſime abſit, hujus Scriptoris nugas, & abſurditates omnes amplecti.

§. 26.

Proteſtanticis Scriptoribus, uti Spittlero, Mohlio, aliisque dogmatum Eccleſiæ noſtræ oppido ignaris magnum errorem facile indulgerem, quo acceptationem decretorum Baſileenſium etiam *eccleſiaſticæ legis* titulo volunt valere; niſi ea ipſa hiſtorica documenta, quibus abutuntur, ſatis clare exprimerent illorum decretorum tantum a *quibusdam* Germaniæ *Principibus* factam acceptationem, iisdemque ad tempus datam permiſſionem intacta *aliorum* omnium ſua priſtina libertate. At enimvero tam craſſum errorem in Catholicis quis ferat? Num ignorare hi poſſunt, unum eſſe a Filio Dei ſuæ Eccleſiæ Caput conſtitutum, cui omnes Chriſti fideles per orbem univerſum obedire debeant? Tantum abeſt, ut particulares quidam Præſules, mundive Principes adverſus ſummum Paſtorem inſurgere, atque etiam legem, cui ille ſe ſubjiceret, præſcribere poſſint: quod in Eccleſia hactenus inauditum. Num hoſce, ſi Canoniſtæ ſunt, latere poteſt, veterem hunc eſſe, Iſidoro Mercatore multo antiquiorem, jam a græcis Scriptoribus Socrate,

*) Numquam illa acceptatio totius Nationis fuit, ſed tantum Electorum ſub Alberto Rege Papæ iniquo, & duobus ſchiſmaticis Archiepiſcopis ſufflatoribus.

**) Götting. hiſtoriſch Magazin. Band 1, St. 2, S. 13.

crate, & Sozomeno adductum canonem, ut *inſcio Romano Pontifice in Eccleſiis decreta non ſtatuerentur?* Quid, ſi invito? quid, ſi adverſus ſummum Sacerdotem ??

§. 27.

Unam omnium moleſtiſſimam quæſtionem ſi recoquas, quid ergo Germani ſuo Concordato *præciſe* obtinuerint; tu mihi prius reſpondeas velim, quid ergo Germani illo æterna oblivione delendo tempore *præciſe* quæſierint, quo debitam Pontifici obedientiam aliquot annis recuſarunt, aut ſi velis politice loqui, *Neutrales* ſuſpenderunt? Profecto fateor difficile eſſe, ſpeciatim enumerare ſingulas, ſi quæ ſunt extra Inſtrumentum Pacti Aſchaffenburgenſis, ſententias decretorum Baſileenſium concorditer admiſſas: neque enim Meyerus, neque Sylvius determinate aliquas aſſignarunt, ſed vagis tantum verbis, & cum incertitudine de ſpecifico decreto loquuntur, *quod receptum eſſe videatur* *). Ex quo, ut largus ſim, colligere poſſis in ipſo Tractatu Aſchaffenburgico eamdem generalem fuiſſe regulam, ſupra §. 18 indicatam, jam antea a ſummis Pontificibus indultam, ſcilicet congruentiam cum moribus, & obſervantia Germanorum. Ita enim ſemper benevolam ſe Roma Germaniæ exhibuit, prout etiamnum ſe exhibet, ut violata licet a nobis ſæpius, ac ſolemniter fide, illa præcipue Weſtphalica in Pacificatione, & noviſſime Emſano in Balneo, tranquillam tamen permittat, foveat, & nutriat obſervantiam recepti moris, veterumque Privilegiorum, quibus Natio noſtra præ aliis etiamnum, jamque forſitan ultra merita gaudet, uti illud eſt liberarum Electionum, de quarum abuſibus tacere melius eſt, quam loqui, niſi proximi loqui cogat neceſſitas.

§. 28.

Ex Actis præliminaribus Aſchaffenburgenſis Inſtrumenti ſatis jam conſtat, Nicolaum V a confirmatione abſoluta decretorum ſub Alberto acceptorum adeo alienum fuiſſe, ut nonniſi *ſententias* ex quibusdam Baſileenſium decretis electas, illas videlicet, quæ in Inſtrumento nominantur, aut plures etiam, ſi largus ſim, Germanorum obſervantiæ conformes, & accommodas approbaverit. Ex aliis vero ab Eugenio IV abſolute pro futuro valore (intellige niſi aliter in Concilio fuerit ordinatum) indultis quod Nicolaus confirmavit, unum eſt præcipue hoc loco dignum obſervatu: illud ſcilicet Bullæ *inter cetera deſideria* indultum quod tractat de Dignitatibus, & Beneficiis eccleſiaſticis tempore Neutralitatis collatis, & cauſſis litigioſis circa easdem collationes vel jam exortis, vel adhuc orituris. Hoc ipſum

 indultum

*) Apolog. l. c.

Digitized by Google

indultum eſt, quod jam ante Aſchaffenburgenſem Concordiam æque hic Pontifex, ac Anteceſſor conceſſit, ac poſtea Kal. Febr. a. 1449, non, a. 1448, ut perperam quibusdam videtur, in favorem Epiſcopi Friſingenſis, nomine Joannis Grünwalder extendit: ex alia vero parte per eamdem ſanctionem, ut Rainaldus refert *): „Statuta, quæ Germanorum rogatu an-„tea ab Eugenio edita, corroborataque ab ipſo Nicolao fuerant, cum ex „plano uſu compertum eſſet plures inde exortas lites, ac jura poſſeſſorum „infringi, penitus convulſit.“ Hæc ſunt, quæ Nicolaus ſpecialiter *de cauſſis* relative ad Eugenianam conceſſionem pro futuro valore confirmavit.

§. 29.

His itaque ſat clare dilucidatis Clauſula Aſchaffenburgenſis, quæ alias obſcurior videri poſſet, jam difficultate carebit: „In aliis autem, quæ per felicis recordationis Dominum Eugenium P. IV pro Natione præfata usque „ad tempus futuri generalis Concilii permiſſa, conceſſa, indulta, atque de-„creta, & per memoratum ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Nicola-„um confirmata fuere, in quantum illa Concordiæ præſenti non obviant, „iſta vice nihil extitit immutatum.“ Plura hic ſunt, quæ obſervari merentur. 1*mo* Omnia generaliter rememorantur tam *conditionate*, quam *abſolute* ab Eugenio usque ad futurum Concilium permiſſa, & decreta: 2*do* inter hæc quibusdam tacite rejectis fit limitatio tantum ad ea, quæ & a Nicolao ſunt confirmata, & præſenti concordiæ non obviant: 3*tio* atque hæc ipſa non ſimpliciter *confirmata*, quaſi ſingula ſtabilem valorem habitura, ſed tantum præſenti pacto *nihil mutata* declarantur: 4*to* idque *pro hac vice* propter celebrandum paulo poſt Concilium, a quo alia videtur exſpectata fuiſſe ordinatio, forſitan ob prævíſas jam tunc difficultates, & lites ex ipſis Eugenii indultis orituras, prout teſtante Rainaldo eventus docuit. §. præc.

§. 30.

Perſpicax certe ingenium, ſi placet, romanum hanc formulam concepit, ut integra, & illibata ſanctæ Sedis jura ſervaret magna pertinacia tunc impugnata. Cum enim quædam Eugenius conditionate, niſi concordia per Legatum interceſſerit, quædam vero abſolute usque ad tempus futuri Concilii indulſerit, eadem Nicolaus eodem modo confirmaverit, ſequitur conditionate permiſſa cum ipſo permiſſionis termino ceſſaſſe, eoquod non mutata fuerint, ſed quod erant, permanſerint, hoc eſt, tantum pro tempore intermedio data: cujusmodi ſunt decreta Baſileenſium ſub Alberto acceptata.

*) Ad a. 1448 n. 3.

Digitized by Google

tata. Quæ autem abſolute ab Eugenio Germanis usque ad futurum Concilium conceſſa, e. g. de levamine certorum gravaminum extra Baſileenſium decreta, de reſtitutione duorum Archiepiſcoporum jam antea depoſitorum, de collationibus beneficiorum, earumque cauſſis litigioſis; eadem Germanis, ut pro futuro valerent, ſunt confirmata. Quamobrem illa decreta *a quibusdam* Moguntiæ olim acceptata vere non ſunt amplius, niſi hiſtorica antiquitas vel ipſo teſte Barthelio *): „Scilicet inter Nationi „noſtræ conceſſa, & adpromiſſa, quæ mox omnem ſuum effectum conſecu„ta ſunt, & hodie nullum amplius effectum juridicum habent, mereque ad „illuſtrationem hujus materiæ ſubſerviunt, eſſe decreta Baſileenſia per Al„bertum II Romanorum Regem in Germaniam introducta." Nihil eſt inanius, quam quod hodierni Publiciſtæ opponunt, a Barthelio nondum fuiſſe inſpectum acceptationis Albertinæ inſtrumentum, quippe poſtea primum ab Horixio detectum. Quid inde? An decreta Baſileenſia ab acceptatione Archiepiſcoporum, quam quidem & Barthelius non ignoravit; nonne potius a confirmatione Pontificum vim concordatorum obtinere debuiſſent? hanc pro ſtabili valore decretorum defuiſſe, Barthelius jam optime ex Actis ſibi notis perſpectum habebat.

§. 31.

Certum eſt a veritate illos aberrare, qui ex clauſula *in aliis autem* confirmationem decretorum Baſileenſium ſub Alberto receptorum evincere laborent: non enim alia ab Eugenio permiſſa firmiter permanere dicuntur, niſi ea tantum, quæ & Nicolaus confirmavit, & præſenti concordiæ non obviant, ubi manifeſte ad acta tractatus Aſchaffenburgici provocatur: atqui ut ex iisdem actis ipſi jam perſpeximus, numquam Nicolaus acceptationis Albertinæ decreta pro futura ſtabilitate confirmavit, ſed e contrario concordiæ Aſchaffenburgi initæ obviaret, ſi *generatim* decreta illa, eaque *integra* amplius valerent. Ex famoſa ergo clauſula *In aliis autem* decreta illa Baſileenſia nullatenus reviviſcere poſſunt. Quodſi etiam falſo licet, atque ad excuſſum largiter daremus; ad ſummum ſequeretur illa tam famoſa decreta *a quibusdam*, qui Albertinæ acceptationi adhæſerunt, *licite* in uſum deduci potuiſſe usque ad proxime futurum generale Concilium, *in quo aliter ordinaretur*, quod in Tridentino factum. Hinc ne hoc quidem Concordati titulo Archiepiſcopi noſtri jus ſibi *debitum* pro ſecunda appellationum inſtantia, aut Delegatis mere nationalibus ex Baſileenſi decreto Seſs. 31 poſſunt prætendere.

*) Tractat. hiſtor. Canon. pragmat. Cap. 1, §. 13.

§. 32.

Dato inſuper, non conceſſo difficilem adhuc, & obſcuram videri ipſam Concordati formulam; certe ſicut in communi jure erga æquales, ita etiam erga ſummum Sacerdotem optima transactionum regula deberet admitti inde ab initio tranquille ſemper perdurans conſervantia: atqui hæc plane ſanctæ Sedis adverſarios condemnat. Ab epocha enim Aſchaffenburgicæ pacificationis usque ad annos ultra viginti paucos, hoc eſt per tria, & amplius ſecula (quanto temporis intervallo!) utrique compaciſcentium parti ignota fuit illa decretorum Baſileenſium quaſi ex pacto obligatio. Conſuetudinem in regulis juris communis optime fundatam romanò Pontifici jus dicere nemo negaverit vel aequitatis naturalis inter aequales, aut etiam inter hoſtes amans. Conſuetudo autem dormitantia invaluerit? Anne Germania dormitavit Baſileenſibus ſectariis utique vigilantibus, & paulo poſt hæreſi excitata ſanctae Sedi infenſiſſima? Nonne gravamina gravaminibus patriae noſtrae haud glorioſis fuere cumulata, niſi ab Haereticis, certe a Mercenariis Archiepiſcoporum, inde a Majero Moguntino usque ad Emſanos balnearios? Mirum, quod inter 100 illa gravamina a. 1522, nec unicum ad decreta Baſileenſia provocaverit? Cur eccleſiaſtici tres Electores in ſua epiſtola ad Rom. Pontificem a. 1673 unice conqueruntur de non ſervato pacto Aſchaffenburgenſi, & quidem nec verbulo de appellationibus, ſed tantum de electionibus, de annatis, de collatione Beneficiorum, & indulto, ut putabant, ſibi debito? Cur ad hanc usque diem in nulla Capitulatione caeſarea mentio facta de conſervandis Imperii juribus per Baſileenſia decreta, ut nunc praetenditur, acquiſitis? Numquid in Conventibus electoralibus adverſus romanam Curiam vigilarunt Metropolitani Curialiſtae? Numquid haec, ſi ſupponatur dormitantia, in Majoribus noſtris ignorantiam prodit iſtorum jurium, quae nunc primum, at ſero nimis praetenduntur? Si ſoli Romani vigilarunt; *vigilantibus jura!*

§. 33.

Quod Baſileenſis Synodi decreta hinc inde in provincialibus Synodis, ut Moguntiæ a. 1451, & Wirzeburgi a. 1452 fuerint commemorata, iſtud ſupra excitati duo Scriptores, Papæ inimici, unus Proteſtanticus, & alter neotericis principiis ſupra modum imbutus, Spittlerus & Gregelius facile non magis, quam ſolide diſſolvunt: illis enim in Conventibus non agebatur de diſciplina hierarchica, ſeu relativa ad romani Pontificis jura, ſed ſolum de domeſtica ſui Cleri diſciplina, quam æque ex ſe ipſis, ac Baſileenſibus ex ſtatutis ordinare Præſules potuerunt. Et ſane neſcio, an vel iſthæc Baſileenſium decreta in dictis duabus Diœceſibus amplius valorem *practicum* habeant, Duumviri illi pariter in ſuis ſcriptis, quæ, vide §§.

10,

10, & 17, oſtenderunt, Mayeri Moguntiæ Cancellarii gravamen de a. 1457 eſſe impertinens, atque injuſtum. Quid, quod iidem poſitive ab exemplis demonſtrarunt, Majores noſtros per ſic dicta *Principum Concordata* ſolam intellexiſſe Aſchaffenburgicam pacificationem ne cogitando quidem de Baſileenſibus decretis? Unico adhuc, quod ad hominem vocant, argumento utar: Per ordinationem aulici Conſilii imperialis de a. 1559 jubentur *Concordata Nationis germanicæ* ſemper repoſita ſervari in Conſilii aulici tabula, ut eo facilius in dubiis caſibus inſpici poſſint. Quæro ex ipſis DD. Conſiliariis Viennæ imperialibus, an usque ad pauciſſimos abhinc annos præter ſolum Aſchaffenburgenſe inſtrumentum etiam Albertinam illam decretorum acceptationem in tabula repoſitam habuerint? Quam dabunt reſponſionem, hæc ſufficiat, ut vel ego ipſis, vel ipſi mihi victas dent manus.

§. 34.

Purum eſt igitur commentum, aut ad ſummum unilateralis prætenſio, nequidem conſenſu omnium Compartialium admiſſa, quod Germaniæ Concordata integra a. 1763 per Horixium fuerint inventa, partemque illorum præcipuam Baſileæ decreta conſtituant. Quod tamen, ſi ita eſſet non conceſſo, tantum permiſſo; ne ſtantibus quidem hisce decretis per Germanos acceptis, ſummus Pontifex quidquam perderet: non enim niſi vana ſunt hæc terriculamenta, ad formidinem infirmis animis incutiendam, & vagam aliquam authoritatem ſuis attentatis prætexendam. Verum enimvero Natio noſtra Theutonica teterrimam coram Deo, & hominibus maculam geſtaret, eoquod decreta conciliaria pro reformatione morum, & diſciplinæ facta, publicaque fide acceptata, nec non in fundamentalem Imperii legem transmutata non ſervaverit, ſed fere ad totius diſciplinæ morum, imo & Religionis ruinam omnia, præſertim ſalubriora extra obſervantiam poſuerit pauciſſimis exceptis, quæ non ad vitæ emendationem, non ad lapſæ Religionis ædificationem, ſed unice ad quorumdam ſuorum Præſulum amplificationem, atque adeo ab apoſtolica Petri Cathedra independentiam primum recentiſſimis hisce diebus in praxin numquam antea uſitatam vult deducere, neque id ex juris titulo ſatis probato, ſed tantum prætenſo. Attendite Germani! noſtræ Nationis intereſt, talium judicum, quales Curialiſtæ archiepiſcopales Emſano in Balneo ſpectandos ſe dederunt, tribunalia effugere. *Non venerunt, ut paſcant, ſed ut mactent, & perdant.*

§. 35.

§. 35.

His tranquille perpenſis neceſſario concludendum eſt, aliam firmiorem noſtrorum cum Nicolao V Concordatorum regulam de receptis decretorum Baſileenſium *ſententiis* ſtabiliri haud amplius poſſe, quam ipſam Germanorum anteriorem Aſchaffenburgenſi transactione, & poſteriorem obſervantiam. De illa hujus Articuli ſuperioribus §§. jam dixi, illamque publicis ex pactis demonſtravi: de hac talia mox proferam, quæ omne dubium tollant. Fortiora certe argumenta nemo requiret, quam ex ipſorum Adverſariorum geſtis, exemplis & teſtimoniis, publicisque documentis deſumta.

§. 36.

Ut nihil amplius de famoſis 100 gravaminibus a. 1523 dicam, *ubi tantum de cauſſis profanis*, quod Romam & quidem in prima inſtantia ad jus vocari ſoleant, querela movetur; in cauſſis ergo eccleſiaſticis romanum hoc judicium fuit *NB. tranquille* agnitum. A. 1563 Conſiliarii Electorum & Principum varia a Pio IV ſummo Pontifice reformanda petierunt, quorum primum erat, ut in profanis cauſſis nemo umquam, in eccleſiaſticis vero in tertia demum inſtantia ad Urbem pertrahi valeat. Itaque ſalvis Germaniæ Concordatis per ipſos Imperii Principes ſaltem certo cum moderamine ad romanum tribunal aditus patebat. Dignum autem memoratu eſt Pii IV reſponſum ad id, quod de tertia primum inſtantia petebatur ad excludendam Papæ, quam vocant *concurrentem* jurisdictionem. Apud Rainaldum ſic legitur *): „Ut nulli liceat prætermiſſo Ordinario coram De„legatis ab apoſtolica Sede judicibus in Germania ſuas cauſſas peragere; „cum nulla hoc Germaniæ expoſcat utilitas, & hujus Sedis authoritati de„roget plurimum, non putat ſua Sanctitas concedi debere: nam & in mag„num eſſet Germanorum, qui cauſſas, & negotia habent, præjudicium. — „Quodſi querantur Ordinarii ſuam per hoc jurisdictionem minui, cogitare „debebunt, non a decem, aut viginti, aut triginta annis introductum, ſed „a tempore, de cujus initio non eſt memoria, ita obſervatum, ut liceret „unicuique coram delegatis judicibus in Germania ſuas cauſſas peragere, „ſed etiam ad romanam Curiam ſuos Adverſarios libere evocare. Itaque „queri eos non poſſe ſibi ab apoſtolica Sede non concedi, quod nullo ipſis „jure debetur." Oſtendant, ſi qui poſſint, quid contra hæc ſummi Pontificis reſcripta Germani reſponderint!

*) Ad a. 1563, n. 44

§. 37.

Adhuc memorabilius eſt Trevirenſis Archiepiſcopi reſcriptum ad ſuum Officialem Trevirenſem, & Confluentinum de a. 1622, quod ex vernaculo idiomate, prout apud illuſt. Hontheimium legitur, ita in latinum transfero *): „Satis tibi notum eſt, *quamvis ex antiquiſſima obſervantia*, in „noſtris & vicinis Archi- & Diœceſibus ita uſitatum fuerit, ut ab Officialibus in cauſſis eccleſiaſticis, & prophanis indifferenter ad pontificiam „Sanctitatem, vel ejus Legatos appellaretur, & ab iisdem hujusmodi appellationes active, & paſſive usque ad finalem executionem incluſive tractarentur, & abſolverentur; nihilominus ad petitum unius alteriusve partis ab imperiali Camera ſimiles appellationes *NB. in rebus prophanis* — „caſſatas, annullatas, & annihilatas fuiſſe: — Propterea gratioſiſſime mandamus, ut in commiſſo tibi Officialatu — hoc mandatum publices, quatenus in futurum usque ad aliam ordinationem noſtram nullus in rebus „prophanis a te aliter, niſi ad Nos, ſive ad noſtrum electorale aulicum judicium appellare poſſit, & debeat." Ergo antiquiſſimam Germaniæ obſervantiam ad ſummum Pontificem, vel ejus Nuntium appellandi leges imperiales *ſaltem in cauſſis eccleſiaſticis* licitam reliquerunt, prout & Capitulatio cæſarea inde a temporibus Joſephi I usque ad hodiernum diem Art. 14, §. 5. teſtatur. Atque hoc ipſum jus ſanctæ Sedis neceſſario debet inviolatum conſervari, cum ſua cæſarea Majeſtas Articulo omnium primo ſeſe publico juramento obſtringat, ſanctæ romanæ Eccleſiæ, & apoſtolicæ Sedis jura conſervaturam.

§. 38.

Nunc ad tempora generalis Concilii Tridentini redeundum, quod ſuppoſito ſane fidei dogmate, divino ſcilicet apoſtolicæ Sedis jure appellationes ſuorum ſubditorum ſuſcipiendi, ad præcavendos aut emendandos appellationum abuſus ſapientiſſima decreta ſanxit, in ſpecie **): „Cauſſæ „omnes ad forum eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, etiamſi beneficiales ſint, in prima inſtantia coram Ordinariis locorum dumtaxat cognoſcantur, — nec antea aliis committantur, aut avocentur, neque appellationes ab eisdem interpoſitæ per Superiores quoscumque recipiantur, earumve commiſſio, aut inhibitio fiat, niſi a definitiva, vel definitivæ vim „habente, & cujus gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat. Ab his excipiantur cauſſæ, quæ juxta canonicas ſanctiones apud „Sedem

*) Hiſtor. Trevir. Diplom. Tom. 3, pag. 274.
**) Seſs. 24, Cap. 20.

„Sedem apoſtolicam ſunt tractandæ, vel quas ex urgenti, rationabilique „cauſſa judicaverit ſummus romanus Pontifex per ſpeciale reſcriptum ſignaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum committere, aut avocare. — Legati quoque etiam de Latere Nuntii, gubernatores eccleſiaſtici, aut alii quarumcumque facultatum vigore non ſolum Epiſcopos in prædictis cauſſis impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant, ſed nec etiam contra Clericos, aliasve „perſonas eccleſiaſticas, niſi Epiſcopo prius requiſito, eoque negligente procedant, alias eorum Proceſſus, Ordinationesve nullius momenti ſint, atque ad damni ſatisfactionem Partibus illati teneantur.“ Ecce quam provide ex una parte ad Epiſcoporum honorem & authoritatem apud ſubditos conſervandam ab ipſa jam Eccleſia abuſibus præcautum ſit, ex altera vero parte divina jura ſanctæ Sedis romanæ cuſtodita; atque facultates *ejus* Legatorum & reverenter agnoſcantur, & ſuis tamen limitibus ſapienter contineantur.

§. 39.

Porro Judicum in Partibus delegationes ſacra Synodus non quidem præcipit; attamen prout romani Pontifices ſemper ſe promtos & faciles circa easdem exhibuerunt, ita & de iisdem ad honorem Ordinariorum ne leviter quidem violandum ſtatuit *): „In ſingulis Conciliis provincialibus, aut „diœceſanis aliquot perſonas, quæ qualitates habeant juxta Conſtitutionem „Bonifacii VIII, quæ incipit: *Statutum*, & alioquin ad id aptas deſignari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam poſthac cauſſæ eccleſiaſticæ ac „ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes in Partibus delegandæ „committantur. Et ſi aliquem interim ex deſignatis mori contigerit, ſubſtituat Ordinarius loci cum conſilio Capituli alium in ejus locum uſque ad „futuram provincialem, aut diœceſanam Synodum, ita ut habeat quæque „diœceſis quatuor ſaltem, aut etiam plures probatas perſonas, ac ut ſupra „qualificatas, quibus hujusmodi cauſſæ a quolibet Legato vel Nuntio, atque „etiam a Sede apoſtolica committantur: alioquin poſt deſignationem factam, „quam ſtatim Epiſcopi ad ſummum romanum Pontificem transmittant, de „legationes quæcumque aliorum judicum aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur.“ His tam æquis nondum contentum eſſe, dicas, num ſit pacificum eſſe aut æquum? Animadvertendum eſt autem hoc loco, ab univerſali ſacroſancta Synodo Nuntiorum apoſtolicorum jurisdictionem in Partibus non excludi, ſed expreſſe aſſeri, atque appellationes ad eosdem admitti, a quibus cauſſæ, ſi ita viſum fuerit, ſubdelegatis a ſe judicibus committantur.

§. 40.

*) Seſſ. 25, Cap. 10.

§. 40.

Ea, quæ hoc Articulo publicis ex documentis demonſtravimus, ſufficient ad rite cognoſcendum Jus appellationum recentius, idque Germaniæ noſtræ adcommodatum. Vidimus, quam ſolliciti ad reformandos abuſus romani Pontifices vel proprio motu, vel ad preces inferiorum judicum fuerint; ipſum vero jus ad ſupremam Petri Cathedram, dummodo cum moderamine, appellandi quam conſtanter ab Imperatoribus & Principibus, a Synodis non ſolum Tridentina, ſed & Conſtantienſi, imo ipſa adeo Baſileenſi fuerit agnitum, atque obſervantia communi ad hodiernum uſque diem cuſtoditum. Sed & purum eſſe commentum, vanumque terriculamentum vidimus, quod hodierni Publiciſtæ magno numero contra extantium documentorum fidem, contra totius Germaniæ pluribus ſeculis tranquille continuatam praxin, niſi etiam contra Cæſareas Capitulationes de Baſileenſium decretorum ſub Rege Alberto acceptatione, tamquam Concordatorum Nationis noſtræ fundamento, aut lege Imperii fundamentali prætendunt, & inceſſanter veluti ſufflatas bullas aëra jactitant.

ARTICULUS VI.

De ſano & utili appellationum uſu

§. 1.

Hisce tanta ſapientia & moderatione jam ordinatis, prout modo a nobis oſtenſum eſt, quis non putet ſuperfluam eſſe de ſano & utili appellationum uſu tractationem? Neque enim juribus jam optime diſpoſitis aliud quid præter eorumdem jurium executionem faciendum ſupereſt. Hinc autem illæ lacrimæ! Provincialium & diœceſanarum ex utroque Clero tam ſeculari, quam regulari Synodorum ad diſciplinam inſtaurandam optima remedia fere ubique in Germania vel neglecta, vel certe prætermiſſa ſunt: hinc neque judices in Partibus deſignati, & inde nova (tantum non in authores culpæ) materia gravaminum. Quantum romani Pontifices rectam juſtitiæ adminiſtrationem, & litigantium indemnitatem cordi habuerint, præ ceteris oſtendit immortalis memoriæ Papa Benedictus XIV epiſtola enclyclica, poſt ſupremum Eccleſiæ clavum in ſe ſuſceptum anno 1741 ad omnes Archi- & Epiſcopos data, qua ſuas illis graves curas de judicum delegandorum vel ignorantia, vel malitia manifeſtat. Cumque facile hujus corruptelæ radicem detegeret, eoquod præſcripta canonicis ſanctionibus judicum ſynodalium deſignatio univerſim eſſet neglecta; pro injuncta ſibi omnium Eccleſiarum ſollicitudine Epiſcopos hortabatur, & obteſtabatur, ut ſublatis quibusvis impedimentis Concilia provincialia & ſynodalia,

nodalia, ſicubi omiſſa ſunt, quamprimum haberi curarent. Largiorem adhuc in concedendo Ordinariis privilegio, ultra quam per Canones deberet, hic Pontifex ſe præſtitit, Epiſcopis permittens, ut usque ad ſynodalem judicum denominationem interim cum ſuo Capitulo quosdam eligerent a Papa deſignandos: illorumque nomina Romam mitterent & quidem pro Diœceſium amplitudine plures etiam, quam quatuor, modo viros juris peritia ſat bene inſtructos.

§. 2.

Idem Pontifex anno ſequente aliam edidit Conſtitutionem *Ad militantis Eccleſiæ* in eum finem, prout ipſe loquitur: „Ut graves nimium diu„turnæ, nulloque umquam tempore intermiſſæ Epiſcoporum, aliorumque „ordinariam jurisdictionem habentium querelæ adverſus majora tribunalia, „atque illa etiam noſtræ romanæ Curiæ propoſitæ tandem compeſcantur. — „E contrario nobis quoque, dum etiam in moribus eſſemus, ſuperiorum „judicum reſponſiones audire contigit aſſerentium, memoratas querelas in„anes eſſe, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re cauſſam „& originem habentes, quod inferioribus grave eſt obedientiæ ac ſubjectio„nis jugum erga majora tribunalia, ipſisque nimis diſplicet, ſibi ſubditis „appellationis beneficio ſuccurri.“

§. 3.

Facile cognovit ſapiens Pontifex hæc diſſidia componi, & ſuccreſcentia litium ſemina evelli poſſe, ſi, quæ a ſacra Tridentina Synodo, ab apoſtolicæ Sedis conſtitutionibus, & Congregationum ſacrarum decretis provide ſancita ſunt, debitæ executioni mandarentur. Quapropter ad conſervandam Eccleſiæ diſciplinam, reſtituendamque tribunalibus formam canonicis legibus conſentaneam quadraginta quatuor decreta fecit, quæ dicas ſummo ſtudio pro caſibus poſſibilibus excogitata, ut nihil videatur oblitus, quod ad amplificandam Ordinariorum poteſtatem ſecundum jus & æquum faceret, arctosque admodum Curialiſtis romanis limites conſtituit, quibus illi hodiedum manent conſtricti, plurimumque jam emendati, adeo ut attendi non vellet Pontifex, quidquid a Curia illegitime emanaret. Quid jam reciproce a Germania exſpectes ſincere Lector! Res noſtræ nihil hac vel illa Pontificis conſtitutione emendatæ, gravamina vero ad hodiernum uſque diem reduplicata. Ita dixeris Germanos *) a multo tempore diſciplinæ vulnera ferire, ac poſtea in lamenta erumpere, id quod jam in proverbium vernaculum abiit: Sie ſchlagen, und klagen.

§. 4.

*) Si Germanos dico, non omnes intelligas, ſed aliquos *Repræſentantes*: nondum enim pro explorando conſenſu tota Natio in unum fuit congregata.

Digitized by Google

§. 4.

Rebus ſic ſtantibus quis Germaniæ ſubditis crimini vertat, ſi in cauſis ſuis litigioſis principia juris naturalis, divini, & communis eccleſiaſtici, nec non & obſervantiam immemorialem ſuæ Nationis ſequantur, atque a judice ordinario immediate ad ſupremum Eccleſiæ Capitis tribunal, vel ejus Legatum in Partibus confugiant, tum ut via breviore & tutiore incedant, tum etiam ut ſumtibus parcant mediam Archiepiſcoporum inſtantiam prætereuntes, eamque romana non viliori pretio ſua ſervitia exhibituram? Si grave Germanis eſt papalium Curialiſtarum dominium, remotius eſt tamen; ſed illud archiepiſcopalium Curialiſtarum dominium quo proprius nobis, eo formidabilius, ne imponatur nobis gravius onus, & prout ab exemplis probat ſapientiſſimus quidam Germaniæ Epiſcopus, *intolerabile*. Exempla terrent.

§. 5.

Jus naturale dixi non prohibere ab inferiore tribunali appellationem ad ſupremum omiſſo intermedio. Quid eſt enim appellatio, niſi ab eo, qui preſſum ſe ſentit, provocatio judicis ad ſuum Superiorem? Quod ſi ille duos, tresve ſuperiores habeat, quodnam eſt illud naturæ jus, quod ſupremum mox adire judicem vetet, niſi prius adeantur omnes medii? Quid enim, ſi judex ille primus, qui meus eſt oppreſſor, ſupra ſe plures adhuc ſibi invicem ſubordinatos judices haberet; anne miſer ego, & preſſus ad ipſum, in cujus juſtitia confido, Principem nonniſi per quatuor, aut quinque, pluresve aſcendere inſtantias, ſicque miſeriam cumulare miſeris debebo? Nonne natura miſeris hoc facilitavit refugium? Nonne ſubditus natura duce immediate ad Principem poteſt pervenire, ſuam illi querelam deferens? Nonne Princeps aut per ſe ipſum, aut per quem velit Commiſſarium hanc poteſt diſcutere cauſſam? Natura ergo appellationum tantum exigit ad ſuperius tribunal provocationem, neutiquam vero per omnia intermedia tribunalia, hominum arbitrio conſtituta, usque demum ad ſupremum judicem aſcenſionem.

§. 6.

Divino jure præpoſitos ſibi habet chriſtianus homo tum locales ſuos Paſtores, tum vero Supremum ovium, & Paſtorum omnium Paſtorem, S. Petri Vicarium. Huic quidquid ſolvendi, aut ligandi in Eccleſia claves ſunt immediate a Chriſto datæ: poteſt is ergo quemlibet ſuorum ſubditorum per ſe ſolvere, aut ligare: hujus ergo implorans judicium, quid facit, niſi quod inſtitutionem a Deo profectam ſequatur? Noſtra tempora, quod

non mirum, Doctores tulerunt, qui de divina, neſcio qua, Archiepiſcoporum origine ſcripſerunt, quod ignorantia in rebus divinis, an majorem commiſerationem, an falſiloquentia majorem mereatur indignationem, ſub judice lis eſto! Archiepiſcopales Curialiſtæ, qui ſummi Pontificis Primatum, etſi divinitus inſtitutum, ab aliquot abhinc annis tam inermem facere, nec non & deſpectibilem conati ſunt, haud ægre ferant, ſi ipſorum principia amplectentes, Epiſcoporum omnium (excepto uno Capite) diſcrimen cupiamus ſublatum, & minus neceſſariam noſtro ævo judicemus Archiepiſcoporum humano arbitrio, & quidem maxime pontificio, inſtitutam jurisdictionem, præcipue cum exemtæ Diœceſes non minus feliciter ſubſiſtant, quam Archiepiſcopis ſubjectæ, aut forſitan illæ minus, quam iſtæ gravaminum cauſſas habeant.

§. 7.

Appellare per medias inſtantias res eſt antiquiſſimis, primisque Chriſtianis adeo non conveniens, ut ad lites inter ſe celerrime, viaque breviſſima finiendas ne ordinarios quidem ſuos judices laicos in cauſſis prophanis adirent, ſed illos (certe ſine piaculo) declinarent, cauſſas, ſi quas haberent, ad Paſtores ſuos deferentes. Jus vero eccleſiaſticum commune, omiſſo inferiore judice, ad Papam, tamquam ſupremum judicem viam appellationum vult ſemper eſſe debere apertam. De appellat Cap. 7: *Si duobus.* Hic commune jus ſequitur illud naturæ, quod preſſo ſubdito viam ad ipſum Principem vult ſemper patere. Enimvero, quod ipſi Curialiſtæ archiepiſcopales jam animadverterunt, a Spiritu bonæ Matris Eccleſiæ videtur alienum, per tres, quatuorve etiam inſtantias ſuorum ſubditorum cauſſas pro conſequenda adeo difficulter juſtitia trahere cum magno temporis, & pecuniarum diſpendio.

§. 8.

Ea demum juribus conformis, & immemoriali ab ævo obſervata Nationis noſtræ praxis eſt, & conſuetudo, ab ordinario judice aut ad ipſam romanam ſummi Pontificis Sedem immediate confugere, aut quod Nationi noſtræ multo compendioſius eſt utiliusque, ad pontificiam in Partibus Delegationem, quam Nuntiaturam vocamus. Huic ex tranquilla obſervantia appellationes in ſecunda inſtantia *licite*, non tamen *neceſſario* apud nos deferri res manifeſta eſt, ſi recentiſſimam archiepiſcopalium Curialiſtarum litem excipias. Idem inſignis inter noſtros juris eccleſiaſtici Doctor Anton. Schmidt teſtatur *): „Hi (Nuntii) non exercent, niſi quaſdam facul„tates

*) Inſtit. jur. eccleſ. german. Tom. 1, p. 114.

„tates Concordatis noſtris non contrarias. *NB.* Jus ſecundæ inſtantiæ ipſis „relictum, ita, ut in Germania vel ad eos, vel ad Archiepiſcopos appellari „queat.“ Hanc obſervantiam Concordatis eſſe contrariam propter Baſileenſium decretorum acceptationem, noſtri temporis figmentum eſt, ut Art. præc. demonſtravimus.

§. 9.

Quamobrem neceſſario hanc fluere conſequentiam manifeſtum eſt, ſi Archiepiſcopi jus novum, quod nondum ipſis competit, acquirere velint, cum de ſpontanea ceſſione hic agitur & ſupremi Judicis, qui a legitimo ſui juris exercitio vel per ſe, vel per ſuum Delegatum immediate *in appellatorio* a prima inſtantia judicandi promittat abſtinere; & ſubditorum Germaniæ, qui jure ſuo ſe abdicent ad ſupremum Paſtorem prius confugiendi, quam Archiepiſcoporum judicia experti fuerint; ad id conſequendum alia non ſupereſt via præter pacificam cum utraque parte, quæ ſua legitima poſſeſſione cedat, compoſitionem. Res ea certe ad Imperii Diætam non pertinet, ceu ad tribunal pro ferenda judicii ſententia; attamen illuc videtur poſſe deferri, tamquam ad Conſilium pro deliberatione inſtituenda, num ipſis Imperii Partibus id expedire videatur: quod ſi ita; quomodo cum ſua apoſtolica Sanctitate pacifico modo ſit transigendum. Capitul. Cæſar. Art. 14, §. 5.

§. 10.

Ex his tranquillus Lector jam concludat, quid ergo de Articulo 22 Emſani in Balneo conventus ſit judicandum. Imprimis generaliter *absque ulla diſtinctione* omnes cauſſæ in Imperio ad jus eccleſiaſticum pertinentes primæ, vel concurrenti cognitioni ſummi Pontificis eriperentur, quod neque Conſtantienſis, neque ipſa Baſileenſis Synodus fecit, ſed utraque *cauſſas majores* in jure expreſſo enumeratas, aut quæ *de ſua natura* apud Pontificem tractandæ ſunt, admiſit, ſuisque a decretis excepit. Si ergo Conſtantienſis, & Baſileenſis Synodi decreta, ut volunt archiepiſcopales Curialiſtæ fundamentum noſtrorum cum Papa Concordatorum ſint, atque etiam fundamentalem Imperii legem conſtituant; ſequitur hunc ipſum Articulum Emſanæ Punctationis adverſus publicam fidem germanicæ Nationis eſſe fœdifragum, & legem Imperii fundamentalem evertere.

§. 11.

§. 11.

Ad *a*. Cauſſæ minores in prima cognitione ita hactenus ab Epiſcopis jam ſunt pertractatæ, ut neque Pontifex, neque Nuntii apoſtolici eorum jus umquam violare tentaverint, prout Reverendiſſimus Spirenſis Epiſcopus teſtatur in ſua Reſponſione ad Archiepiſcopum Moguntinum a. 1787.

§. 12.

Ad *b*. Nuntiis via facti & invitis, iisque primi ordinis Principibus eccleſiaſtica jurisdictio *totaliter* auffertur, adeoque & jus in tertia inſtantia, vel in ſecunda exemtos judicandi. Atqui hoc ipſum denuo Baſileenſia decreta Seſſ. 31 infringit, quæ apoſtolicos Legatos non excludunt, ſed illis intactam relinquunt ſuam jurisdictionem, *NB*. qui vel conſuetudine *præſcripta*, vel ſolum ex Privilegio jus cognoſcendi habent, *dummodo non* omiſſo medio appellationes, aut advocationes fiant.

§. 13.

Ad *c*. Præſcribitur pro Curialiſtis archi- & epiſcopalibus novus ordo judicalis, qui canonicis ſtatutis, & uſitatæ in Imperio praxi ſit conformis. Atqui ſi ad Principia Emſanæ Punctationis novus judicialis ordo ſit reformandus, eumdem cum canonicis ſtatutis, & Germaniæ obſervantia e diametro pugnare jam demonſtratum eſt tota hac ipſa præſente Diſſertatione.

§. 14.

Ad *d*. Falſum eſt teneri romanum Pontificem vi Concilii Baſileenſis, aut Tridentini ad judices *nationales* in Partibus delegandos. Niſi executio Tridentini Canonis de judicibus in Synodo provinciali, vel diœceſana denominandis inter pia deſideria referri debeat; eadem ab exemplo Archiepiſcoporum exſpectanda eſt.

§. 15.

Ad *e*. Quod demum caput rei eſt, ut omnis via recurſus, etiam indirecti ad ſummum Pontificem Germaniæ ſubditis præſcindatur, projectatum fuit pro tertia inſtantia provinciale perpetuum *quaſi ſynodale* judicium. Huic graviſſimo puncto momenta jam graviſſima oppoſuit laudatus Spirenſis Epiſcopus: ubi ille deſiit, ego incipiam. 1*mo*. Cum idem hoc punctum in decretis Baſileenſibus, atque adeo *ex hypotheſi* in Concordatis Germaniæ jam contineatur; ſalva Nationis publica fide ſine conſenſu alterius partis compaciſcentis hæc Pontificis excluſio fieri nequit.

§. 16.

2do. Ea eſt ipſa appellationis natura, ut ad novum, ac ſuperius quidem tribunal cauſſa ſubditi a priore judice preſſi transferatur: cum ergo prima, & ſecunda inſtantiæ ſint archi- vel epiſcopalia judicia; neceſſe eſt, ut tertia inſtantia non amplius ex iisdem judiciis componantur: atqui Epiſcoporum & Archiepiſcoporum Curialiſtæ, illorum ex manu ſtipendia accipientes non aliud a prioribus, ſuperiusque judicium formare poſſent, minus pontificium; ſiquidem a Pontificis authoritate in judicando non dependerent, niſi forſitan aſſumto pontificiæ delegationis inani titulo.

§. 17.

3tio Maximum autem eſt, idque merito Spirenſi Epiſcopo nec *expediens*, nec *poſſibile* viſum, quod ovibus chriſtianis janua ad ſuum Paſtorem a Chriſto datum hoc Emſano Puncto penitus occluderetur, adeoque niſi jam facta eſſet, fieri ſaltem proxime poſſet ovium a ſuo Paſtore ſeparatio, id quod Catholici *Schiſma* vocant. Jus appellationum ad ſummum Pontificem, quod catholicæ fidei dogma eſt, idque practicum, & ab omni retro antiquitate exercitum, divinum hoc jus, niſi verbis expreſſe negaretur, factis certe annihilaretur, ſicque catholica fides nobis Germanis perditum iret.

§. 18.

Non ſic crediderunt Patres noſtri, ſed unius omnium Paſtoris oves januam ſuo Paſtori ad ovile ſemper apertam voluere. In hoc appellationis communi miſeris refugio illi dignitatem Eccleſiæ Romanæ conſiſtere crediderunt: in eo ſitam eſſe pretioſiſſimam gemmam, quæ in pontificia thiara radiet, S. Bernardus affirmat ad Innocentium II ſcribens *): „Hoc inter „cetera Veſtri ſingularis Primatus inſignia ſpecialius nobiliusque nobilitat „Veſtrum, & inclytum reddit Apoſtolatum, ſi eripitis pauperem de manu „fortiorum ejus, Nulla meo judicio in corona Veſtra pretioſior gemma „Zelo illo Veſtro, quo æmulari conſueviſtis oppreſſos, nec reliquiſtis vir- „gam peccatorum ſuper ſortem juſtorum.“

APPEN.

*) Epiſt. 198.

APPENDIX.

De recentiore cauſſa Spirenſis cathedralis Capituli cum ſuo Decano.

§. 1.

Nihil eſt illuſtrius ad noviſſima Imperii noſtri ſenſa de pontificia in rebus eccleſiaſticis jurisdictione agnoſcenda, quam celeberrima noſtris primum diebus excitata inter cathedrale Capitulum ſpirenſe, & ſuum tunc Decanum, nunc Epiſcopum, illuſtriſſimum Comitem de Styrum controverſia: hinc non potui non hanc hiſtoriam præſenti de appellationibus quæſtioni tamquam appendicem ex documentis plane decretoriis adjungere, *quæ* in libello continentur, ſolidiſſime ſcripto, & in vernaculum ſermonem translato *).

§. 2.

Graviſſimæ inter Capitulum, & Decanum diſcordiæ 1760 adeo eruperant, ut illud hunc ab officio ſuo removendum concluderet. Utraque pars ad Moguntini Archiepiſcopi tribunal provocat, cujus judicium ante omnia ſpoliatum Decanum in priſtinum ſtatum reſtitui jubet. A mandato hoc, tamquam irreparabili gravamine Romam appellat Capitulum, impetratque citationem, & inhibitionem. Curia Metropolitica nec appellationi, nec inhibitioni locum eſſe contendit. Epiſcopus vero ſpirenſis, & Cardinalis de Hutten unacum cathedrali Capitulo Romæ apud pontificium Auditorem petunt, ut hæc tota cauſſa nequidem in tramite juris diſceptari *permitteretur*, ſed ad Congregationem Tridentini Interpretum eapropter ablegaretur, quia inter gravamina quædam eſſent, quæ illuc pertinerent. Papa precibus Cardinalis Epiſcopi, & Capituli conſenſit, ac prædictæ Congregationi diſquiſitionem permiſit: Moguntinus vero Elector id indigne ferens totis viribus reniſus eſt, præcipue Palatini Electoris ope ſuffultus. Res itaque ad ſecularia etiam tribunalia devenit, & ad ea quidem duo, quæ in Imperio ſumma ſunt, quorum unum, id eſt, *Aulicum* pro Decano ſtetit, contra alterum, hoc eſt, *Camerale*: præterquam quod duæ inſuper Aulæ, Imperatoris, atque Galliæ Regis Epiſcopum cum Capitulo protegerent. Unde manifeſte falſum eſt, quod Anonymus quidam *) ſcribit, hanc

*) Frage, iſt die Gerichtsbarkeit der päbſtlichen Nuntien in Deutſchland den Reichsgeſetzen, und der Reichsverfaſſung zuwider? 1787.

hanc appellationem a *tota* Natione germanica tamquam ſuis juribus contrariam fuiſſe agnitam.

§. 3.

Peropportune accidit, ut hujus litis occaſione quidam Curialiſta, famoſi licet nominis, male tamen jam antea in Eccleſia notati, ex Moguntino Archivo inſtrumentum acceptationis Decretorum Baſileenſium de anno 1439 extraheret: mox reliqui tantum non omnes Curialiſtæ archiepiſcopales vetus illud Principum *inter ſe* Concordatum avide apprehendebant, & veluti ad vitam reſuſcitare conabantur, prætendentes illud eſſe fundamentum Germaniæ Concordatorum *cum Papa* initorum, quod commentum jam ſatis a nobis confutatum eſt. Inſtante tunc Romanorum Regis, Joſephi II coronatione putabant Moguntini, hujus ſuæ tam optatæ inventionis optimum uſum ſe facere poſſe. Quamobrem a. 1764 Capitulationis Cæſareæ Articulo 14 novam addi volebant pontificiæ jurisdictionis in Germania reſtrictionem, quæ duabus præcipuis conſtaret punctis: *1mo* ut nullæ eccleſiaſticorum cauſſæ, maxime quæ ad poſſeſſorium momentaneum ſpectant, ante finalem deciſionem deferri Romam, vel ad Nuntiaturam poſſent: *2do* ut omnes cauſſæ eccleſiaſticæ (tantum quibusdam ex antiqua obſervantia exceptis) etiam in Appellatorio intra Archiepiſcopatum per Commiſſarios natione Germanos, a Pontifice denominandos terminari deberent. Hinc illud *Monitum* Electoris Palatini, de quo Francofordii in Comitiis electoralibus deliberatum.

§. 4.

Res ſecus cecidit, ac ſperabatur. Legati enim Principum licet Laicorum, atque etiam Acatholicorum non ſatis fundata agnovere ea, quæ contra apoſtolicam Sedem movebantur, gravamina. Et quamvis concederetur, ſcripta quadam ſupplicatione *NB. generalibus* tantum verbis concipienda Imperatorem eſſe rogandum, ut contra romanæ Curiæ preſſiones in cauſſis eccleſiaſticis ad Suæ cæſareæ Majeſtatis altiſſimum thronum confugere liceret; ne in id quidem Bavarica Legatio pro ſingulari ſemper Patriae noſtrae erga ſanctam Sedem devotione conſenſit.

§. 5.

Itaque contra Moguntinorum conatus in Collegio electorali concluſum, ſine ulla mutatione retineri debere caeſareae Capitulationis Articulum 14, qui tantum cauſſas profanas a tribunali Nuntiorum papalium arcet, & expreſſe

*) Hiſtoriſch = kanoniſche Abhandlung von den Legaten, und Nuntien der Päbſte.

Digitized by Google

preſſe ordinat: „Cauſſas eccleſiaſticas legitime a ſecularibus diſtinguendas, „atque in dubiis caſibus cum ſancta Sede amicabili modo tractandum eſſe, „ut cuilibet judicio, tam eccleſiaſtico, quam civili ſuum integrum jus, & „jurisdictio ſervetur.“ Quidquid ergo juris ex Germaniae publica, & antiqua praxi circa appellationes in ſecunda inſtantia romanus Pontifex habuit, id certe per Capitulationem Joſephi II firmatum retinuit.

§. 6.

Supplicatio autem ad Imperatorem haud omnino fideliter, & votis conformiter a Curialiſta Moguntino concepta fuit: nam ille partim gravamina, ut actu exiſtentia, imo in dies accreſcentia depinxit, partim *ſpeciale* gravamen de Nuntiorum tribunali, tamquam re inſolita, propoſuit; quod utrumque adeo ex votis Electorum non colligebatur, ut iisdem etiam repugnaret. Quapropter apoſtolicus Nuntius ad Cæſaris electionem miſſus jure contradixit: noſtra autem Bavarica Natio vel *generales* illas Moguntinorum querelas neque umquam ut æquas agnovit, neque modo agnoſcit.

§. 7.

Ea quidem Joſephi II Capitulatio fuit; quinam vero Spirenſis cauſſæ exitus? multo adhuc romano Pontifici glorioſior. Francofurti in Comitiis præſens Nuntius apoſtolicus, Archiepiſcopus Ravennatenſis nomine Nicolaus Oddius Electoris Palatini animum, quem æquitatis amantiſſimum noverat, cum ſancta Sede reconciliaturus Manhemium profectus eſt, & felici quidem ſucceſſu: rem enim ita compoſuit, ut Pontifex Clemens XIII Spirenſem cauſſam ad ſe ipſum avocaret, factaque nova diſquiſitione ordinario Archiepiſcopi judicio remitteret, modo Decanus interim, quippe ſpoliatus, in priſtinum ſtatum reſtitueretur: hac æquiſſima conditione Palatinus Elector bona Capituli *ſequeſtrata* mox reſtituere ſe velle promiſit, nec amplius Decano patrocinari, ſed potius curare, ut Proceſſus ille Romam, ceu ad ſuperiorem inſtantiam legitima appellationis via rediret, Suæque Sanctitatis judicio Decanus ſe ſubmittere deberet. Quin etiam Sereniſſimus Princeps addidit, Authoritate ſua ſe interceſſurum, ut Collegii electoralis epiſtola ad Imperatorem nullum ſanctæ Sedi præjudicium crearet. Hæc non ſolum Nuntio Manhemii, ſed & datis Romam litteris de 12 Maji a. 1764 ipſi Pontifici Elector promiſit.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8.

Re cum Palatino Electore tam feliciter confecta Nuntius apoſtolicus ſpe optima plenus ad Archiepiſcopum, & Electorem Moguntinum reverſus eſt, easdem illi conditiones propoſiturus, quem etiam difficilem non amplius invenit, quippe jam expertum, iterato licet in Comitiis tentata conſultatione, Imperium tamen ad ſua vota trahi non poſſe. Quare is ſubmiſſiſſimas ad Pontificem litteras dedit infra a nobis ſingulariter ponderandas.

§. 9.

Majoris difficultatis negotium videbatur, Cardinali Epiſcopo Spirenſi mitiora Conſilia perſuadere, exiſtimandi ſua geſta Concilii Tridentini decretis firmiſſime fundari, atque a Metropolitano ſua epiſcopalia jura infringi, donec tandem & ipſe cederet, perhumanis litteris ad ſe a Moguntino Archiepiſcopo ſcriptis, quibus ille Cardinali ſe purgat, ſicut proprio ore Regis chriſtianiſſimi Legato ſe purgaſſe profitetur *a malignorum obtrectationibus*, hunc ſcilicet in modum: „Se non prætendiſſe nova principia ſtabilire, & „appellationes a decretis interlocutoriis ſuæ Curiæ, vim definitivæ ha„bentibus, & quorum gravamen per appellationem a definitiva reparari ne„queat, tales appellationes ad Curiam romanam ſe non velle impedire, & „eliminare ſed ſancte potius inſiſtere ſanctionibus ſacrorum Canonum, & „præcipue ſacri Concilii Tridentini, ut qui caſus appellationum ab Epiſ„copo ad Metropolitanum juxta ſacrorum Canonum normam admittuntur, „iidem etiam admitti debeant in Curia ſua Moguntina, quoties ab ea ap„pellari ad ſummum Pontificem contigerit.“ Addidit quoque idem Elector, quæcumque *ab aliis* (quaſi non a ſe ipſo) in Comitiis electoralibus monita, aut ſcripto typis impreſſo propoſita fuerint ad Articulum 14 Capitulationis, hæ ſua non facere, ſed omnia ea tolli ſe exiſtimare, ſi tantum huic præciſe cauſſæ opportunum a ſummo Pontifice remedium adhiberetur. Hinc demum conqueſtiones Collegii electoralis ad Sac. Cæſ. Majeſtatem ſcriptas præter hujus *unice* cauſſæ proceſſum ſine ullo effectu remanſuras pro ſua Parte declaravit, nec ſibi umquam, in mentem veniſſe teſtatus eſt, præſentem diſciplinæ, ſeu politiæ ſtatum hucusque retentum in Imperio quoad provocationes, & appellationes ad ſanctam Sedem (*NB.* jam in ſecunda inſtantia conſuetas) ne hilum quidem immutare. Ita Moguntinus Elector ſparſas adverſus ſe, quas vocat *calumnias*, diluit ex toto corde apoſtolicam Sedem ſe venerari aſſerens, ejusque conſervandis juribus in Imperio germanico totis viribus nullo non tempore inſtiturum. Si velis hanc aulicam officii ſpeciem vocare; hujusmodi ſpecies politiæ ſaltem non Romanorum, ſed Germanorum aulæ adſcribas.

Digitized by Google

§. 10.

Pontifex igitur Clemens XIII cauſſa hac ad ſe ipſum avocata utriusque Partis jura novo ſubjecit examini non jam invitis, ſed in Suæ Sanctitatis juſtitia omnem fiduciam ponentibus duobus Electoribus, Moguntino & Palatino, uti ex amborum Romam miſſis epiſtolis, jamque typo impreſſis conſtat. In ſpecie Palatinus Elector, quod antea Moguntinus fecerat, pariter Pontifici declarat, quæcumque in Nomine Suo ad Artic. 14 Capitulationis in Comitiis propoſita, aut in litteris Collegii electoralis ad cæſaream Majeſtatem contenta ſunt, ea omnia ſublato *unice* hoc gravamine ex Parte Sua ſine effectu eſſe remanſura. Sereniſſimus inſuper Sanctiſſimo Patri ſpondet, Sua in Imperio Authoritate ſe allaboraturum: „Ne quid „præjudicii ſanctæ Sedi ex Comitiis & litteris electoralibus enaſcatur, *NB.* „*NB.* neve jura, quæ hactenus in Imperio retinuit, ullo modo imminuan„tur, aut ab eo, in quo fuerunt hactenus ſtatu, exturbentur, ſed ſi reſti„tuto ante omnia Decano de Styrum ejus cauſſa coram Metropolitano in „prima inſtantia fuerit deciſa, appellatus in ſecunda, & ultima tribunali„um in Curia romana competenti judicio ſe ſiſtat, ac plene ſatisfaciat.“ Elector Sereniſſimus hodiedum verbo ſtat.

§. 11.

Tandem menſe Septembri ejusdem anni optata valde ſummi Pontificis ſententia prodiit, qua ſuſpenſio Decani *præter juris ordinem*, & damnum per interlocutoriam archiepiſcopalis Curiæ *haud irreparabile* declarabatur; quapropter & acta totius cauſſæ Moguntiam pro prima inſtantia remittebantur, ita ut ſi poſt anni lapſum ſententia deciſoria non fuiſſet ſecuta, Capitulo, vel Decano liberum eſſet viam juſtitiæ ſecundum ordinem romanorum tribunalium perſequi. Unde manifeſtum fit, ex hac cauſſa, utut inique diffamata, adeo Nationi noſtræ novum gravamen non accreviſſe, ut potius novo, & arctiori amicitiæ vinculo Sereniſſimus Princeps Palatinus pro ſuo innato æquitatis ſtudio ſanctæ Sedi adſtrictus fuerit. Roma enim hanc licet intricatam cauſſam non ipſa ad ſe trahere quæſivit, ſed tantum acceptavit a Germaniæ Epiſcopo, & cathedrali Capitulo ad ſe delatam, comprobante hanc appellationem duplici Aula, & imperatoria Viennæ, & regia Pariſiis; ſed & Roma rei æquitate inſpecta Germaniæ ſua jura per cauſſæ remiſſionem integra ſervavit. Filii hominum! ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

§. 12.

Digitized by Google

§. 12.

Pro coronide merentur adhuc ſingularem plane in præſenti controverſia reflexionem duæ Archiepiſcopi Moguntini ad Pontificem Romanum epiſtolæ, quarum tenorem etſi longiorem, quia tamen ſumme momentoſum ex libello in fronte hujus appendicis laudato hic tranſcribendum duxi.

Ex litteris de 26 Julii anno 1764.

„Quo tempore in cauſſa Capituli cathedralis Spirenſis contra ejusdem „Decanum Comitem a Limburg Styrum novæ turbæ, ac tædia oribantur, „ob iteratos ab una, alteraque parte ad laicos judices recurſus, & nova „horum judicum decreta, ipſarum etiam partium recentia ſcripta opportunius accidit, ſummoque me gaudio affecit Reverendiſſimi Domini, Archiepiſcopi Ravennatenſis, nuper Sanctitatis Veſtræ Nuntii extraordinarii „adventus, ab eoque habita notitia, qualiter Sanctitati Veſtræ placuerit, „prædictam cauſſam per tot Urbis, & Germaniæ tribunalia in avia & devia pertractam ad ſe vocare; ſpes ſimul certa affulſit, coram Sanctitatis „Veſtrae ſolio nunc omnes tandem diſſipandas tenebras, & cauſſam hanc „mere eccleſiaſticam e laicorum judicum manibus ereptam in viam pariter „juris, & judiciorum a ſacris Canonibus praeſcriptam probante Urbe, ac „Germania noſtra remittendam fore. Dudum illud Praedeceſſor meus binis ad Sanctitatem Veſtram humillimis litteris, aliisque judicum ſuorum „S. Rotae Decano 22 Septembr. anno 1760 directis, pari erga ſanctam Sedem devotione, & rationum graviſſimarum pondere efflagitaverat, ſcilicet „*primo*, ut Decanus Spirenſis a Capitulo ſuo, nullo juris ordine, ſed via „facti ſuſpenſus, & ejectus ante omnia redintegretur, nec interpoſita a „Capitulo Spirenſi appellatio a manutentionis decreto judicum moguntinorum in tribunalibus Urbis recipiatur. *Secundo* ut ipſa querela Capituli „contra Decanum in prima inſtantia hisce in partibus cognoſcatur, & decidatur, ſalva tamen omnino utrique parti ad ſanctam Sedem poſtmodum „appellatione. *Tertio* ut eadem cauſſa peſſimo exemplo, ac ignoto hucusque in Germania temporalium praetextu ad tribunalia Imperii laica delata ſupremo judicio Sanctitatis Veſtræ, ſuorumque in Curia romana tribunalium reſtituatur. His ſenſis & deſideriis piiſſime in mortuo Prædeceſſore meo Deo providente Eccleſiæ Moguntinæ promotus, honorum & „onerum hæres hoc in ſtatu moleſtam cauſſam inveni, novo ſtudio adcurate perpendi, concordiam inter partes non ſemel tentavi, ſpe fruſtratus, „tandem Eminentiſſimo Domino Cardinali Spirenſi declarare debui, me nec „latum unguem a decreto manutentionis judicum Moguntinorum diſcedere „poſſe. Non ignoro ſparſum inde contra me rumorem in Urbe, quod ro-

„manas

„manas appellationes impedirem, auctumque, dum in nuperis Comitiis „electoralibus eligendo Romanorum Regi deſtinatis a Legato Palatino ſuper appellationibus romanis quædam monerentur, ac ſuper iisdem Collegii electoralis nomine quædam epiſtola ad 17 Martii a. c. Sacræ Majeſtati „Cæſareæ ſcriberetur. Sed ſupremæ Sanctitatis Veſtræ perſpicaciæ cum „omni fiducia ſubmitto, an juſta ſit talis accuſatio? Quotidie me ſciente, „ac volente Moguntinæ appellationes ad tribunalia Urbis devolvuntur: hoc „ipſo tempore complures ibi pendent, & trahuntur, imo in illa ipſa cauſ„ſa Spirenſi tractatum fuit frequenter, eamdem ad ſanctam Sedem per „appellationem devolvendam eſſe. Idipſum hisce repeto, & conteſtor, non „tantum huic appellationi ſpirenſi a me tunc deferendam eſſe, quando eva„cuata fuit in partibus prima inſtantia, quæ cito finiri poterit. Sed mo„dis inſuper, viribusque omnibus a me curandum, ut pars Romam „appellans ibi & compareat, & judicatus tribunalium Curiæ romanæ ple„niſſime pateat. Utque Sanctitas Veſtra eo magis de candore hujus meæ de„clarationis ſecura reddatur, inſuper addo, penitus me perſuaſum exiſtere, præſen„tem Eccleſiæ, quoad provocationes & appellationes ad S. Sedem diſcipli„nam tam neceſſario connexam eſſe cum ipſa Eccleſiarum Germaniæ liber„tate, ut hanc convelleret, qui appellationes romanas abolere vellet. At„que ex hoc ipſo Sanctitati Veſtræ perſpicuum erit, quam parum præju„dicii S. Sedis juribus ex dictis Principum Electorum ad S. Cæſaream „Majeſtatem litteris exſurgere poſſit.“

§. 13.

Ex litteris 17 *Martii a. c. exaratis.* „Quæ enim monita ſunt in Co„mitiis illis, quæ ſcripta exhibita præcipue ad Art. 14 Capitulationis, hæc „mea non facio, imo pro parte, quam in ſtatu publico Imperii habeo, „omni ſtudio enitar, ut nequidquam præjudicii juribus, quæ Sedes apo„ſtolica hactenus retinuit, ex iis omnibus, & litteris prædictis enaſcatur: „atque ſi qui pacis perturbatores novos inde tumultus aliquando cierent, „ego pro meo Archi-Cancellæ Status officio omnibus, quæ fierent contra „Sedem apoſtolicam juris, ſeu facti innovationibus obſiſtam. Quod vero „ſpectat ad litteras ſaepe dictas Collegii electoralis id quidem conſtat, oc„caſionem illis unice dediſſe modernam appellationem Capituli Spirenſis, „ſed hoc ipſo ceſſabit litterarum ſcopus, & effectus, ſi cauſſa Spirenſis in „Germaniam remittatur in prima inſtantia cognoſcenda, & Romam demum „in gradu appellationis reditura, ibique terminanda. Aliud eſt enim ap„pellationum abuſus notare, ſeu appellantium exceſſus, quos ipſae coercent „apoſtolicae Conſtitutiones recentes & antiquae, Correctioni ſummae Sedis „exhibere; aliud eſt, quam appellationes ipſas romanas impugnare: poſt-

remum

Digitized by Google

„remum hoc nec Germaniæ Metropolitanis, nec mihi in mentem venit, „quin potius eædem romanæ appellationes in celebri Art. 14 Capitulatio-„nis in eodem, quo fuerunt hactenus, ſtatu præſervatæ ſunt verbis ſatis „diſertis. Liceat itaque, Beatiſſime Pater! addere & gloriari, in iis po-„tius de ſancta Sede benemeritum me fuiſſe, ſuper quibus accuſor, qua de „re Sanctitatem Veſtram alias uberius informandi locus erit. Denique, „quod tertium rei caput eſt, recurſus nempe ad laicos judices Imperii, „qua in re cum ſupremo Eccleſiæ judice communem cauſſam habent Ar-„chiepiſcopi, & Epiſcopi omnes, haud timeat, rogo Sanctitatem Veſtram, „quin modis omnibus iisdem ſim obſtiturus, præſertim ſi ſub prætextu „temporalium in exteris Regnis auſcultato in Germania hucusque inaudito „ſuſcipiantur: hoc enim modo & Pontificum, & Epiſcoporum jurisdictio-„nem, & omnem Eccleſiæ libertatem everti agnoſco, & palam profiteor, & „penitus abominor. Longius eſſet hic enarrare, quid deſuper in Aula cæ-„ſarea jam egerim, & porro acturus ſim. Conſtitutum mihi inſuper eſt, „quamprimum ſub ſeveriſſimis pœnis omnibus interdicere, ne ejusmodi re-„curſus ad Brachium ſeculare omnino habeant, habentibusque conſentiant, „& conſilium, auxilium, vel favorem exhibeant. Ceſſabit vero hoc ipſum „quoque, ſi Sanctitas Veſtra dignetur, ſæpe dictam cauſſam Spirenſem ſine „longiore mora in Germaniam modo ſupra dicto remittere, ſeque tanta mo-„leſtia liberare. Primis hiſce in eadem cauſſa ad Sanctitatem Veſtram lit-„teris id rogo, & Sanctitatis Veſtræ pedes exoſculans apoſtolicam Bene-„dictionem mihi, & gregi commiſſo ſupplex efflagito.“

§. 14.

Plura ſunt quidem in his duobus documentis noviſſimis æque, ac decretoriis, quæ ad trutinam mentis ſingulari reflexione revocari merentur: nolim tamen ego criticam mei ipſius animadverſionem adjungere, totum Lectori judicium relicturus, tantum vero, quæ digniſſima ſunt notatu, veluti in indicem reducturus. 1*mo* In Spirenſi hac cauſſa ab una, alteraque parte ad laicos judices recurſus, & diverſa horum judicum decreta fiebant, atque *a via ſacris Canonibus præſcripta* litigantes Germani diſcedebant. 2*do*. Ab interlocutoria primæ inſtantiæ, *tamquam gravamine irreparabili* Capitulum cathedrale una cum ſuo Epiſcopo ad tribunal Curiæ romanæ appellabat. 3*tio*. Recurſum a partibus ad ſecularia Imperii tribunalia factum vocat Archiepiſcopus Moguntinus *peſſimum exemplum, ac ignotum hucuſque in Germania, etſi fieret vel temporalium prætextu*. 4*to* Ipſe fatetur, quod & abominatur, *hoc modo & Pontificum & Epiſcoporum jurisdictionem & omnem Eccleſiæ libertatem everti*. 5*to*. Promittit iisdem recurſibus in futurum *modis omnibus ſe obſtiturum*, & ſuis ſubditis ſeveriſſimis

pœnis interdicturum, *ne ejusmodi recurſus ad brachium ſeculare omnino habeant, habentibusque conſentiant, & conſilium, auxilium, vel favorem exbibeant.* 6to. Archiepiſcopus Elector apud Pontificem romanum ſe purgat de *accuſatione*, quod romanas appellationes impedierit, & quidem vi *Moniti*, & *Litterarum* Collegii electoralis in ultima Cæſaris electione. 7mo. Negat Archiepiſcopus hanc accuſationem eſſe juſtam: *Monitum* illud Legato Palatino adſcribit, *Litteras* vero Electorum Collegio, nec verbo jus commemorans decretorum Baſileenſium per Concordata Germaniæ validorum. 8vo. E contrario autem expreſſe & aperte profitetur, romanas appellationes a prima inſtantia ſe *ſalvas* admittere. 9no Inſuper teſtatur, *quotidie ſe ſciente & volente ex Moguntia appellationes ad tribunalia romana devolvi*: 10mo. Spondet etiam, *modis viribusque omnibus ſe curaturum, ut pars Romam appellans ibi & compareat, & judicatus Curiæ romanæ ampliſſime pateat.* 11mo. Ex eo, quem profitetur, candore mentis Pontifici declarat, *penitus ſe perſuaſum exiſtere, præſentem Eccleſiæ quoad provocationes & appellationes ad S. Sedem diſciplinam tam neceſſario connexam eſſe cum ipſa Eccleſiarum Germaniæ libertate, ut hanc convelleret, qui appellationes romanas abolere vellet.* 12mo. Monitum ad Art. 14 Capitulationis, ubi mentio de *Concordatis Principum*, proteſtatur, *ſe non facere ſuum.* 13tio. Quin etiam pro ſua parte in Statu publico Imperii pollicetur ſe omni ſtudio adniſurum, *ne quidquam præjudicii juribus, quæ Sedes apoſtolica bactenus retinuit, ex iis omnibus enaſcatur.* 14to. Illos *pacis perturbatores* nominat, *qui inde novos tumultus aliquando cierent.* 15to. Suum interponit *Archi-Cancellæ officium*, quo velit obſiſtere *omnibus, quæ fierent contra Sedem apoſtolicam juris, ſeu facti innovationibus.* 16to. Quod ſpectat ad litteras Collegii electoralis, declarat unice cum cauſſa Spirenſi earum *ceſſare ſcopum, & effectum.* 17mo. Demum teſtatur, *nec Germaniæ Metropolitanis, nec ſibi in mentem veniſſe appellationes romanas impugnare.* 18vo. *Quin potius easdem appellationes in celebri Art. 14 Capitulationis in eodem, quo fuerunt bactenus, ſtatu ſat diſertis verbis eſſe præſervatas.* Hæc ad ſummum Pontificem Archiepiſcopus Elector Moguntinus a. 1764. Tute, mi Lector! nunc cogita, quid de poſterioribus Moguntinæ Curiae moliminibus in Conventu Confluentiae a. 1769, in Emſano balneario a. 1786, & actu in Diaeta Imperii judicandum ſit!

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT II.

De appellationibus a Papa.

Ultimam ad ſupremum Paſtorem, ac judicem ſuum inſtantiam debere Chriſtianis omnibus ſaltem in gravioribus cauſſis manere apertam, prima hujus criticæ diſquiſitionis parte confectum ivimus: jam inde ſponte ſua, & alterius Partis aſſertio fluit, ab ultimo, ſeu ſupremo tribunali, quod eſt illud ſummi Pontificis, nullam amplius dari poſſe appellationem. Propter ipſam tamen hujus rei gravitatem hodiernis præcipue diebus ſchiſmati, quod Deus avertat, admodum propinquis operæ pretium eſt peculiare adhuc examen inſtituere, quod tribus Articulis perficiam dicturus: *1mo* De ipſo jure divino, quod appellationes a ſummo Pontifice vetat, penitusque excludit: *2do* De hiſtoria antiquiſſimi axiomatis, *Prima Sedes a nemine judicatur:* *3tio* De recenti origine opinionis Papam Concilio ſubjicientis:

ARTICULUS I.

De jure divino prohibente appellationes a Papa.

§. 1.

Teſte incarnata veritate Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ divinitus firmatum, quod ſuam huic firmitatem communicet; non vero quod ab hac firmitatem accipiat, ut recentiores quidam fingere auſi ſunt: Petrus eſt enim a Chriſto conſtitutus, ut fratres confirmaret, non inverſe Petrum confirmare fratribus conceſſum eſt. Petro claves regni cœlorum *ſoli* datæ ſunt, hoc eſt, ſuprema in Eccleſia poteſtas, ut quidquid a Petro ſuper terram ſolveretur, ſive ligaretur, in cœlo quoque ſolutum eſſet, ligatumve. Nulla ergo amplius ſuperior in terra datur Poteſtas, quæ reformare poſſet jam in cœlis firmata Petri judicia. Unus eſt Paſtor omnium ovium, & Paſtorum a Chriſto denominatus, cui totius ovilis cura commiſſa, S. Petrus: unum ergo ex divina inſtitutione caput totius corporis, quod ab uno regendum eſt. Unde antiquis catholicum dogma formam regiminis Eccleſiæ eſſe veram Monarchiam. Eſſentia Monarchiæ deſtrueretur, ſi ſuprema poteſtas in plures divideretur. Falſum foret catholicum dogma, ſi Ariſtocratia Eccleſiæ dominaretur. Inſtitutio divina everteretur, ſi Petrus Apoſtolis inferior declararetur, quos Chriſtus non ſolum ſingulos, ſed in unum omnes Petro declaravit ſubjectos.

Digitized by Google

§. 2.

Quænam enim illa Poteſtas, cui pontificia ſubdatur? Nullus ad hodiernum usque diem, nullus eorum, qui adhuc vel nomine Catholici velint audire, nemo unus aliam publice auſus eſt aſſignare Poteſtatem Pontifice ſuperiorem, quam Concilium univerſale. Ut non hic repetam jam ſuperius, ex primis iisque generalibus Conciliis, in ſpecie ex Epheſino, & Chalcedonenſi demonſtratur *in Append. ad Part II contra Pſeudo-Boſſuetum* ſupremam authoritatem in ſolo romano Pontifice ſemper fuiſſe agnitam; quod hoc loco ſingulariter quadrat, ubi de judicio Papæ dijudicando quæritur, eſt univerſalis, ejusque orientalis Concilii VIII, ſeu Conſtantinopolitani IV decretum, quo expreſſe declaratur etiam ab œcumenica Synodo contra primæ Sedis Antiſtes ſententiam ferri, aut ſolum eos in *jus vocari* ſine nota impudentiae non poſſe. En Canonem *): „Si qua vero „œcumenica Synodo collecta de romana etiam Eccleſia controverſia extite„rit, licebit *NB.* cum decenti reverentia de propoſita quaeſtione veneran„ter percontari, reſponſumque admittere, & ſive juvari, ſive juvare, non tamen „impudenter contra ſenioris Romae Pontifices ſententiam dicere.“ Ἀποφέρεσθαι graeca vox latino quidem ſermone *ſententiam dicere* redditur; vi tamen ſua nativa, & propria *in jus vocare* potius ſignificat. Quod ſi ergo generali Synodo ſine temeritatis, imo & impudentiæ nota non liceat romanos Pontifices in jus vocare, aut contra eos ſententiam ferre, etſi forſitan rebus antea ſecum expenſis juſta videatur cauſſa; neceſſe eſt, ipſi adeo univerſali Concilio jurisdictionem non eſſe in ſupremum Pontificem.

§. 3.

Dignum eſt hic memorari, quod Petrus Ballerinius obſervavit **): „Hoc œcumenicae Synodi teſtimonium nulli obnoxium controverſiae, quan„tum praeſtet aliis quibuslibet poſterioris aevi, & inferioris multo, aut „nutantis authoritatis, quae ab Adverſariis, opponi ſolent, facile eſt judica„re. Hic certe generalis Concilii Canon, quo romani Pontifices ab œcu„menicae quoque Synodi ſententia, atque jurisdictione ſubtrahuntur, ſatis „ſuperque omnem exceſſus, aut aſſentationis notam detergit ab eo genera„li axiomate, *Prima Sedes non judicatur a quoquam*, quod ex antiquitate, „ac ex quodam principio naturali depromtum generalis quoque Concilii „jus in ſummorum Pontificum perſonas evidenter excludit.“ Quas huic „decretorio Canoni orientalis, atque œcumenici Concilii Pſeudo-Boſſuetus „opponit argutias, quippe in ſe ipſis nimium futiles, non opus eſt reme„morare: eas ſatis nervoſe jam, & clare diſſolutas vide, ſi velis, apud lau„datum Ballerinium, Cerboni, Zachariam, aliosque.

§. 4.

*) Act. 10, Can. 33. **) De Poteſt. eccleſ. C. 5. §. 10.

Digitized by Google

§. 4.

Præter Concilii univerſalis decretum plures habemus expreſſas ſummorum Pontificum conſtitutiones, ac definitiones, & quidem quin repetam jam ſupra allegata Julii I, Innocentii I, Leonis I, aliorumque ex antiquitate, quam vocant incorruptam, Pontificum reſcripta, quibus declararunt, majores cauſſas apoſtolicæ Sedis judicio eſſe terminandas, atque ad finem perducendas; Gelaſius P. Seculo V appellationes ad quodcumque, etiam generale Concilium illegitimas eſſe, & prohibitas clariſſime ſcribit *): „Nec taceamus, quod cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam „quorumlibet ſententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus ha„beat reſolvendi, utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque „cuiquam de ejus liceat judicare judicio, ſiquidem ad illam de qualibet „mundi parte Canones voluerint appellari, ab illa autem nemo ſit appellare per„miſſus." Ante annos mille trecentos Pontifex Gelaſius ad Epiſcopos ſcribens teſtaur, quod cuncta per orbem Eccleſia noverit, apoſtolicam Petri Sedem jure gaudere de omni Eccleſia judicandi, de ejus autem judicio nemini fas eſſe judicare: hodiernus vero Febronius audacter Pontifici antiquiſſimo contradicens aſſerit appellationem a Papa ad generale Concilium omnibus ſeculis pro legitima fuiſſe agnitam. Uter horum fidem meretur?? Ad inepta Febronii exempla reſponſionem vide in *Antifebronio vindicato* **).

§. 5.

Illud Bonifacii I ad Rufum Theſſalonicenſem: *Numquam licuit de eo rurſum, quod ſemel ſtatutum eſt ab apoſtolica Sede tractari*, fuit in romano II Concilio repetitum ***). Sicut etiam a Nicolao I hoc alterum ex eodem Bonifacio deſumtum: *Nemo umquam apoſtolico Culmini, de cujus judicio non licet retractari, manus obvias audacter intulit, nemo in hoc rebellis extitit, niſi qui de ſe voluerit judicari* ****). His priſcorum Conciliorum, & Pontificum decretis inhærens Martinus V, ipſo fatente, licet ægre, Gerſonio Conſtantiæ a. 1418 in publico & generali Conſiſtorio Bullam edidit, in qua hæc continebantur: „Nulli fas eſt a ſupremo judice, „videlicet apoſtolica Sede, ſeu romano Pontifice, Jeſu Chriſti Vicario in „terris appellare, aut illus judicium in cauſſis fidei, quæ tamquam Majores „ad ipſum, & Sedem apoſtolicam deferendæ ſunt, declinare." Cum in ipſa Synodo Conſtantienſi Poloniæ Legati, qui damnari petebant Joannis Falkenbergii libellum, id vero a Pontifice impetrare non poterant, appella-

 tionem

*) Ad Dardan. Epiſ. **) Tom. 4, Diſſert. 12, Cap. 4.
) Apud Harduin. Tom. 12, Col. 1125. *) Ad Michael. Imperat.

Digitized by Google

tionem ad Concilium minitari præſumerent; ſilere illos Pontifex juſſit, conſtitutionem de non appellando a Papa ad Concilium allegans, quo audito illi a ſuo auſu deſtiterunt. Factum hoc negare non audet Natalis Alexander, hinc Schelſtratio reſponſiones dat quaſi non ſuo, ſed Pariſienſium nomine, tam miſerabiliter tortas, ut nolim inania deſcribendo paginam implere *).

§. 6.

Pius II ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ quaſcumque appellationes a ſummo Pontifice damnavit in Conventu Mantuano anno 1459 per Bullam *Execrabilis*, & quidem ex generalibus hisce, quæ ſemper ſubſiſtunt, rationibus: „ne impunita ſcelera remaneant, adverſus „primam Sedem rebellio nutriatur, libertas delinquendi concedatur, & om„nis eccleſiaſtica diſciplina, & hierarchicus Ordo confundatur.“ Has ipſas rationes in moguntino Conventu Rudolphus wormatienſis Decanus adverſus Dyetherum Moguntiæ Archiepiſcopum maxime urgebat his verbis, quæ Gobelinus refert in Commentariis rerum memorabilium Pii II **): „Quem appellaſti judicem, quem provocaſti tuæ cauſſæ cognitorem? futu„rum Concilium, dicis, appellavi: & ubi eſt futurum Concilium? ubi ſe„det? ubi tribunal ejus requiramus? Pulchra inventa, ut impunita ſint ſcelera, „ut liceat ſine metu judicia aliena invadere, is judex appellatur, qui nuſ„quam reperitur.“ Eamdem Pii II conſtitutionem edito diplomate confirmavit Sixtus IV illis anathema dicens, qui a Papa ad Concilium audeant appellare: quæ Sixti Bulla teſte Odorico Rainaldo in Annalibus eccleſiaſticis juſſu Ludovici XI in Gallia ſolemniter fuit promulgata ***).

§. 7.

Summorum Pontificum decretis adde teſtimonia gallicanæ Eccleſiæ, quæ Febroniani perhorreſcere minus poterunt. Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus ita ſcribit ****): „Quibus omnibus demonſtratur, quia Sy„nodus comprovincialium Epiſcoporum judicia, generalis autem Synodus „comprovincialium dijudicationes, ſive diſſenſiones vel probet vel corrigat „— Apoſtolica vero Sedes & comprovincialium, & generalium retractet, „refricet, & confirmet judicia: ſicut Epiſtolæ Leonis, atque Gelaſii, cete„rorumque rom. Pontificum, & Sardicenſis Synodus evidenter oſtendunt.“ Obſerva gradus ſuperioritatis, quibus ille gallicanus Archiepiſcopus adverſariis æſtimatiſſimus aſcendit ab Epiſcopis comprovincialibus ad Synodum, a

*) Ad Sec. 15, Diſſert 4, Art. 3, n. 12, &c. **) Lib. 6.
) Ad a. 1483. *) De Divort. L. 1 edit. meæ Pariſ. de a. 1615, p. 461.

a Synodo provinciali ad generalem, ab ipſa generali Synodo ad ſummam apoſtolicam Sedem. Ex Ivone Carnotenſi inter multa tantum hic duo memorabo. De Papa Paſchale II ita ſcribit *): „Charitatem redolentibus ſit„teris admonendus mihi videtur, ut ſe judicet, aut factum ſuum retractet. „Quodſi fecerit, reddamus Deo gratias — Si autem in hoc languore inſa„nabiliter ægrotaverit, non eſt noſtrum judicare de ſummo Pontifice." Tantum aberat Ivo ab appellatione ad univerſale Concilium, ut expreſſe diceret, non eſſe in poteſtate Epiſcoporum judicare ſummum Pontificem. Item alio in loco **): „Quoniam judicia romanæ Eccleſiæ a nemine foris „retractari poſſe eadem Eccleſia romana docente didicimus, ſi qui aliquan„do ſe prægravatos illius Eccleſiæ authoritate conqueruntur, hoc eis con„ſilium damus, ut non deſcendant in Ægyptum propter auxilium, ſed ab „ipſa ad ipſam confugiant, & inde exſpectent levamen, unde ſe conquerun„tur accepiſſe gravamen." Ita quaſi in Ægyptum emigrari Ivo putavit, ſi extra Eccleſiam romanam oppoſitum illi tribunal quæratur. Enimvero Concilium utcumque numeroſum romanæ Matri Eccleſiæ oppoſitum, nonniſi ſchiſmaticum foret conciliabulum. S. Bernardum adhuc audiamus, qui romanos Pontifices alloquens ita ait ***). „Quis mihi faciet juſtitiam de „vobis? exſtat quidem tribunal Chriſti, ſed abſit, ut ad iſtud appellem „—Itaque recurro ad eum, cui datum eſt judicare de univerſis, hoc eſt „ad vos: vos appello ad vos. judicate & me, & vos." Præter Chriſti & proprium tribunal non aliud agnovit S. Bernardus, quo poſſent ſummi Pontifices provocari.

§. 8.

Ad hæc authoritatis argumenta, quæ in theologicis diſputationibus plurimum debent valere, accedunt & alia ipſius theologicae rationis, & experientiae. Quale enim iſtud, quod ſententiam Papae judicet, Concilium cogitetur? An cum ipſo Papa conjunctum, ejusque tamquam ſui Capitis ſententiae conſentiens? An vero Pontifici ex adverſo reſiſtens, prout ſibi unice appellantes optare poſſunt? Atqui hoc eo ipſo jam non legitimum Eccleſiae chriſtianae Concilium foret, ſed ακεφαλον, omnique authoritate deſtitutum, quippe a fundamento ſuo, quod Chriſtus firmavit, ſchiſmate avulſum. Certe univerſalia etiam Concilia praeter Pontificis conſenſum decernentia in graviſſimos errores incidiſſe, atque a ſummis Pontificibus debuiſſe emendari docet experientia: hujusmodi fuerunt Ariminenſe, Epheſinum II, Francofordienſe ſub Carolo M., & vel maxime Baſileenſe, quod adeo ſchiſmatis ſe reum fecerat. Qui concilium ſibi fingunt romano Pontifici,

*) Epiſt. 233. **) Epiſt. 159. ***) Epiſt. 213.

Digitized by Google

tifici, hoc eſt, ſuo Capiti oppoſitum, inſtitutionem Chriſti, qui Eccleſiam inſeparabilem a ſuo fundamento aedificavit, cupiunt everſam, prout ſumma eruditione Princeps, & Abbas Gerbertus ad S. Blaſium in libro de *Communione Poteſtatis eccleſiaſticae* merito animadvertit *): „Contra leges
„communionis in Poteſtate eccleſiaſtica Cathedra adverſus Cathedram con-
„ſtituitur: tribunal alterum ſpectatur Romani Pontificis, & Concilii inter
„ſe ex adverſo poſitum, alia ac alia jura proſequens, ſerramque contentio-
„nis ad ſcindendam Eccleſiae unitatem reciprocans, fori inſtar contentioſi,
„ac pulpiti, ſubſelliique ſcholaſtici, ubi ex inſtituto more cauſidicorum
„adverſae partes colliduntur, actiones inſtituuntur, atque quis cauſſam ceu
„litigioſam adverſus alienam obtineat, ſuperiorque ſit, contenditur. Quod
„Chriſtus Apoſtolis ſuis prohibuit, ne more Gentium dominentur, eſtque
„adverſum paci ac unitati Eccleſiae, communionique poteſtatis legitimae —
„ut adeo ſicut idem tribunal, ita idem judicium ſit in communione pote-
„ſtatis eccleſiaſticae, & ſi quando dubii aliquid, aut ambiguitatis ab hoc
„movetur, ſuſpicioque maligna exoritur, reſtaurato judicio numquam con-
„traria ſententia prodit.“

§. 9.

Non jam mirum fere octingentis ſupra mille annis, quo tempore Chriſti Eccleſia ſtat, in quaeſtione fidei a Pontifice definita numquam ad Concilium fuiſſe a Catholicis appellatum: id ſolis ab haereticis, iisque pauciſſimis factitatum ex hiſtoria eccleſiaſtica cognoſcimus. Primi fuerunt ſeculo V Pelagiani Epiſcopi 15, qui oblata Zoſimo P. fidei ſuae profeſſione ab eo exigebant, ut illam diſcutere vellet, & ſi quid in illa erroneum deprehenderet, ipſis indicare ſecus ſe ad œcumenicam Synodum appellaturos. Nota dignum eſt, iſtorum licet haereticorum, appellationem non fuiſſe *abſolutam*, & ab ipſa Pontificis ſententia, ſed tantum conditionatam pro caſu denegandae forſitan juſtitiae. Pelagianos autem audacia, & faſtu ſine exemplo ſuperavit ſeculo XVI Lutherus a Leone P. X damnatus: demum hujus ſeculi initio Janſeniſtae a Conſtitutione Clementis XI, quae incipit *Unigenitus Dei Filius* ad Concilium œcumenicum appellabant, quam tamen Janſeniſtarum temeritatem ne Galli quidem probarunt, haud ignorantes ex avita fide ſua definitionibus ſummorum Pontificum internam mentis obedientiam deberi.

§. 10.

*) Cap. 17. p. 387.

§. 10.

Si igitur divino jure ex ſacris Scripturis, & Patrum traditione hactenus demonſtrato ſuprema eſt apoſtolicae Sedis in judicando authoritas, ita ut nullum in terris detur ſuperius, quo appellari poſſet, tribunal, ne Concilii quidem univerſalis; quid de illorum Publiciſtarum, ut mitiſſime dicam, audacia ſentiendum, qui in re mere eccleſiaſtica, quaſi ſub inani titulo *ab abuſu* ad ſecularia, & prophana tribunalia apoſtolicae Sedis ſententiam deferri poſſe contendunt, probantque? Neminem latet, quam mala fide a multis hodie cum hac, aut ſimili poteſtatis eccleſiaſticæ arrogatione jus *advocatiæ* erga Eccleſiam, quod in Principibus reſidet, confundatur: aliud eſt enim (& hoc Advocati non tam jus, quam officium) ſententiam ab Eccleſiæ ſupremo Capite latam fideliter exſequi; aliud vero, quod fidelium nemo poteſt, ſuo judicio ſupremum Eccleſiæ Caput arroganter velle ſubjicere. Princeps gladium portat, quo Dei Eccleſiam contra hoſtes ejusdem protegat, atque propugnet, non quo eam in ſuis viſceribus vulneret, dilanietque. Habuit domus Dei armatos cuſtodes, uti Conſtantinum, Carolum, *Magnos* merito dictos, quorum memoria in æternum manebit: ſed non defuerunt, qui ſub ſpecioſo Advocati nomine facti ſunt ſanctæ Dei Eccleſiæ perſecutores.

ARTICULUS II.

De hiſtoria axiomatis: Prima Sedes a nemine judicatur.

§. 1.

Hoc vetuſtiſſimum eſſe ſaltem inde a quinto Seculo axioma ſummorum Pontificum declarationibus firmatum, res eſt ex hiſtoria eccleſiaſtica tam certo explorata, ut eam vel ipſi adverſarii negare non audeant. Quare haud abs re fore exiſtimo, hujus axiomatis hiſtoricam praxin breviter dare ſpectandam. Symmachus P. inique apud Theodoricum Regem accuſatus, ut ſuam contra malos delatores probaret innocentiam, ſponte ſua eccleſiaſticæ Synodi judicio ſe ſubmiſit, ſecutus in eo non ſolum Damaſi, ſui Prædeceſſoris exemplum, ſed & Sylveſtri, ac ipſius Apoſtoli Pauli, qui injuſtis criminationibus petiti propter neceſſitatem probandæ ſuæ innocentiæ ad ipſa ſecularia, imo infidelium tribunalia ſui judicium prorogarunt. At vero Epiſcopi a Theodorico Romam ad Synodum vocati comparere noluerunt duplici ex capite, quod per Primatum S. Petri ipſius Papæ jus fuiſſet Synodum convocandi, & quod res ſit haud facile exemplo probanda, romanæ Sedis Antiſtitem *minorum* ſubjacuiſſe judicio. Cum

 Rex,

Rex, licet a fide alienus Pontificis conſenſum expetiiſſet, & prout acta Synodi loquuntur, Pontifex ipſe Epiſcopis *authoritatem ordinis corrigendi ſecundum eccleſiaſticos Canones ſe dare* profeſſus eſſet; illi accuſati innocentiam coram hominibus declarantes totam cauſſam Dei judicio reſervarunt.

§. 2.

Non deerant jam ſeculi ſexti initio, qui in illud primæ Sedis privilegium, & in ipſam romanam Synodum invidia, ac maledicentia flagrarent: hinc Ennodius, Ticinenſis poſtea Epiſcopus, Apologeticum ſcripſit canonica Synodi authoritate probatum. Verba, quibus ſummæ Sedis privilegium extulit, noſtris præcipue diebus ſumme memorabilia ſunt: „Aliorum forte „hominum cauſſas Deus voluerit per homines terminare: Sedis iſtius Præ„ſulem ſine quæſtione ſuo reſervavit arbitrio. Voluit B. Petri Apoſtoli „Succeſſores cœlo tantum debere innocentiam, & ſubtiliſſimi Diſcuſſoris „indagini inviolatam exhibere conſcientiam. Nolite æſtimare eas animas „de inquiſitionibus non habere formidinem, quas Deus præ ceteris ſuo re„ſervavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore ſub„ſidium, quando ipſo factorum utitur teſte, quo judice. Dices forſitan „omnium animarum talis erit in illa diſceptatione conditio. Reſpondebo „uni dictum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* „*& quæcumque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo:* Et rurſum „ſanctorum voce Pontificum dignitatem Sedis ejus factam toto orbe vene„rabilem, dum illi quidquid fidelium eſt, ubique ſubmittitur, dum totius „corporis caput eſſe deſignatur. De qua mihi videtur dictum per Pro„phetam: ſi hæc humiliatur, ad cujus fugietis auxilium, & ubi relinque„tis gloriam veſtram?" Plura ſunt in hiſce præclaris verbis attentione digniſſima, quæ propriæ Lectoris meditationi relinquam. Hanc Ennodii apologiam contra Launoji cavillationes ſolidiſſime vindicavit P. Natalis Alexander *). — Mirabile autem, quod vir tam doctus non animadverterit, ſe quoque in Launoyo refutatum, ſiquidem Epiſcoporum romanæ Synodi judicio Deus Sedis illius Præſules ſine quæſtione ſuo arbitrio reſervarit, & illi *tantum* cœlo innocentiam ſuam debeant, & huic uni, cui dictum eſt, *Tu es Petrus*, nulla ſit in terra ſuperior Poteſtas, a qua judicari poſſet; ergo ne œcumenici quidem Concilii. O voluntas, quantum tu in opiniones hominum dominaris, ut intellectum ſervitute opprimas, nec videre, quæ manifeſta ſunt, permittas!

§. 3.

*) Ad Sec. 6, Diſſert. 1.

§. 3.

Ne vero adulationis tibi ſuſpecta Synodus romana videatur, noveris eumdem univerſaliter tunc fuiſſe Eccleſiæ ſenſum, quæ unum ſupremum Caput totius corporis, non tantum diſperſi, ſed etiam collecti agnoſcebat, eoquod Apoſtolorum Collegio, etiamſi in unum congregato ſolus a Chriſto præfectus eſt Petrus. Et gallicana quidem Eccleſia vel ipſam romanam devotione erga Sedem apoſtolicam ſuperabat. S. Avitus Viennenſis univerſæ Eccleſiæ gallicanæ nomine ad Senatores romanæ Urbis ſcribens, ita effatur *): „Perlata eſt ſollicitudini noſtræ ab Italia in exemplaribus ſa„cerdotalis forma decreti, quam de Papa Symmacho apud Urbem collecti „Italiæ Antiſtites ediderunt. Quam conſtitutionem licet obſervabilem nu„meroſi, reverendique Concilii reddat aſſenſus, intelligimus tamen ſanctum „Symmachum P., ſi ſeculo primum fuerat accuſatus, Conſacerdotum ſuo„rum ſolatium potius adſciſcere, quam recipere debuiſſe judicium. Quia „ſicut ſubditos nos eſſe terrenis Poteſtatibus jubet arbiter cœli — ita non „facile datur intelligi, qua vel ratione, vel lege ab inferioribus eminen„tior judicetur.“ Tunc vero S. Avitus, ut Senator ipſe romanus, & chriſtianus Epiſcopus obteſtatur Senatores, ut ſicut prophanum mundi Caput nulli ſubditorum judicio ſubmittere auderent, ita non amplius tale quid in ſummum Pontificem attentarent: *Ne minus diligatis in Eccleſia veſtra Sedem Petri, quam in Civitate apicem mundi*; demum concludit: „Si in „ceteris Sacerdotibus aliquid reformatione indigeat, id poſſe reformari; ſi „vero ſuſpicio adverſus ſummum Pontificem excitetur, jam non Epiſco„pum, ſed ipſum Epiſcopatum vacillare.“ Verba, quæ ſtylo ferreo ſculpantur in ſilice!

§. 4.

Quæ ab Ennodio, & romana Synodo, & gallicana Eccleſia de hoc divino ſummæ Sedis privilegio dicta ſunt, ea ſane evincunt, romanum Pontificem ne œcumenici quidem Concilii judicio ſubjici poſſe, quippe qui eminentior ab inferioribus nequeat judicari, ſed Dei examini ſervandus ſit. Attamen hanc in rem inſuper gallicani Scriptoris, ab ipſis Adverſariis merito laudati, Ludov. Thomaſſini obſervationes ſunt memoratu digniſſimæ **): „1*mo* Synodus romana non ſuam excuſavit infrequentiam, non Epiſ„coporum paucitatem, non univerſalis Synodi congregatione opus eſſe dixit, „ſed abſolute rem Deo reſervavit. 2*do* Et qui de Synodi romanæ decre„to muſſabant, non illis in mentem veniebat, ſaltem univerſalis Synodi „coalitionem implorare. 3*tio* Quod impune peccaturos cauſſarentur, qui

U u 2 „nullo

*) Epiſt. 31. **) Diſſert. in Conc. Rom. ſub Symmacho, §. 7.

Digitized by Google

„nullo humano coërcerentur judicio, id peræque amoliebatur Synodi uni-
„verſalis ſententiam. *4to* Ennodius ait, Petri, ejusque Succeſſorum id eſſe
„privilegium, ut innocentiam cœlo tantum debeant, non debebunt ergo
„vel œcumenicæ Synodo. *5to* Non inultum fore idem pollicetur, ſi quid
„peccet romanus Antiſtes. An quod judex futura ſit Synodus œcumenica;
„an potius, quod Deo teſte, eodemque judice peccet? *6to* Non aufferri
„ait, ſed differri de peccante Pontifice judicium: An ad œcumenicam us-
„que ad Synodum? imo ad divinum usque examen. *7mo* Æque œcume-
„nica Synodus a Pontifice convocanda, & confirmanda eſt. Quare nec in
„ipſum, niſi ab ipſo impartitam diſtringet authoritatem. *8vo* Æque œcu-
„menica Synodus membrorum collectio eſt, etſi longe plurium, quorum
„non eſt de ſuo vertice judicare. *9no* Æque œcumenica Synodus *ovile*,
„& grex eſt, etſi numeroſior: nec gregis eſt de Paſtore judicare, *ſed* ju-
„dicis. *10mo* Nihiloſecius in generali, ac in particulari Synodo ab infe-
„rioribus eminentior judicabitur. *11mo* Nihilominus non Epiſcopus, ſed
„Epiſcopatus ipſe vacillabit: & in laceſſito vertice Status epiſcopalis ipſe
„in diſcrimen vocabitur. *12mo* Æque in œcumenica Synodo fruſtra Prin-
„ceps in jus vocabitur, quod ipſe dederit: nec legi ſuæ, niſi lubens ſub-
„jicietur. *13tio* Æque in œcumenica Synodo ſi primæ Sedis vaneſcant
„privilegia, ceterarum prærogativæ Sedium, quæ ab illa proficiſcuntur,
„& conſervantur, pariter inaneſcent. *14to* Denique ſi divini juris eſt,
„quod cum ceterorum hominum cauſſæ per homines terminentur, *Sedis*
„iſtius Præſulem Deus ſuo ſine quæſtione reſervavit judicio, adverſus *ju*-
„ris divini ſanctionem nec œcumenica Synodus dimicabit.“.

§. 5.

Nunc ad alia ejusdem ſpeciei exempla; Eodem ſexto *ſeculo* Pelagius I obliquis rumoribus laceratus, quaſi mortis Vigilii Papæ reus, nulli hominum judicio ſe ſubmiſit, ſed propria ſui purgatione cuncto populo ſatisfecit, nemine ad Synodi judicium Pontificem provocare auſo. Aliud ſeculo octavo ſplendidum ſane exemplum non minus Gallicanæ, quam Romanæ Eccleſiæ exhibet nobis hiſtoria Leonis III; de quo Anaſtaſius *in* ejus vita hæc narrat: „Fecit Rex Carolus congregari in Eccleſiam Petri
„Apoſtoli Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, & omnem Nobilitatem
„Francorum atque Romanorum &c. ut crimina, quæ adverſus Pontificem
„dicta fuerant, examinarent. Qui univerſi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, &
„Abbates unanimiter audientes dixerunt: Nos Sedem Apoſtolicam, quæ
„eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus: nam ab ipſa
„nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, *NB.* ipſa autem a nemine judica-

„tur,

„tur, quemadmodum & antiquitus mos fuit. Sed ſicut ipſe ſummus Pon„tifex cenſuerit, canonice obediemus" *). Tum Pontifex ſe ipſum publico juramento purificavit, cui omnes congregati acquieverunt, & laudem Deo dederunt. Non abſimilis fuit nono ſeculo Paſchalis I purificatio, qui geminæ cædis ſuſpicione aſperſus coram Ludovici Pii Legatis ſe jurejurando purgavit, quin ullus adverſariorum Pontificis ad judicium univerſalis Synodi appellare auderet.

§. 6.

Hoc ipſo ſeculo univerſale Concilium VIII fecit illud ſuperiore articulo allatum a nobis decretum, non licere, ne congregata quidem œcumenica Synodo in ſummum Pontificem abſque temeritate jus dicere. Cum enim Photius Conſtantinopolitanus collecto Pſeudoconcilio adverſus Nicolaum Pontificem fulmen vibrare ſtupeum attentaſſet, propterea Succeſſor ejus Hadrianus II in Synodo romana conqueſtus ita pronuntiavit: „Siqui„dem romanum Pontificem de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe „legimus: de eo vero quemquam judicaſſe non legimus. Licet enim Ho„norio ab Orientalibus *NB.* poſt mortem anathema ſit dictum; ſciendum „tamen eſt, quia fuerit ſuper hæreſi accuſatus, propter quam ſolam licitum „eſt minoribus majorum ſuorum motibus reſiſtendi, vel pravos ſenſus li„bere reſpuendi: *NB. NB.* quamvis & ibi nec Patriarcharum, nec cete„rorum Antiſtitum cuipiam de eo quamlibet fas fuerit proferendi ſenten„tiam, niſi ejusdem primæ Sedis Pontificis conſenſus præceſſiſſet Autho„ritas." De Honorio nolim hic eam tractare quæſtionem, quæ adhuc inter Scholaſticos obverſatur, an vera, vel etiam juſta fuerit hujus Pontificis damnatio: certum eſſe contendo neutiquam adprobationem hæreſis, ſed non oppreſſionem hæreſis ex officio debitam fuiſſe Honorii culpam, id quod vel Natalis Alexander docet, *Honorium ab hæreſi tam vere excuſari, quam pie.* Hoc autem loco obſervari meretur, Pontificem non in vita ſua, ſed poſt mortem, cum non amplius ſupremum eſſet Eccleſiæ Caput, fuiſſe judicatum, & quidem, etſi in cauſſa hæreſis, non tamen ab Epiſcoporum Concilio damnari potuiſſe, niſi ſummi Pontificis conſenſiſſet Authoritas. De hæreſi ut jam dicam, cujus quidem nec unicum in tota retro antiquitate invenitur exemplum, poſito tamen caſu romanum Pontificem in hæreſin incidere; Doctores noſtri admittunt poſſe, & debere Papæ non ſolum a Concilio, verum etiam particularibus a ſubditis contradici atque reſiſti, *NB.* ſi per ſe manifeſta, non primum judicio declaranda, ſed jam antea per ipſos Pontifices declarata foret hæreſis: cum eo ipſo hæreticus Papa

*) Apud Thomaſſ. Diſſert. cit. §. 12.

jam non membrum catholicæ Eccleſiæ, minus legitimum Caput exiſteret: id tamen in caſu quocumque dubio minime licere certum eſt; quia Pontifex legitimus adhuc ſuperior maneret inferiorum judicio non ſubjectus, atque a Deo poſitus, qui Fratres in fide confirmaret; non qui a fratribus in fide confirmaretur. Quamobrem divina ex inſtitutione Eccleſiæ membra vel maxime in dubio caſu Capiti & fundamento ſuo adhærere, atque conſentire debent, ſicque ſuo fundamento conjuncta per ipſius Dei promiſſionem ab errore immunia ſunt.

§. 7.

Seculo X ab Imperatore Ottone, & romana Synodo attentatum adverſus Joannem XII depoſitionis judicium communi Catholicorum, *ipſorum* adeo Gallorum, in ſpecie Petri de Marca calculo reprobatur, ſi paucos excipias ſenſus minus Catholici notorie jam ſuſpectos e. g. Launojum, modernum hiſtoricum Viennenſem Schmittium. Undecimo ſeculo quid in cauſſa Paſchalis II, qui in laicorum inveſtituras extorto privilegio conſenſerat, callentiſſimus juris canonici, uti & gallicanæ diſciplinæ Ivo Carnotenſis Epiſcopus ſcripſerit, jam ſupra a nobis relatum eſt. Idem Ivo cum aliis Senonenſis Provinciæ Epiſcopis a conventu ad Pontificem judicandum ita ſe excuſavit *): „Non videtur nobis utile conſilium ad ea „Concilia convenire, in quibus non poſſumus eas perſonas, contra quas „agitur, condemnare, vel judicare, quia nec noſtro, nec ullius hominum „probantur ſubjacere judicio.“ En rationem, propter quam ſummi Pontifices nec ab univerſali Synodo judicari poſſint!

§. 8.

Pro noſtræ autem germanicae Eccleſiæ doctrina inſigne *ſpecimen* ex Synodo Quinti - Lineburgenſi refert Bertoldus Presbyter Conſtantienſis **): „Quidam Bambergenſis Clericus, nomine Cunibertus romani Pontificis Pri„matui derogare volens in mediam Synodum ſe contulit, aſſerens romanos „Pontifices hunc ſibi primatum adſcripſiſſe, non aliunde conceſſum hære„ditaſſe, *NB. videlicet ut nullus de eorum judicio judicare debeat, nec illi ali„cujus judicio ſubjaceant.* Qui cum aperte a tota Synodo confutaretur, præcipuo „tamen a quodam laico convictus eſt per illud evangelicum: *Non eſt diſ„cipulus ſupra Magiſtrum.* Cum enim hoc generaliter in omnibus eccle„ſiaſticis Ordinibus obſervandum deputetur, ne major a minore judicetur, „quis hoc Vicario S. Petri denegare potuit, quem omnes Catholici pro „Domino & Magiſtro venerantur? “

§. 9.

*) Epiſt. 238.

**) Append. ad Herman, Contract. ad an. 1085.

§. 9.

His demum adde, quæ Philippus cum Ottone de Imperio certans ad Innocentium III ſcripſit apud Rainaldum *): „Si nos in aliquo vos, vel Romanam Eccleſiam offendiſſe videmur, nos pro honore Domini noſtri J. C., ,cujus vicem in terris geritis, & ob reverentiam B. Petri Principis Apoſtolo- ,rum, cujus Vicarius eſtis, & ob ſalutem noſtram nos ad ſatisfaciendum vo- ,bis ſupponimus. Si vero vos in aliquo nos, vel Imperium læſiſſe vide- ,mini, conſcientiæ veſtræ ſuper iis vos relinquimus. Cum enim nos pie ,credamus, & ante paſſionem, & poſt paſſionem, D. N. Jeſum Chriſtum B. ,Petro claves regni cœlorum contuliſſe, & tradidiſſe jus ligandi, atque ſol- ,vendi; ſcimus & proteſtamur, quod vos, qui in locum ſuum cum plenitudine poteſtatis ſucceſſiſtis, in hujusmodi articulis ab homine non eſtis judicandus, ſed judicium veſtrum ſoli Deo reſervatur, cujus judicium & examen, quod ſibi ſoli debetur, nobis non quaerimus uſurpare." Ex his abunde pa- et Germanorum cum Francis conſenſus, ſummam Sedem non habere in terra ıpra ſe judicem, ita ut ipſe Petrus de Marca faſſus fuerit appellationes a Pa- a ad Synodum œcumenicam quoad Catholicos a veteri diſciplina eſſe alie- as, & numquam admiſſas. **)

ARTICULUS III.
De origine opinionis ſtatuentis Concilium ſupra Papam.

§. 1.

Hiſtoriam axiomatis practici, *ſumma ſedes a nemine judicatur*, ad ſeculum usque tertium ſupra decimum deduximus. Sub hoc tempus or- ſ graviſſimis controverſiis Pontifices inter & Principes, ac Regna de ne- otiis maxime temporalibus, uti exactionibus pecuniarum, dignitatum iam laicarum collationibus, ſive ablationibus, audiri cœperunt Catholico- ım ad generale Concilium provocationes, ſeu in cauſſis gravaminum ex- rnis & politicis ad Concilia recurſus, veluti a Papa ad ipſum Papam elius informandum. Bene enim hic animadvertendum eſt, tunc adhuc mporis neminem in Eccleſia cogitaſſe de Concilio univerſali, quod con- nſu Pontificis careret; ſiquidem priſcis canonibus cautum fuerat, *ne abſ- e Romano Pontifice Eccleſiæ convenirent:* minus Concilium petebatur, quod Papam invitum, ceu inferiorem, aut forte etiam deponendum ſenten- ım diceret; ſed *NB.* quod cum, & ſub Papa congregatum meliori in- rmatione circa res facti potiſſimum inſtituenda gravaminibus mederetur. ulla hic Papam inter, & Concilium ex adverſo reſiſtentia, neque hujus ſupra

*) Ad an. 1206, n. 16.

**) De Concord. Lib. 4, Cap. 17.

Digitized by Google

ſupra illum jurisdictio, ſed ſimplex pro levamine recurſus ad pleniorem cauſſæ reviſionem, prout ſubdito cuilibet a gravamine per ipſum Principem ſibi illato ad ejusdem Conſilium judiciarium recurrere licet, certe ſine jurisdictione Concilii judiciarii adverſus ſuum Principem. Ad præſentem ergo quæſtionem, an ſententia ſummi Pontificis ſubjecta ſit ſuperiori ipſius Eccleſiæ jurisdictioni, nequidem pertinent, quæ vulgo afferuntur exempla appellationum ad generale Concilium e. g. Friderici II Imperatoris, qui in cauſſa ſuæ depoſitionis non ſolum a Papa, ſed ab ipſo generali Concilio Lugdunenſi I a. 1245 ad aliud generalius appellavit; vel Anglorum Baronum, qui contra exactiones pecuniarias, ſi qua fides Matthæo Weſtmonaſterienſi, ſub Urbano IV a. 1264 a Papa ad Papam, vel generale Concilium Epiſcopis approbantibus provocarunt.

§. 2.

Ad hanc ſpeciem jure referenda eſt pariter illa appellatio, quam ſubſequentis ſeculi initio, fervente tunc acerrimo diſſidio inter Papam Bonifacium VIII, & Regem Philippum Pulchrum, Galli a decretis Pontificis interpoſuerunt *NB.* non ad ſolum generale Concilium, ſed ſimul etiam ad futurum legitimum Pontificem. Illi enim pro vero, & legitimo Pontifice Bonifacium non agnovere, partim ob graviſſima crimina, in ſpecie hæreſis, ipſi afficta, partim quia vel ipſius ad Pontificatum aſcenſio vivente Cœleſtino V ſaltem dubia illis videbatur. Quidquid ergo ſit de Gallorum appellatione, quæ res facti antea inauditi nullum jus producit; certe autem ab indubitato Pontifice ad generale Concilium non appellarunt, neque ad tale, quod ipſo ſuperius judicaſſent, ut falſo Natalis Alexander ſcribit, ſed ad ejusmodi Concilium, quod ſub præſidio legitimi Pontificis, *etiam ab ejusdem conſenſu vim, & robur decretorum ſuorum obtineret, prout patet ex* libello ab ipſis Bonifacii accuſatoribus Clementi V oblato, ubi ita ſe exprimunt: „Eſtis enim vos, Pater ſanctiſſime! Jeſu Chriſti Vicarius totam Ec„cleſiam repræſentans, qui claves regni cœlorum habetis, nec congregatum „*totum Concilium ſine Vobis, & niſi per vos* poteſt cognoſcere de negotio.“ Tantum tunc adhuc Catholici, vel ipſi adeo Galli aberant a cogitatione, ſummum Pontificem ſuorum ſubditorum, etſi collectorum judicio ſubjiciendi.

§. 3.

Animis tamen in illo diſſidio plus juſto commotis, atque etiam exacerbatis inventi fuere quidam particulares, qui jurisdictionis in ipſum Pontificem exercendæ ſemina ſpargerent. Primus inter illos ſurrexit Joannes de Pariſiis, qui in libro *de poteſtate regia, & papali* etiam Cardinalium Colle-

gio,

Digitized by Google

;io, imo & Principi laico ſaltem indirecte deponendi Pontificis facultatem ttribuere tentavit. Nihil itaque mirum, quod ſparſo jam ſemine exitialis chiſmatis apud nonnullos Gallos male erga Pontificem Regis gratia animatos rincipia invaluerint, antiquæ fidei & apoſtolicæ Sedis authoritati contraia, quæ ipſa novitate ſua ſatis ſuperque falſitatis arguuntur. Neque taen defuere inter gallicanos hujus quoque temporis Theologos, qui avim retinerent fidem de ſuprema Pontificis in univerſam Eccleſiam authotate: id quam clariſſime apparet ex opuſculo ejusdem diſſidii tempore ontra Bonifacium VIII ſcripto *), ubi Author aperte profeſſus eſt omes Chriſtianos, etiam in unum congregatos Pontifice eſſe inferiores, neue in hunc poſſe judicium facere. Verba ſunt hæc: „Summus Hierarha, romanus Pontifex ſuperior eſt omnibus, ipſe vero Prælatus, & Paſtor eſt Domini gregis: — Subditorum ſubtractio nullo modo cadit in ummum Hierarcham, nec poſſibile eſt per hominem ſibi ſubtrahi ſubdios, quoniam non habet Superiorem in terris, ſed omnis anima ſibi ſublita eſt, ejusque curæ commiſſa: neque a quopiam judicari poteſt, ſed unctos judicaturus a nemine judicandus eſt, niſi deprehendatur a fide evius: & hæc ſuperioritas non eſt humano privilegio, ſed divino, a quo ſt inſtitutio, & qui ſibi paſcendi gregis curam commiſit. *NB.* Omni nim Clero, & populo *in Unum congregato* manet obſequendi ſibi neceſtas, & non Authoritas imperandi.“ Si is ea ætate vel inimicorum Ponicis adhuc fuit ſenſus; quam altas radices in Eccleſia fixiſſe dicendum eſt ud Catholicorum principium, *ſumma Sedes a nemine judicatur!*

§. 4.

Poſt medium ſeculi quarti ſupra decimum, tempore pertinaciſſimi iſmatis, quod ſub Urbano VI excitatum per annos fere 40 diſcidit Ecſiam, de litigantibus pro Papatu œcumenicæ Synodi judicio ſubmitten- ſerio cogitari cœpit. Sed hujusmodi jurisdictio vel in dubios Pontis adeo nova viſa eſt, & Primatus rationi a Majoribus traditæ adeo adſa; ut non facile fuerit hanc ſententiam recipere, firmoque pede ſtabi-. Ipſe quidem Pontifex Urbanus cum tribus Cardinalibus Italis jam iiſmatis initio ſumme expediens fore judicabat univerſale Concilium, us convocationem faciendam gallicanis Cardinalibus propoſuerat. Poſtea electionem Clementis ſchismate jam conflato ad iſtud ſubprimendum, uo illi generalem Synodum congregandam poſtularunt. Hac autem Syno-

*) Titulus libri eſt: *Rationes, ex quibus probatur, quod Bonifacius legitime ingredi non potuit Cœleſtino vivente.*

Synodi convocatione, quod merito animadvertit doctiſs. Petrus Ballerinius *), Concilio illud unum jus poterat admitti, quod & ab antiquis probatum fuit, nimirum cognoſcendi, & judicandi, an, & quæ electio fuerit, ut hoc remedio verus Pontifex ab omnibus agnoſceretur, & intruſus reprimeretur, quod nullam jurisdictionis Authoritatem Concilio in legitimum Pontificem vindicat: tantum enim eſt authentica facti humani, hoc eſt, electionis declaratio.

§. 5.

Cum gallicani Cardinales adverſus Synodi convocationem ſeſe ſemper oppoſuiſſent; de aliis cogitari debebat remediis: hinc variæ conſultationes in conventibus præſertim gallicanis habitæ ſunt, in quibus aliæ, atque aliæ viæ exſcindendi Schismatis (forſitan autem non ſerio) propoſitæ; ſed incaſſum omnes, usque dum inquirendo, & diſputando in plures annos res diſtracta, atque adeo involuta fuerit implicatiſſimis facti, & juris difficultatibus, ut omnis ſpes ſublata videretur decidendi, quisnam inter duos eſſet legitime electus. Itaque neceſſitas coegit Eccleſiæ ipſi in Concilio congregatæ jus aſſerere ad ambos litigantes etiam per violentiam deponendos, ſi æquitatis vias refugiſſent. Hoc conſilium primum a gallicanis Doctoribus Pariſienſis Univerſitatis profectum, qui a. 1395 ob recuſatam a Benedicto XIII, cui adhærebant, renunciationis viam, omnium tunc optimam, inter varias quæſtiones hanc octavo loco diſcutiendam poſuere, *utrum Papa ſubjiciatur Concilio generali ſuæ obedientiæ?* Ex ipſo quæſtionis tenore jam manifeſtum ſit, tantum ſchismatis illa triſtiſſima epocha, ubi in partes ſciſſa Eccleſiæ obedientia duo fuerunt Capita, quorum eo ipſo nullum agnoſcebatur legitimum, ortam fuiſſe opinionem, quæ Pontifices, hoc eſt, dubios & incertos Authoritati Eccleſiæ ſubjectos declaravit.

§. 6.

Nihilominus Doctorum plurimi adhuc diſſenſerant, neque ſtatim ea opinio poterat invaleſcere, ſed res dilata uſque ad annum 1409, quo Synodus Piſis celebrata eſt. Ne tum quidem auſi ſunt Patres quemquam ex duobus contendentibus ſua veluti ſibi propria Authoritate deponere, ſed poſtquam communi ſententia judicarunt, ac declararunt *NB. aliis ex titulis*, ambos jam eſſe ipſo jure depoſitos. Quod Piſanæ Synodo, id multo magis Conſtantienſi convenit non ſolum duobus, ſed tribus de Papatu contendentibus, ut adeo certum ſit utramque Synodum tantum litigantes de Pontificatu, non pacifice ab Eccleſia agnitos Pontifices ſuis ſententiis perculiſſe.

An

*) De Poteſt. eccleſ. Cap. 5, §. 3.

ın binæ hæ Synodi legitimæ ſint, atque œcumenicæ, & ſingula earum lecreta a Pontifice approbata, quisve eorum ſenſus? in hunc ſcholaſticum abyrinthum ut ingrediar, jam non neceſſe eſt: erit forſitan ſuo tempore imili ſcholæ concertationi locus. Ceterum eamdem materiam clariſſime diucidatam poſt Schelſtratium invenies apud Petrum Ballerinium, Cerboni, Zachariam, qui tranſalpini Authores Sedi veritatis propiores præ noſtris Ciſalpinis (diſtinctio Patribus incognita) ſanctæ romanæ Eccleſiæ, Matris, & Magiſtræ noſtræ puriora tibi lumina miniſtrabunt. Ego vero quo ne a partialitatis ſuſpicione purgem, cujus tamen non erubeſcerem, vel allicani Doctoris noſtris adhuc diebus merito ſuo celeberrimi judicio toam hanc Diſſertationem, quæ multo mihi ſtetit labore, concludam. Eſt is Ludovicus Thomaſſinus, qui tantum pro difficillimo tempore nefandi ſchiſmatis hoc judicat optimum (forſitan illa tempeſtate unicum) reſtituendæ nitatis remedium, ut ipſa ſcilicet Eccleſia ſeſe ex ambagibus expediret, œcumenica in Synodo congregata inter litigantes de Pontificatu, hoc eſt, *on de ipſa apoſtolica & prima Sede, ſed de ejus incubatoribus ſententiam rret.* Quod tunc autem extundit neceſſitas, non extra neceſſitatis metas ffundi debet. Idem porro Thomaſſinus profitetur: „Ex Conſtantienſi Concilio evinci illos ipſos, qui Synodico judicio Pontifices ſubſternere enixi ſunt, etſi quandoque contentionis æſtu (quod ſingulariter de Gerſone ſcribit) longius ſint abrepti, in has tamen ſe tandem recepiſſe priſcæ modeſtiæ lineas, ut ſchiſmatis tempore tantum cogerentur dubii nimirum Pontifices Concilii judicium experiri.“ *) Ita ſalvum manet, quod ſemper fuit catholicum: *Summa Sedes a nemine ſuper terra judicatur. Petrus vero uidquid ſolverit, aut ligaverit in terra, erit ſolutum, ligatumve & in cælo.*

COROLLARIUM V.

De jure Legatos, eosque ſtabiles mittendi.

Hæc demum ultima eſt controverſia, totius, ut videtur, diſcordiæ fomes, quæ noſtris diebus tanto ſcandalo ad incendium tam manifeſtum, ımque perniciosum inflammata eſt. Quo cœpi tramite, perrecturus *1mo* e ipſo jure agam Delegationum apoſtolicarum: *2do* de uſu Legationum .m in primitiva Eccleſia: *3tio* inde a Sardicenſi Concilio de Legationibus ı Oriente: *4to* de iisdem in Occidente uſque ad S. Bonifacium: *5to* de ermaniæ obſervantia ab incunabulis uſque ad ſic dictam Reformationem: *to* de eadem ad noſtra uſque tempora: *7mo* de præſenti nunc contradictione.

*) Diſſert. 15 in Conc. rom. ſub Symmacho §. 20.

Digitized by Google

ARTICULUS I.

De jure Legationum apoſtolicarum divino, & naturali.

§. 1.

Ex quo claves regni cœlorum S. Petro traditæ cum poteſtate illimitata quidquid in terra ligandi, ſolvendique; ex quo cura totius ovilis chriſtiani Petro, ceu ſummo Paſtori omnium, non ovium tantum, ſed & Paſtorum ab ipſo Dei Filio commiſſa eſt; extra omnem controverſiam poſita, & indiſputabilis res eſt, divino quippe Oraculo obfirmata, Petrum fuiſſe ſupremum in Eccleſia Imperantem conſtitutum, ſive ut ne invidia verbo ſit, regni cœleſtis clavigerum, fidelium omnium Paſtorem, & Caput Apoſtolorum. Cum ergo totius corporis cura ad caput pertineat; *hujus non* jus tantum, quin potius & officium eſſe dignoſcitur ad univerſa, qua late diffunduntur, membra ſui regiminis alas expandere. Hoc certe firmiſſimo fundamento nititur univerſum per orbem extenſa ſummi Pontificis jurisdictio. Quare quod ubique terrarum non poteſt per ſe ipſum ſolvere, aut ligare, id ipſum per alios facere neceſſe eſt: hæc ipſa eſt non tam pontificia poteſtas, quam neceſſitas delegationum, ex jure divino æque ac naturali profecta.

§. 2.

Tam perſpicua ſane hæc veritas eſt, ut nullus ſit, ne recentiores quidem inter Canoniſtas, quotquot catholico nomine gloriari voluerint, qui inter eſſentialia, ac primaria jura divinitus inſtituti Primatus expreſſe non recenſeat hoc ipſum jus Delegationum. Claſſicus fere per Germaniam, ac celeberrimus Anton. Schmidtius ita docet *): „Principem ſuum *repræſen-* „tant Legati ab eo miſſi: unde tot inſignia eorum jura, quæ paſſim juris „gentium Doctores explanant; ſic & perſonam ſummi Hierarchæ Legati „ab eo in orbem chriſtianum dimiſſi referunt. Competit ei univerſæ Ec- „cleſiæ cura, & ſolicitudo vi Primatus. hanc autem cum exercere per ſe „ubique ipſe non poſſit, vel ex hoc ſolo conſequitur, jus mittendorum „Legatorum in omnem orbem chriſtianum ipſi denegari non poſſe. — „Quodſi vero Pontifici jus perfectum eos mittendi denegari a *Catholico* „non poſſit; huic viciſſim ex altera Principum etiam ſupremorum parte „reſpondebit obligatio in theſi ſaltem certa, ne Legatos ejusmodi ab in- „greſſu in terras ſuas prohibeant, aut legitimis eorum functionibus in ſa- „lutem animarum neceſſariis ſeſe obſtaculo ponant. Neque hic argumen- „tum

*) Inſtit. jur. eccleſ. germ. accommod. Part. 2, Cap. 1, Sect. 3, Art. 3, §§. 72, 73.

Digitized by Google

„tum duci poterit a Legatis aliis, cum jam per ſeſe ſat luculentum appa-„reat diſcrimen: nulli quippe Principi ſupremo quidquam in alterum iti-„dem talem, ejusve terras juris competit; cum contra Pontifici vi Prima-„tus cura totius orbis chriſtiani incumbat, atque in rebus ad ſalutem ani-„marum pertinentibus ejus ſeſe jurisdictio ubique protendat.“

§. 3.

Eruditi, ac ſolide ſcripti, pro ſuo merito in Germania ſumme æſti-mati libri Author Heidelbergenſis, nomine Hollius hæc diſſerit *): „Sum-„mum Pontificem pollere poteſtate mittendi Legatos eo certius eſt, cum „id ex ipſa vi, & natura Primatus profluere ſatis compertum ſit. Cum „enim ad jura Primatus pertineat cura ſuprema, ac generalis inſpectio, ne-„mo erit, inficiari qui poſſit, id juris per univerſam Eccleſiam pro unita-„te fidei, ac bono diſciplinæ eccleſiaſticæ illi competere. Luculenter id „adſtruitur *in Extravag.*: Super gentes, & regna. *Uno* de conſuetudine „*inter communes*: quidquid demum de eo ſit, quis ſit hujus conſtitutionis „author habendus, an Joannes XXII, cui communiter tribuitur, an vero „Bonifacius VIII, cui potiori ſuffragio hodierni critici adjudicant. Idem „hoc jus, tamquam certum, omnibusque jam tum perſpectum, probatum-„que ſupponit antiquiſſimus canon Concilii Sardicenſis, Græcis V, alias „apud Dionyſium VII, dum integrum eſſe Papæ declaravit, ut Legatos „mitteret in provincias, ubi inſtaurandum eſſet judicium Epiſcopi &c. ac „denique hoc ipſum jus continua, ac perpetua Eccleſiæ etiam per Germa-„niam praxis ex indubitata hiſtoriarum fide conſtans corroborat. *Cl. En-„dres* **). Ex hoc ipſo jure Pontificis mittendi ad regiones Legatos ſuap-„te natura profluit jus habendi in regnis, & provinciis Vicarios, & Le-„gatos, cum id & muneris ratio, & provinciarum amplitudo manifeſte exi-„gant. Nam cum his omnibus, in quos paſtoralis cura, ac inſpectio ſeſe „extendit, adeſſe coram non poſſit, prohiberi non poteſt, quin per Lega-„tos officii ſui partes expleat.“

§. 4.

Eos ipſos, qui ſcriptis ſuis pontificiam gratiam haud certe mereri quæſierunt, ſed & aliquando æquitatis limites adverſus ſummos Pontifices transgreſſi ſunt, in teſtes vocemus. Zalweinius ita loquitur ***): „Nemo „utique adeo protervæ frontis erit, ut Pontifici ſuper ipſo jure mittendi

X x 3 „Lega-

*) Statiſtica Eccleſ. German. Pars I, Cap. 6, §. 29.
**) Diſcurſ. polit. Can. de recuſat. Viſit. apoſtol. §. 8.
***) Princip. jur. eccleſ. Tom. 4, Quæſt. 2, Cap. 2, §. 4.

Digitized by Google

„Legatum quæſtionem moveat. Si enim hoc jus ex jure naturali, & gentium Principibus ſecularibus competat, cur id Pontifici denegetur? Quod „autem Pontifices hoc jus exercuerint, aliunde ex indubitatis hiſtoriarum „monumentis conſtat. Quoad ipſos vero Legatos, & diverſas eorum ſpe„cies, poteſtatem, & authoritatem videtur, quod Pontifices æmulati fu„erint mores Romanorum, apud quos triplicis generis erant Legati, nem„pe *municipales* ex decreto ſui Ordinis, cui inſerti erant, alicujus negotii „expediendi cauſſa ad Præſidem provinciæ, vel Præfectum prætorium miſ„ſi, & de his agitur ad Tit. *de Legationibus.* Item *Provinciales*, qui ha„bito prius conventu a provincia ad Principem, vel ad Sedem præfecto„rianam in caſibus ſubito emergentibus vel petendi conſilii, vel expedien„di negotii cauſſa, vel etiam ad gentes a romana Republica mittebantur, „de quibus agitur in Tit. ff. *de Legation.* Et demum Legati *cum juris„dictione*, quales erant illi, quibus adminiſtratio provinciarum fuit deman„data, ut vices ipſius Senatus romani ſupplerent, & inſtar *Speculatorum* „eſſent, & hi ordinarie erant Senatores, & a Senatu cum Proconſule mit„tebantur, de quibus agitur in Tit. ff. *de officio Proconſ. & Legat.* Horum „igitur veſtigia ſecuti ſunt Pontifices, quos antiquioribus temporibus tri„plicis generis Legatos miſiſſe ſcimus.“

§. 5.

Bambergæ juris eccleſiaſtici Doctor Schottius a. 1773 hæc ſcripſit *): „Equidem jus ipſum mittendi Legatos, ceu præeminentiam Sedi „apoſtolicæ pridem competentem jam agnovit Concilium Sardicenſe, & uni„verſa retro Eccleſia, neque in dubium vocatur ab iis qui Primatum ec„cleſiaſticum Pontifici romano largiuntur **). — Nimirum Pontifex roma„nus vi Primatus divina authoritate fundati conſtitutus non tantum eſt cen„trum unitatis, atque communionis catholicæ, ſed ei inſuper incumbit ge„neralis, & ſuprema cura, ſolicitudo, atque ſuperintendentia in omnes „Eccleſias, cujus authoritate fidei, & generalis diſciplinæ unitatem, puri„tatemque conſervat, Canonum obſervantiam promovet, & tuetur, deficien„tes ab officio Prælatos ad muneris ſui executionem revocat, eorum negli„gentiam, & in cura paſtorali defectus ſupplet, oppreſſos defendit, inſuffi„cientes, ac impotentes adjuvat, verbo ea omnia exequitur, quæ Eccleſiæ „univerſalis, aut particularis cujuſcumque ſalus, utilitas, neceſſitasve po„ſtulat. Hæc autem, & ſimilia negotia cum plerumque ita conſtituta ſint,

„ut

*) Differt. de Legatis Natis. Cap. 1, §. 5.

**) Hanc minus convenientem vocem *largiuntur*, credo Authori per inadvertentiam excidiſſe.

Digitized by Google

„ut perſonalem non raro præſentiam exigant, quam tamen Pontifex variis „diſtentus impedimentis per ſe ipſum exhibere non valet; prohiberi is „certe nulla ratione poterit, quo minus per Legatos ſufficienti authoritate „pro negotiorum expediendorum diverſa natura inſtructos has muneris ſui „partes expleat.“

§. 6.

Inter ipſos Auſtriæ Reformatores Dux Eubelius hæc habet *): „Quam certiſſime jus Primatui propter neceſſitatem conſervandæ unitatis „inhærens eſt, *1mo* ut ea, quæ ad ſtatum Eccleſiæ univerſalis pertinent, „ubivis gentium ea geri contingat, referantur ad Primatem, ut is facilius „miniſterium ſuum modo diſciplinæ eccleſiaſticae conformi impendat. — „Hac etiam de cauſſa mittebant Pontifices romani in terras remotas ſubinde „viros, qui exquirerent, quomodo fides reſtituenda, qui notarent Autho„res diſſenſionum a communione ſegregandos, paucis, qui Pontificis nomi„ne Eccleſiis, num unitas ſervetur, invigilarent. Atque ejusmodi Lega„tos, Nuntiosve mittendi morem non tantum antiquiſſimum, ſed &, ſi „unitatis conſervandæ neceſſitas exigit, cum Primatu connexum quisque, „opinor, lubens admittet.“

§. 7.

Pehemius etiam, etſi ægre admodum a quibusdam inter Catholicos nominetur, vel naturali tamen æquitate compulſus idem Pontificis jus ſuam iurisdictionem delegandi agnoſcit hæc ſcribens **): „Una non eſt Eccleſia, „niſi ejus membra in fidei dogmatibus conveniant, nullisque ſcindantur „ſchiſmatibus. Cum autem Primas ubique eſſe nequeat, officio ſuo conſer„vandi unitatem ſatisfacere non poſſet, niſi ubicumque de rebus ſalutem „univerſalis Eccleſiæ concernentibus cauſſæ & negotia emergant, de his ad „eumdem relatio fieret. Unde relinquitur *1mo* penes Primatem jus eſſe „relationes de ejusmodi cauſſis & negotiis petendi & recipiendi, id quod „tota novit antiquitas. — Ex eadem ratione Primas *2do* jus ſibi merito vindicat mittendi Legatos, & Vicarios ſuæ poteſtatis in provinciis conſtituendi. Utique ſi Epiſcopi omnes ſuo officio fungerentur, ſi in negotiis ad ſtatum Eccleſiæ univerſalis pertinentibus debito modo ſe ferrent, ceſſare quidem hujus juris exercitium poſſet; ſed enim homines & ipſi Epiſcopi ſunt. Ut igitur Primas pro viribus curare queat, ne quid de„trimen-

*) Introduct. in jus eccleſ. tom. 3, lib. 1, Cap. 3, §. 172.
**) Prælect. in jus eccleſ, Part. 1, §. 268.

Digitized by Google

„trimenti capiat unitas, prædictum jus e numero eſſentialium omnino ex-
„cludi non poteſt. “

§. 8.

Ad cumulum adhuc ex Febronii ore, licet Pontificibus certe infenſo, teſtimonium percipiamus *): „Prætermittendum non eſt, quod Papæ pro „exercitio & uſu jurium ſuo Primatui adhærentium competat facultas ha„bendi in provinciis & regnis Vicarios & Legatos. Hinc Innocentius I „exemplo provocatus Apoſtolorum, *qui Principes evangelii conſtituti cetera*„*rum rerum cauſſas, neceſſitudinesque ſuis diſcipulis curandas, obeundasque* „*mandarunt*, ſcripſit anno 412 Theſſalonicenſi Epiſcopo Ruffo: *Divinitus* „*ergo hæc procurrens gratia ita longis intervallis diſterminatis a me Eccle*„*ſiis diſcat conſulendum, ut prudentiæ, gravitatique tuæ committendam curam,* „*cauſſasque cenſeam.* epiſt. 13. Adde S. Gregorium M. epiſt. 54 & 55, lib. „V nov. edit. Scilicet cum ſupremo Pontifici vi ſui muneris incumbat „cura, inſpectio, & quædam ſuperintendentia in omnes Eccleſias; is nul„libi quoad hoc poteſt haberi pro extraneo. Quia vero ipſe omnibus ad„eſſe non poteſt, ſic prohiberi nequit, quo minus per Nuntios has ſuas „partes expleat. Ea ratione *in Cap. 20 de conſuet. inter Extravag. commu*„*nes* Principes & ſubditi excommunicantur, ſi prohibeant ingreſſum Le„gati Pontificis. “

§. 9.

Obſervandum jam de allegatis, haud certe præjudicii Iſidoriani ſuſpectis Doctoribus, quod omnes ex univerſali principio divinitus fundato, *Pontificis jus eſſe & officium, totam regendi Eccleſiam*, vel ſola rationis ſuæ humanæ neceſſaria concluſione perſpexerint illam, quam ipſe Pontifex habet, jurisdictione delegari in alios poſſe, ſuo nomine ab eis in locis diſſitis exercendam, prout neceſſitas Eccleſiae, ſive utilitas, uno verbo indigentia ſummi Pontificis judicio ponderanda exigere videatur. Ergo denegare Pontificis poteſtatem ſuis Nuntiis facultates, hoc eſt, jurisdictionis ſibi reſervatae quosdam actus delegandi, conſenſu unanimi Doctorum, etiam illorum, qui haud quaquam partibus Pontificis ſtudent, eſt eſſentialia & primitiva Primatus jura violare, divinamque inſtitutionem prævaricari.

*) De ſtatu Eccleſ. Cap. 2, §. 10.

§. 10.

Non mirum itaque, attamen dignum memoratu eſt theologicæ Facultatis in Univerſitate Colonienſi judicium anno 1618 ad conſultationem Archiepiſcopi Ferdinandi latum adverſus librum Marci Antonii de Dominis *de Republica eccleſiaſtica.* Hic Author L. 4, Cap. 12 titulum dedit *Legatos Romani Pontificis extra Eccleſiam Romanam vix ullam habere poteſtatem.* Cenſura Facultatis: *Titulus hæreticus, ſchiſmaticus & ſeditioſus* Item Anton. de Dominis num. 22: *Poſtremis demum temporibus Legationes Romanæ, & Nuntiaturæ ad avaritiam, ambitionem, & ad ſola negotia terrena, & temporalia expeditæ ſunt, & expediuntur. — Nuntii vero Papæ nunc dierum ad Imperatorem, Regem, Potentatus chriſtianos eodem pariter loco ſunt, quo Regum Legati in Curiis Principum ſecularium, pro negotiis nimirum ſecularibus potiſſimum tractandis, & indagandis commorantes. Et certe ſi optimo eos nomine inſigniamus, ſunt Oratores, ſin vero, Exploratores.* Cenſura Facultatis: *Falſa, ſeditioſa, in Romanum Pontificem, ejusque Legatos calumnioſa* *).

§. 11.

Cum igitur inter Catholicos extra omnem dubitationem poſitum ſit jus Pontificis ſuo Primatui inhærens, in univerſum orbem chriſtianum mittendi Delegatos; ipſa nunc ratio, ex qua hoc idem jus profluit, ſingulariter adhuc conſiderari meretur: ea autem nulla alia eſt, niſi ſummi Pontificis in ſubditos ſuos ubivis terrarum jurisdictio, quam, cum præſens eſſe ubilibet locorum non poſſit, per alios debeat exercere. Pontificis vero jurisdictio tamquam Capitis univerſalis ex conſenſu omnium illorum, quorum hodie auctoritas plurimum valet Doctorum, exerere ſeſe poteſt, imo & debet ad unitatem in fide, & diſciplinam ſecundum canones conſervandam: ad hunc ergo finem obtinendum Legatos cum jurisdictione delegata mitti a Pontifice poſſe in confeſſo eſt.

§. 12.

Cum porro cura conſervandæ in regionibus veræ fidei, ac bonæ morum diſciplinæ non momentaneum, non tranſiens unius diei, annive negotium, ſed ſtabile ac omnino perpetuum ſit, ſpectata vel generali naturæ humanæ ad deficiendum proclivitate, ne quid dicam de ſingulari, quæ alicubi forte invaluerit, corruptione, quod malum ſæpe tenaciſſimum ſeculis vix reparabile eſt; ſequitur ſummi Inſpectoris pariter officium eſſe, diffitis

*) Reflexions ſur les 73 Articles du Pro Memoria — de Cologne, a. 1788.

tis in regionibus ſtabiles loco Sui *Speculatores* & *Commiſſarios* conſtituere, pro caſuum emergentia competente ad malum ſupprimendum, ordinemque rerum ſervandum jurisdictione præditos. His accedit univerſalis Eccleſiæ ſententia jam declarata *), *cauſſas quasdam graviores ſummorum dumtaxat Pontificum judicio eſſe merito reſervatas:* ad graviores ergo cauſas reſervatas, ſive interni, ſive externi fori ſint, eo melius, feliciusque expediendas delegari poſſe a ſummis Pontificibus quosdam in exteris locis habitantes *Commiſſarios*, quis ſanæ rationis homo inficiabitur? Quænam enim conquerendi cauſſa Ordinariis locorum, ſi, quam ipſi non habent, poteſtatem ſuo jure Pontifex vel per ſe ipſum, vel per ſuum Delegatum exerceat? Quare in comperto eſt & alterum jus divino ex Primatu deſcendens, non ſolum Delegatos cum jurisdictione, ſed eos etiam ſtabiles tam pro cauſſis, ut vocant, *voluntariis*, quam *contentioſis* in chriſtianum orbem emittendi.

§. 13.

Si vetera hiſtoriarum monumenta conſulamus; ipſa Archiepiſcoporum, pro Germania certe, alia origo non fuit, quam ſtabilita ejusmodi in certis locis delegatio pontificiæ jurisdictionis erga adjacentes in vicinia particulares Eccleſias, ita ut hodierna noſtrorum Metropolitarum jura jam non alia ſint, niſi ipſa Legatorum, qui nomine *Natorum* nunc veniunt, jura conſuetudine ad Sedium Succeſſores translata. Vel ſolum jus naturæ dictat, poteſtatem Delegati nunquam poſſe in jus ipſum adverſus Delegantem accreſcere, ſed neceſſario ab hujus voluntate manere dependentem, a qua pro rationum diverſitate ampliari poſſit, aut reſtringi, in aliumve transferri. Quorumdam antiquitus Archiepiſcoporum, ſive quod idem eſt, apoſtolicæ Sedis Vicariorum authoritatem jure extinctam fuiſſe, inter proteſtanticos jurisconſultos celeberrimus Bœhmerus ſcite obſervat **), eoquod illi gratiam quaſi hæreditario Sedis jure obtentam, prout fit, jam non pro gratia haberent, nec debitam apoſtolicæ Sedi reverentiam, ac dependentiam amplius exhibere vellent, ſed potius ejusdem jura perturbare, & invadere tentarent. Si hodiedum natis hujusmodi Legatis Sedes apoſtolica ſua ex conſuetudine derivata jura, quæ nunc archiepiſcopalia audiunt, tranquillæ poſſeſſionis gratia relinquit; profecto hæc gratia non obſtat juri apoſtolicæ Sedis, pro temporum exigentia novos de Latere ſuo Legatos, quos *Nuntios* vocamus, congruente cum jurisdictione ſubmittendi.

§. 14.

*) Conc. Trident. Seſſ. 14, Cap. 7.
**) Obſerv. 25. ad Pet. de Marca. L. 5, C. 40.

§. 14.

Ut non jam de jure, ſed de officio loquar divinitus impoſito; quis illud in ea temporum neceſſitate, niſi extremitate, negaverit, ubi in Clero inveterata illa vitia Simoniæ, aut concubinatus extincta nondum, forte ne diminuta quidem ſunt; ubi ſummo Acatholicorum ſcandalo unitas diſciplinæ, & obedientiæ fere jam diſrupta eſt, arrogantibus ſibi quibusdam Ordinariis canonum univerſalium diſpenſationem, quidni & abolitionem? imo obligationum cum Sacerdotio conjunctarum abrogationem, votorum religioſorum diſſolutionem, piarum fundationum verius deſtructionem, quam emendationem; ubi paternis monitis ſummi Paſtoris nulla audientia præbetur, quin etiam aperte reſiſtitur; ubi Doctores errorum, aut plane irreligionis fama divulgati non ſolum tolerantur, ſed & ad publicas Academias pro Clericorum inſtitutione convocantur; ubi præ ipſis terris protestanticis major cogitandi, legendi, ſcribendi non tam libertas, quam libido permittitur; ubi doctrinæ perverſiſſimæ vel Epicuriſmi, vel Febronianiſmi, vel Socinianiſmi, verbo Naturaliſmi ex ipſis archi- & epiſcopalibus ſedibus, veluti ex Cathedris peſtilentiæ per orbem propagantur; ubi literarum paſtoralium nomine voces ſeductoriæ, & mortiferæ ad rudem populum ſunt emiſſæ, templa ornamentis ſpoliata, imagines vilipenſæ, devotiones plebis, etſi in ſe bonæ, ludibrio habitæ, bona piarum confraternitatum, vel monaſteriorum direpta; ubi ipſa fidei dogmata de matrimonii inſolubili vinculo, de indulgentiarum valore, de Sanctorum cultu, de diaboli tentationibus, de peccato originali, ſaltem in dubium vocata; ubi magnæ Provinciæ, præſertim eccleſiaſticæ, occulta quadam ſocietate hominum ad fidem evertendam conjuratorum, & philoſophiæ irreligioſæ lue jam ſunt infectæ; ubi denique conſpiratione tentata cum Principe generatim Eccleſiæ jurium, in ſpecie vero epiſcopalium inimico *), ſupremus Paſtor chriſtiani gregis ab ipſis eccleſiaſticis Præſulibus ad tribunal ſeculare Imperii, maximam fere partem Proteſtantici fuit delatus; in his, inquam, rerum extremitatibus an ad curanda hæc lethalia vulnera unus, pluresve Miſſionarii apoſtolici ſint neceſſarii, an ad illorum a Papa miſſionem inferiorum Paſtorum conſenſus ſit exſpectandus, penes Lectorem, dicam penes ipſum mundum nunc judicium eſto!

 ARTICU-

*) Secus ac ſperaverat, iter Viennenſe cecidit Archiepiſcopo Salisburgenſi, congreſſus Emſani Commiſſario conſultum abrogandi cœlibatus ſacerdotalis nec Imperatori placuit, minus Principi Petri de Kolloredo: hinc negavit Archiepiſcopus, id ſuo Nomine ſe petere.

ARTICULUS II.

De uſu Legationum in primitiva Eccleſia.

§. 1.

„Uſus Legationum (ſcribit Bambergenſis Doctor Pontifici haud æquus) „in republica frequentiſſimus, in Eccleſia quoque inde ab ejus pri- „mordiis invaluit. Enimvero non tantum Eccleſiæ particulares ſuos habu- „erunt Nuntios, ſive Apoſtolos, per quos mutuam inter ſe communio- „nem conſervabant, laborantibus conſilio, ope, ſolatioque ſuccurrebant, & „ea procurabant omnia, quæ ad communem totius Eccleſiæ ſalutem ſpecta- „re videbantur, ſed ipſi etiam Epiſcopi vicaria Legatorum opera *uteban-* „tur in expediendis iis negotiis, quibus præeſſe ob varia impedimenta non „poterant." *) Non ſolum jam a primordiis Nuntii ſine Facultatibus, ſed etiam cum Facultatibus ab Apoſtolis mittebantur, teſte Innocentio I: *Principes Evangelii conſtituti ceterarum rerum cauſſas, neceſſitudinesque ſuis diſcipulis curandas, obeundasque curarunt.* Plura hujusmodi, quos Nuntios voces, vel Vicarios, vel Commiſſarios, vel Miniſtros (de voce non litigo) quorum opera Apoſtoli uſi leguntur, nomina occurrunt, uti Lucæ, Marci, Barnabæ, Silæ, Epeneti, Zenæ, Sylæ, Soſtenis, Epaphroditi, aliorumque.

§. 2.

Etſi rariſſima quidem ſint, & obſcuriſſima plerumque primævi illius temporis monumenta; quædam tamen delegatae jam ab Apoſtolis jurisdictionis-veſtigia vel in ſacris Litteris deteguntur. Ut enim Petrus de Marca obſervat **), S. Paulus Inſulae Cretae ſollicitudinem Tito, veluti ſuo Vicario demandaverat, quem ibidem reliquit, ut per civitates Presbyteros non tantum ſimplices, ſed Epiſcopos conſtitueret, ſicut ipſe a Paulo fuerat ordinatus ***). Titus igitur erga illos in civitatibus ordinatos, ſibique ſubjectos Epiſcopos tunc fere id erat, quod apud nos Archiepiſcopus, non utique ratione Sacramenti Ordinis divinitus inſtituti, quod illis cum ipſo commune fuit, ſed ex humana Pauli Delegatione ſuperior. Simili modo idem Apoſtolus Timotheum Epheſi remanere juſſit cum Facultate ſupra ordinatos a ſe Presbyteros, ſive Epiſcopos eidem conceſſa ****). Quae ſane ſunt exempla Apoſtolicarum cum jurisdictione, eaque ſtabili, qualis hodie *ordinaria* dicitur, Delegationum.

§. 3.

*) Diſſert. de Legat. Nat. Cap. 1, §. 4.
**) De Concord. Sacerd. & Imper. L. 1, C. 3, §. 7.
) Tit. 1, 5. *) I. Timoth. 1, 3.

Digitized by Google

§. 3.

Quod Paulo, quod aliis Apoſtolis licuit ſalva Epiſcoporum poteſtate ea, quae divinae inſtitutionis eſt, ſcilicet ſuperioris ſuae Authoritatis Vicarium delegare; num idem Apoſtolorum omnium Principi Petro non licuerit? Quin imo num dubitari poteſt, idem ab ipſo revera factum fuiſſe? Certe antiquiſſima Orientis & Occidentis traditio, Eccleſiis Alexandrinae, & Antiochenae, tamquam S. Petri Sedibus poſt Romanam praecipua prae ceteris omnibus privilegia & jura competere, primos illarum Epiſcopos Marcum, & Evodium non aliter reſpicere nos ſinit, quam hujus Apoſtolorum Principis Vicarios, ſeu Delegatos. Hinc tres quidem primae Sedes antiquitus fuerunt, ſed una tamen ſuprema Cathedra, tres Patriarchae quidem, ſed unus Patriarchatus in S. Petri Primatu comprehenſus, prout S. Gelaſius I in Concilio romano a. 494 declaravit: „Quamvis univerſae per orbem catholicae Eccleſiae unus thalamus Chriſti ſit, ſancta „tamen romana Eccleſia, nullis ſynodicis conſtitutis ceteris Eccleſiis praelata eſt, ſed evangelica voce Domini, & Salvatoris noſtri Primatum obtinuit: *Tu es Petrus & ſuper &c.* Eſt ergo prima Petri Apoſtoli Sedes „Eccleſia romana. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco ejus diſcipulo, & Evangeliſta conſecrata eſt; ipſeque a Petro Apoſtolo in Ægyptum directus verbum veritatis praedicavit, & glorioſum conſummavit Martyrium. Tertia vero Sedes apud Antiochiam „ejusdem B. Petri Apoſtoli nomine habetur honorabilis, eoquod illic, „priusquam Romam veniſſet, habitavit,' & illic primum nomen Chriſtianorum novellae gentis exortum eſt." Itaque cum Alexandriae, & Antiochiae primi Epiſcopi authoritate ceteris ſuperiores, fuerint B. Petri Delegati; Apoſtolis coaevae merito cenſeri debent hujusmodi cum Facultatibus Delegationes: & ſtabiles quidem, vel certis Perſonis, ut illa Tito, & Timotheo, vel ipſis Sedibus affixae, ut Alexandrinae, & Antiochenae.

§. 4.

Praeter illos, quos *ordinarios* hodierno loquendi more vocaveris Delegatos alia quoque ad ſingulare aliquod negotium reſtrictarum Legationum exempla ſuppeditat primaeva antiquitas. Ita S. Clementis romani prima teſtatur epiſtola, ad ſedandas Corinthiorum diſcordias, qui ſacerdotes ab Apoſtolis ordinatos officio ſuo dejicere auſi fuerant, ex romana Eccleſia miſſos fuiſſe abs dubio cum debita jurisdictone Claudium, Ephebum, Valerium, Vitonem, & Fortunatum *). Rem itaque, quam jure divino, & naturali demonſtravimus firmiſſime fulciri, jam etiam ab ipſis Eccleſiae incunabulis

*) Epiſt. 1. ad Corinth in fine.

cunabulis fuiſſe in uſu hiſtorica, quae reſtant ex illa vetuſtate, documenta loquuntur. Modum vero Nuntios *a Latere* mittendi in terris exteris fixas ſibi ſedes erecturos ſi recentiorem dicas, & primitiva illa Eccleſiae aetate incognitum; ego quidem id non moror, quamvis tibi poſſem Marcum appellare. Tempora mutata ſunt, hinc & modos rerum mutari neceſſe erat. Cibo ad vitam nutriendam indiget homo parvulus æque, ac adultus; alius tamen alimentorum modus adulto convenit, quam parvulo. Da nobis ſanctos primi illius ævi mores ſicut in grege fidelium, ita in ipſis Paſtoribus; & hac tantum conditione poſita jure penes eccleſiaſticam politiam reduci ad priſtinam illam formam debere: imo ne tum quidem id jure petes; illo enim ſævientis perſecutionis tempore nondum erat firma quædam exterioris regiminis diſciplina, ſeu fixa eccleſiaſticæ politiæ forma, quæ primum conceſſa Eccleſiæ tranquillitate ordinari, ac firmo quodam pede ſtabiliri poterat. Aut num tu deſiderabis Epiſcopos & Archiepiſcopos, ſicut ab origine Apoſtolos, piſcando & fabricando iterum debere ſuum victum mereri?? An forte Nuntius apoſtolicus cum ſplendore ſummum Chriſtianorum Sacerdotem repræſentante tunc ad Principum paganorum aulas miſſus fuerit, cum ipſis Ordinariis locorum non licuerit ſe publice infidelibus præbere ſpectandos? Sapere oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem: Ne quid nimis! Si Eccleſiæ pacem amas, ſufficiat tibi jam inde ab Apoſtolis Delegationes jurisdictionis, ſeu ſtabiles ſeu momentaneas, hoc eſt, vel ad generale quoddam *perdurans*, vel ad ſingulare *tranſiens* negotium, prout utile viſum, in uſu fuiſſe.

§. 5.

Atque hoc amplius antiquiſſimi ac œcumenici Sardicenſis Concilii canone confirmatur, apud Græcos quinto, apud Dionyſium ſeptimo: qua occaſione iſtorum Canonum ſedulam claramque explicationem præc. Coroll. Artic. 3, §. 7 uſque ad finem a me datam perquam cuperem relegendam. Patres enim Sardicenſes pontificium jus Delegationum cum jurisdictione conjunctarum tamquam rem perſpectam omnibus, atque indubitatam præpoſuerunt, hocque ſuppoſito integrum Papæ declararunt, ſi modo dignum judicaverit, ut Legatos in provincias mitteret ad judicia Epiſcopalia majore cum authoritate inſtauranda, vel etiam reformanda. *Tria hic* ſingulariter obſervatu digna ſunt: 1*mo* hunc Canonem non eſſe novi juris Legatos mittendi inſtitutionem, ſed hoc, ſuppoſito jure, tamquam quod omnibus exploratum eſſet, tantum declarationem ſubmiſſionis erga id, quod romanus Pontifex decreverit: 2*do* Patres crediſſe, hoc idem jus Delegationum non praeciſe in romano Patriarchatu, ſed in divino S. Petri Primatu eſſe fundatum ſecus, non pro ipſo Oriente, & quidem Patriarchalibus

bus etiam Sedibus hunc Canonem ſtatuere, neque tantam in cauſſis Orientalibus authoritatem romanis Legatis adjudicare potuiſſent: 3*tio* pontificiam juriſdictionem etiam in foro *contentioſe* ab Orientalibus aeque, ac occidentalibus Catholicis fuiſſe agnitam, pro arbitrio Papae vel dubiis in caſibus, an res tanti ſit, exercendam; quanto magis in cauſſis gravioribus fidei, vel diſciplinae dicendum eſt eam, quam nunc vocant *voluntariam* juriſdictionem, in Papa reſpectam fuiſſe? Hunc certe animi ſui ſenſum ſatis aperte demonſtrarunt Patres Sardicenſes in ſua ſynodica ad Julium P. epiſtola, ubi a Domini Sacerdotibus, hoc eſt, Epiſcopis ſponte ſua in hujusmodi cauſſis *ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuscunque provinciis referendum* ſtatuerunt, *NB.* de Orientalibus etiam, non tantum romano Patriarchatui ſubjectis provinciis.

§. 6.

Si Concilii Nicaeni etiam Canonem ſextum attente, ac tranquille ponderes, ſuas Patriarchis Alexandrino, & Antiocheno praerogativas invenies non alio, quam S. Petri reſpectu confirmatas, eoque ex fine cum romanae Cathedrae Epiſcopo illos fuiſſe comparatos, ut ſicut huic praecipuus honos in Eccleſia ſervatus eſt, *quia & urbis Romæ Epiſcopo parilis mos eſt*, ita & illis antiqua conſuetudo praerogativae ſupra alias ſibi ſubditas Eccleſias ſervaretur, hoc eſt, ut Alexandrinus Epiſcopus per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolin ſupra omnes alios haberet poteſtatem, Antiochenus autem ſupra quindecim Provinciarum ſtricte ſic dicti Orientis Epiſcopos. Has duas, quippe S. Petri Cathedras reliquis in Oriente omnibus Eccleſiis, ipſi etiam Matrici Hieroſolymitanae jam inde ab origine vides authoritate praevaluiſſe. Unde haec authoritas, niſi ex Apoſtolorum Principis delegatione? Enimvero ex antiquiſſimis Eccleſiae monumentis pro noſtris diebus ſumme memorabile eſt, S. Marci tantum a Petro delegati diſcipuli Cathedram ceteris, etſi Apoſtolorum Sedibus, ſuperiorem jam ab initio fuiſſe habitam. Ita nimirum verum eſt eam, quæ antiquitus Patriarcharum fuiſſe legitur, ſuperiorem ſupra alias Eccleſias juriſdictionem haud eſſe aliam, quam ex S. Petri Primatu ceu fonte ſuo derivatam, hoc eſt, delegatam. Idem quoque de antiquiſſimo totius Africæ Primate. Carthaginenſi ſentiendum ex Tertulliani Teſtimonio: *Si Italiæ adjaces, Romam habes, unde nobis quoque authoritas præſto eſt* *). Omnis in Eccleſia juriſdictio, ut cum S. Cypriano loquar, a Petro Apoſtolorum Principe eſt, ſicut ex ſole radius, ſicut ex radice arboris ramaſculus, ſicut ex fluminis fonte rivulus. Ita Patres noſtri crediderunt, ita docuerunt, ita nobis Poſteris traditum eſt, idque Catholicum. Chriſtus ipſe in uno Petro totam fundavit, primitusque repoſuit

*) Lib. de Præſcript.

poſuit jurisdictionem, eidem regni cœleſtis claves tradendo cum poteſtate quidquid ſolvendi, ligandive: Parum refert, an primitus in Petro fundatam jurisdictionem Chriſtus *per ſe ipſum* in alios Apoſtolos, an *mediante* Petro extenderit: hoc certum, ac de fide eſt, illimitatam eſſe in Petro jurisdictionis plenitudinem, & nonniſi dependenter a Petro ad omnes alios Apoſtolos, illorumque Succeſſores extenſam in Eccleſia dari jurisdictionem.

ARTICULUS III.

De Legationibus pontificiis in Oriente poſt Sardicenſe Concilium.

§. 1.

Pace ab exteris hoſtibus Eccleſiæ reddita, internis falſorum fratrum, ſeu Haereticorum diſſidiis, graviſſimisque ſcandalis per ipſos gregium Paſtores excitatis, Chriſti Sponſae graviora certe vulnera diabolus inflixit. Quare pontificia poteſtas, quae veluti quieſcere antea videbatur Paſtoribus raro admodum ſuo ab officio deflectentibus, jam evigilare totaque ſua authoritate quaſi aſſurgere debuit non, ut quidam Sanctos Domini calumniantur, ſeſe amplificandi gratia, ſed ad coercendos improbos neceſſitate cogente. Primi Orientis Archiepiſcopi, ſeu Patriarchæ apoſtolico fulmine proſtrati, quantum ſupra omnem Eccleſiae Principatum divina Petri Authoritas praevaleret, ſuo experimento demonſtrarunt. Ita Neſtorius Conſtantinopolitanus a Pontifice Cœleſtino I, ita Dioſcorus Alexandrinus juſſu Leonis M. in Concilio Chalcedonenſi, ita Petrus Fullo Antiochenus a Felice P. III authoritate Acacio Conſtantinopolitano delegata, ita demum idem Acacius pro ſuis meritis ab eodem Pontifice, patriarchalibus Sedibus ſunt dejecti, quas Patriarcharum depoſitiones, aliasque plures contra Acacii defenſores in una epiſtola a. 493 contexuit Gelaſius P. hisce verbis: „In hac ipſa cauſſa „Timotheus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus, Petrus, Paulus, & Jo„annes, & ceteri, non ſolum unus, ſed plures utique nomen Sacerdotii „praeferentes ſola Sedis apoſtolicae ſunt authoritate dejecti. Cujus rei te„ſtis etiam ipſe docetur Acacius, qui praeceptionis hujus extitit executor. „Hoc igitur modo recidens in conſortium damnatorum & damnatus.“ *Itaque* vel primarii Orientis Praeſules romanae S. Petri Cathedrae ita erant ſubjecti, ut ab eadem etiam exauthorari poſſent, ejusdemque jurisdictionem ſupremam ita venerabantur, ut eam ſibi delegatam honori ducerent.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Id adhuc in ſpecie de Alexandrina, Orientis primaria Sede ex præſtanti documento quinti ſeculi conſtat, quod apud le Quien *) invenio, ubi in libello hujus Eccleſiæ nomine Anaſtaſii P. II Legatis oblato, hæc leguntur: „Venerabiles ſanctæ Eccleſiæ, romanæ Urbis, atque Alexandri„næ, non ſolum fidem rectam, & immaculatam, ex quo ſalutaris in eis „prædicatus eſt ſermo, ſed etiam in divino miniſterio concordiam ſervave„runt. Quippe cum ab uno fuerit in utriſque jactum fidei fundamentum „(Petrum memoramus beatum Apoſtolum, cujus per omnia S. Evangeli„ſta Marcus extitit imitator) ita ut ſi quando contigerit in rebus ambi„guis quædam Epiſcoporum concilia celebrari, Sanctiſſimus is, qui romanæ „præſideret Eccleſiæ, Reverendiſſimum Alexandrinæ civitatis Archiepiſco„pum deligeret, ut ſui curam loci ſuſciperet.“ Exemplum hujusmodi Delegationis exhibet S. Cyrillus, qui Cœleſtini P. authoritate Neſtorium Conſtantinopolitanum damnavit, & Epheſino Concilio præfuit.

§. 3.

Quæ adhuc ſuperſunt, genuinæ S. Leonis epiſtolæ teſtantur, magnum hunc Pontificem pluribus Delegationibus ſuam, quam a S. Petro haberet, ſuperiorem jurisdictionem etiam in Oriente exercuiſſe. Sic pro fide vera contra Eutychianum errorem declaranda e Latere ſuo Legatos miſit, *qui defenſioni veritatis aſſiſterent* **), quibus tamen, prout moderationi congrueret Sacerdotum, facultatem conceſſit, *ut ſi condemnatus Presbyter* (Eutyches) *plena ſatisfactione corrigatur, ſententia, qua obſtrictus eſt, relaxetur: ſi vero in eodem inſipientiæ ſuæ luto jacere delegerit, ſtatuta permaneant* ***). Alios etiam duos Legatos, Lucentium Epiſcopum, & Baſilium Presbyterum Conſtantinopolin miſit, quibus & Anatholium hujus civitatis Præſulem ſociavit, ut lapſos Epheſi, factique pœnitentes ad communionem cum pœnitentiæ indulgentia reciperent iis exceptis, *qui in hac cauſſa gravius cum aliorum ſcandalo peccavere:* horum enim ſatisfactionem *maturioribus apoſtolicæ Sedis conſiliis* voluit reſervatam ****). Neque ſolum ad ſingulare quoddam, & tranſitorium negotium, ſed & pro generali, & ſtabili redintegrandæ fidei ſolicitudine mox poſt Concilium Chalcedonenſe Julianum Coenſem Epiſcopum ad Aulam imperatoriam delegavit, *ut ſuas ibi vices ſuppleret* *****). Hæc profecto antiquiſſima Nuntiorum in Oriente forma eſt fere

*) Oriens chriſtianus. Tom. 2, p. 335. Pariſ. 1740.
**) Epiſt. 32. edit. Ballerin.
) Epiſt. 34. *) Epiſt. 85. *****) Epiſt. 113.

Digitized by Google

fere ad eundem modum, quo hodiedum *de Latere* ad magnorum Principum aulis ſolent delegari.

§. 4.

Bonus alias Thomaſſinus hoc loco dormitat, multumque fallitur, dum hanc ſtabilem quidem, ſed jurisdictione vacuam, tantum pro vigilanti inſpectione, & apud Imperatorem mediatione fuiſſe Legationem exiſtimat *). Ipſa enim repugnant formalia S. Leonis verba, quibus ad opprimendas hæreſes Neſtorianam, & Eutychianam Juliano ſingularem curam commendat ſub hac tantummodo cautela, ne ordinariam cauſſarum, quæ ad Eccleſiæ cujusque Præſulem ſpectant, diſquiſitionem perturbet: exceptio certe, ſeu *cauſſarum ſequeſtratio* locum habere non poteſt, ubi nulla datur *jurisdictio.* Præterquam quod ipſa inſpectionis publicæ poteſtas a legitimo data Superiore jam ſua ex natura ſit magna quædam jurisdictionis facultas; neque etiam ſcopus, quem S. Pontifex intenderat, Hæreticorum auſibus reſiſtendi, potuiſſet ſine vigore & efficacia authoritatis obtineri. Hæc autem omnia Legationis litteræ ſatis aperte loquuntur: „Conſulente dilectione tua de „his, in quibus putaveris ambigendum, non deerit relationibus tuis meæ „reſponſionis inſtructio, *NB.* ut ſequeſtrata earum actione cauſſarum, quæ „in quibusque Eccleſiis Præſulum ſuorum debent cognitione firmari, hanc „ſpecialem curam vice mea functus aſſumas, ne hæreſis vel Neſtoriana, vel „Eutychiana in aliqua parte revireſcat: quia in Epiſcopo Conſtantinopolitano catholicus vigor non eſt, nec multum aut pro Sacramento ſalutis humanæ, aut pro ſua eſt æſtimatione ſollicitus; cum, ſiquid illi ineſſet ſpiritualis induſtriæ, ita & a quibus ordinatus ſit, & cui viro ſucceſſerit, „cogitare deberet, ut magis B. Flavianum, quam ſui honoris ſequeretur „auctores.“

§. 5.

Frivola eſt quorumdam exceptio, eam non fuiſſe *ſtabilem* Legati jurisdictionem, quippe quæ ad relationes quaslibet cauſſarum a papa *ſingulariter* delegari debuit. Certum eſt enim, vel ipſam publicæ inſpectionis a Superiore conceſſam facultatem jam eſſe generalem quamdam, magnamque jurisdictionem; ad hujus vero pro quibusdam ſingularibus, præcipue ambiguis caſibus exercitium plane exigit neceſſaria Legati a ſuo Principe dependentia, ut hoc inconſulto nihil ille præſumat. Hinc obſervandum eſt, quod S. Leo non in omnibus, ſed tantum *ambiguis* caſibus ſuum Legatum juſſerit a ſe conſilium petere. Præterea quam inutilis ſit hæc, vanaque noſtris

*) Vet. & nov. Diſcipl. P. 1, L. 1, Cap. 117, n. 6.

Digitized by Google

noſtris diebus cavillatio, facile quisque perſpiciet: ſi enim pro *ſpecificis* caſibus Pontifex ſuo in terris alienis reſidenti Nuntio delegare poteſt jurisdictionem; cur non poſſit *generaliter* eandem pro caſibus ipſo jure ſibi reſervatis alteri committere? Certe non hic ullum eſt poteſtatis diſcrimen, ſed negotiorum: alia ſunt plani juris, aut minoris momenti; alia vero difficillimæ indaginis, aut graviſſimi ponderis: non illa, ſicut hæc a Legato ad Principem referri debere manifeſtum eſt.

§. 6.

Exemplum S. Leonis ſecuti poſteriores Pontifices perpetuos ſuos in aula Imperatoris Nuntios, græco nomine *Apocriſiarios*, latino *Reſponſales*, maxime proprio autem *Commiſſarios* conſtituerunt: & iſti quidem non amplius Epiſcopi, ſed Diaconi fuerant; ſiquidem cum jam fixa eſſet, & perpetua eorum Conſtantinopoli Sedes, ab Eccleſia autem ſua perpetuo abeſſe Epiſcopis non liceret, potius Diaconis hoc muneris conveniebat. Itaque romani Pontifices ſexti ſeculi, Agapetus, Sylveſter, Vigilius, Pelagius, Gregorius M. aliique ſuos in aula Imperatoria habuiſſe Apocriſiarios leguntur, quorum magna valde in Oriente dignitas fuit & auctoritas: Epiſcoporum ſiquidem ordinationes, aliaque majoris momenti negotia ejusdem Pontificis nomine, cujus vices gerebant, ſua roborabant præſentia. Tantam hisce pontificiis Legatis, etſi dumtaxat Diaconis reverentiam Eccleſia exhibuit, ut plerique veluti ex proximo gradu ad ſummum uſque Pontificatum aſſumerentur, uti Pelagius I., Gregorius M. Sabinianus, Bonifacius III., Martinus I. Quam longe alia tunc in veteri Eccleſia ante Iſidorum ſenſa fuerunt, quam longe major ſummi Sacerdotis vel in Legatis ſuis æſtimatio, ac hodiernis diebus non apud Iſidorianos certe, ſed Febronianos! Dic Sodes! quinam veterum illam obedientiæ diſciplinam, & ſanctam concordiam unice a JESU deſideratam corruperint!

§. 7.

Aquam cribro hauriunt, qui poſt Petrum de Marca vel in dubium vocare laborant, an iſtorum Legatorum authoritas cum quadam jurisdictione conjuncta fuerit: hiſtorica enim documenta nimis clare contra illos teſtantur. Ut ad Pelagium I redeamus; is adhuc Apocriſiarius cauſſam Pauli Epiſcopi Alexandrini dijudicavit una cum Epiſcopis Antiocheno, Hieroſolymitano, & Epheſino ad eamdem cauſſam ab Imperatore delegatis. Rem diſſerte narrat Liberatus Carthaginenſis Diaconus ſcriptor coævus in Breviario: *) „Miſit Imperator Pelagium Diaconum & Apocriſiarium primæ

 „Sedis

*) Cap. 23.

„Sedis Romæ Antiochiam cum Sacris ſuis, quibus præcepit, ut cum Ephre-„mio ejusdem urbis Epiſcopo — venirent Gazam, & Paulo Epiſcopo Pal-„lium aufferrent, & eum deponerent. Pelagius cum memoratis Patriar-„chis, & Epiſcopis venit Gazam, & auferentes Paulo Pallium depoſuerunt „eum." Inane effugium eſſe, eoquod hæc ſpecialis jurisdictionis commiſ-ſio fuerit, & tranſitoria non ſtabilis Delegatio, jam ſupra §. 5 ſatis oſtenſum eſt. Quomodo Imperator id negotii ſpecialiter committere Pelagio potuiſſet, niſi jam antea generaliter eccleſiaſtica jurisdictione prædito?

§. 8.

Sed etiam ſtabile jurisdictionis delegatae tribunal, & pro foro quidem contentioſo epiſtolae S. Gregorii plane demonſtrant. Hiſtoriam ex *Fleurio* *), quam Coroll. I, §. 10 jam attuli, hoc loco rememorare *certe operae* pretium eſt. Adrianus Thebarum Epiſcopus a quibusdam Clericis apud Archiepiſcopum Lariſſaeum accuſatus, atque ab eodem condemnatus, arctoque carceri injuſte incluſus, refugium tamen ad Imperatorem Mauritium invenit, qui hanc appellationem Honorato romani Pontificis Nuntio, ſeu Apocriſiario Conſtantinopoli examinandam commiſit: ita generalem, ſtabilemque in hoc Legato jurisdictionis a Papa delegatae facultatem agnovit. Attamen adverſariis Adriani non acquieſcentibus ad Joannem primae Juſtinianae Epiſcopum, Illyrici Primatem, & ſanctae Sedis Vicarium cauſſa haec remiſſa eſt: cumque Adrianus Primatis judicio iterum cecidiſſet, ad ipſum Papam S. Gregorium appellabat. Pontifex diu exſpectatis Juſtinianaei Legatis acta tam a judicio Metropolitae, quam & Primatis ad ſe avocavit, novoque examini ſubjecit, nec non utrumque prius judicium plane illegitimum declaravit, Primati pœnitentiam triginta dierum interim imponens. Ad Archiepiſcopum vero Lariſſaeum litteras miſit, in quibus ſub pœna excommunicationis eidem injunxit, ut ſi quam amplius actionem, criminalem vel civilem, contra Thebarum Epiſcopum ſua jurisdictione jam exemtum haberet, *apoſtolicis Nuntiis, qui Conſtantinopoli eſſent, judicium deferret.* En expreſſis verbis ſtabile tribunal pontificiae Legationis Conſtantinopoli erectum!

§. 9.

Sunt, qui hoc tam apertum documentum prætextu ſaltem *quodam* obſcurare nitantur, eoquod tota hæc cauſſa Thebani Epiſcopi utpote ex Illyrico non ad orientalem, ſed ad occidentalem Patriarchatum pertinuerit. Quocumque autem ſe vertant, nullibi his aſilii locus: nam ipſum Nuntiaturae

*) Hiſt. eccleſ. L. 35, §. 27.

Digitized by Google

turæ tribunal extra Occidentis Patriarchatum, nempe Conſtantinopoli ſubſiſtebat; neque ſolum pro occidentalibus, ſed quam maxime pro cauſſis orientalibus, id quod ex eodem Fleurio mox ſed. §. 28 patet. Presbyteros enim Conſtantinopolitanos injuriam paſſos S. Pontifex Gregorius a ſuo Nuntio ibidem tunc commorante, Sabiniano dijudicari juſſit *). Quod vero hic animadverſione dignius eſt, proprio ore ſe damnant Febroniani, qui quo magis S. Petri Primatum deprimere queant, eo altius Patriarcharum poteſtatem extollere non dubitant, illisque larga manu attribuunt jus Delegationum etiam cum jurisdictione conjunctarum, quod tamen univerſali Eccleſiæ Primati, qua poſſunt vi, & fraude ſurripere allaborant. Si tanta fuit antiquitus vel patriarchalis poteſtas, quæ nonniſi rivulus erat ex univerſali flumine ab hominibus quaſi alienatus; quantam oportet hodiedum agnoſcere pontificiam jurisdictionem, in qua divino inſtituto omnis Poteſtatis plenitudo collecta eſt? Quid demum prætenſio patriarchalis authoritatis noſtrorum Archiepiſcoporum Curialiſtas juvat? Si nolunt obedire Pontifici, debent obedire Patriarchæ, qui idem eſt, cumque antiquam affectent diſciplinam, eo amplius patriarchali dignitati ſubmittere metropoliticam debent, quo certius eſt, Patriarchalis olim ſubjectos Archiepiſcopos fuiſſe. Fucum faciunt Curialiſtæ germani, dum Archiepiſcopos noſtros illis antiquis Patriarchis, ſive primi Ordinis Archiepiſcopis, qui plures alios ſecundi Ordinis infra ſe habebant, ſtudent æquiparare.

§. 10.

Dignum adhuc reflexione eſt, quod illo præciſe tempore, quo ſub ſanctis Pontificibus Leone I, & Gregorio I Legatorum romanorum authoritas in Oriente præcipue ſplenduit, Conſtantinopoli Anatholius, & Joannes Epiſcopi ſederint, quos ut ne ſuperbos dicam, certo tamen conſtat, ultra quam par erat, prærogativæ Sedis ſuæ ſtudioſos fuiſſe. Quid rei eſt, quod tanti illi Epiſcopi propter ſua jura diœceſana, quæ Nuntii quacumque facultate nunc violari creduntur, nulla tunc gravamina moverint, nec conqueſti fuerint, in eadem civitate Conſtantinopolitana duo tribunalia eccleſiaſtica erigi, ſibique opponi? Quid, quod etiam agnita Pontificis Legatione humiles eidem litteras perſcripſerint? Quid, inquam, inde concludendum, niſi quod neceſſario ſequitur, olim alia prorſus, quam hodie apud nos multorum ſint, Eccleſiæ etiam Orientalis ſenſa viguiſſe de ſuprema & illimitata ſummi Sacerdotis in univerſum orbem jurisdictione, quam etſi abſens, ſuos tamen per Legatos exercere ſine ullius controverſia poſſet?

*) Vide hac ſuper re ipſius Fleurii Notam cit. §. 27.

§. 11.

Enimvero tantum aberant ſancti illius ævi Epiſcopi, etiamſi Orientales a falſa perſuaſione, per ſummi Pontificis Legationem ſua divinitus conceſſa jura violari, ut potius ipſi ſanctis deſideriis ad curanda Eccleſiæ vulnera auxiliatricem apoſtolicæ Delegationis operam exoptarint. Teſtis eſt S. Baſilius Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus, qui ad S. Athanaſium ſcribens declaravit, quantum utilitatis ad primævam fidei & diſciplinæ integritatem reſtituendam ex pontificia Legatione emerſurum ſperaret *): „Viſum eſt mihi conſentaneum, ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut quæ hic „geruntur, conſideret, & ſententiam ſuam expromat: & quoniam difficile „eſt, ut communi ac ſynodico decreto aliqui illinc mittantur, ipſe ſua auctoritate in iſta cauſſa uſus, viros eligat ad hoc accommodos, ut manſuetudine & facilitate ingenii eos, qui diſtorti & obliqui apud nos ſunt, corrigant, apte & diſpenſatorie ſermonem attemperantes, omniaque ſecum „habentes, quæ in Arimino geſta ſunt, ad ea reſcindenda, quæ illic per „vim geſta ſunt."

§. 12.

Demum de poteſtate jurisdictionis, eaque ſtabili, quam Pontifex ſuo Nomine Delegatis plena libertate committeret, neminem tunc dubitaſſe epiſtola teſtatur Conſtantini Pogonati anno 682 ad Pontificem Leonem II data, in qua Imperator pro revocanda priſtina conſuetudine mittendum petit Apocriſiarium, qui Pontificis perſonam referret *in emergentibus ſive dogmaticis, ſive canonicis, ac prorſus in eccleſiaſticis omnibus negotiis.* Quam largæ Facultates pontificii Nuntii, quas Oriens non reſpuit, ſed dari a Papa petiit ſeculo ab Iſidori decretalibus adhuc puro, id eſt, ſeptimo! & Germania nunc ſeculo ſupra decimum octavo? — Lege verba Imperatoris apud Harduinum **): „Hortamur veſtram ſanctiſſimam Summitatem, ut quamprimum mittat deſignatum ab ea Apocriſiarium, ut in regia noſtra urbe degat, & in emergentibus ſive dogmaticis, ſive canonicis, ac prorſus in „eccleſiaſticis omnibus negotiis Veſtræ Sanctitatis exprimat, ac gerat perſonam." Ex Oriente antiquo diſce nunc novam, non Occidentis quidem totius, ſed Germaniæ doctrinam in Curiis Archiepiſcopalibus dijudicare.

ARTI-

*) Epiſt. 52. **) Conc. Tom. III. Col. 1468.

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De pontificiis Legationibus in Occidente usque ad S. Bonifacium.

§. 1.

Jam inde a primis ſeculis in locis a Pontifice romano nimium diſſitis, nec uni cuidam Patriarchæ, vel Primati ſubditis, quorum authoritas jam ab origine non alia, quam ex illo univerſali fonte Petri Primatus derivata fuerat, apoſtolicæ Sedis Vicarii conſtituebantur, non tantum, quod falſo noſtrorum quidam aſſerunt, vi occidentalis Patriarchatus, quaſi id juris ſanctæ Sedi ab hominibus impetratum fuiſſet, ſed vi ipſius apoſtolici Primatus divino jure fundati, id quod ipſæ antiquorum Pontificum litterae non raro profitentur. In tanta, quæ hic occurrunt, documentorum copia difficilius eſt contrahere vela, quam expandere. Damaſus, Siricius, Anaſtaſius ſeculi quarti Pontifices pro toto Illyrico Theſſalonicenſem Epiſcopum tamquam Primatem, hoc eſt, ſuæ apoſtolicæ Authoritatis Vicarium denominarunt, quorum exempla ſecutus Innocentius I, in eodem munere Anyſium jam a ſuo Anteceſſore delegatum confirmavit, ita ad eum ſcribens *): „Cui etiam anteriores tanti, ac tales viri prædeceſſores mei Epiſcopi, „id eſt, ſanctae memoriae Damaſus, Siricius, atque ſupra memoratus vir „(Anaſtaſius) ita detulerunt, ut omnia, quae in iis partibus gererentur, „Sanctitati tuæ, quæ plena juſtitiæ eſt, traderent cognoſcenda; meam quo„que parvitatem hoc tenere judicium, eamdemque habere voluntatem te „decet recognoſcere.“

§. 2.

Hujusmodi delegationem pro cauſſis cognoſcendis idem Pontifex Rufo in Theſſalonicenſi Sede Anyſii Succeſſori conceſſit, ſimulque regiones recenſuit, ad quas illa Legatio extenderetur, his verbis **): „Ut prudentiæ, gravitatique tuæ committendam curam, cauſſasque, ſi quæ exori„antur per Achajae, Theſſaliae, Epiri veteris, Epiri novae, & Cretae, Daciæ „mediterraneæ, Daciae ripenſis, Mœſiae, Dardaniae, ac Praevali Eccleſias „Chriſto Domino annuente cenſeam.“

§. 3.

*) Apud Couſtant. Epiſt. 1 ad Anyſ.

**) Epiſt. 13 ad Ruf.

§. 3.

Eumdem Rufum ad muneris ſui apoſtolici diligentiam Bonifacius I animat propoſita ipſius S. Petri, cujus vice fungeretur, praeſentia: *) „Intuetur enim te, ut epiſtolis tuis ipſe fideliter es locutus, Beatiſſimus „Petrus Apoſtolus oculis ſuis, qualiter ſummi Rectoris utaris officio: nec „poteſt tibi eſſe non proximus, qui Paſtor dominicarum ovium eſt perpe„tuus conſtitutus, aut aliquam ubivis poſitam Eccleſiam non curare, in quo „univerſalis Eccleſiae poſitum legimus fundamentum. Te ergo, Frater ca„riſſime! omnis cura reſpectat earum Eccleſiarum, quas tibi *vice Sedis apo„ſtolicae* a nobis creditas recognoſces, ut & prava corrigas, & diſſipata com„ponas, & ſi quae inter Epiſcopos eveniant cauſſae, ſub divini judici ti„more diſtinguas, ut creditis tibi a Sede apoſtolica gubernaculis *contra om„nes* fluctus naſcentium procellarum juſte, & prudenter utaris."

§. 4.

De Anaſtaſio Rufi Succeſſore tam in Sede Theſſalonicenſi, quam apoſtolico Vicariatu ad Synodum Epiſcoporum Xyſtus P. III haec ſcripſit **) „Nos Fratri & Coepiſcopo noſtro Anaſtaſio tantum tribuimus, quantum „Deceſſoribus ipſius a noſtris Deceſſoribus attributum. Priorum judicium „ſequimur haec conſtituendo, quae ab his novimus conſtituta, quin & ipſum „hujus probamus meriti, cujus fuerunt illi qui talia meruerunt. Nullus obviet ſalubribus conſtitutis, nullus praeceptionibus his reſultet. Habeant „honorem ſuum Metropolitani ſingularum (provinciarum) ſalvo hujus pri„vilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In provincia ſua jus „habeant ordinandi, ſed hoc inſcio, vel invito, quem de omnibus volumus „ordinationibus conſuli, nullus audeat ordinare. Ad Theſſalonicenſem *ma„jores* cauſſae referantur Antiſtitem."

§. 5.

Quid ad haec tam antiqua documenta noſtrorum Archiepiſcoporum Curialiſtae? Haec omnia, ajunt, ſine Metropolitarum aliorumve Epiſcoporum praejudicio facta ſunt, prout expreſſe in ſuis epiſtolis Pontifices Innocentius, Xyſtus, Leo, aliique declararunt. Bene eſt, accipio. Tunc *ergo* temporis, hoc eſt, quinto ſeculo, etſi ſatis ampla juriſdictione, *qualem* vidimus, Pontificis Vicariis delegata, Epiſcoporum tamen aut Metropolitarum ſalva conſiſtere jura ordinaria credebantur. Atqui hoc manifeſtae falſitatis, imo & iniquitatis convincit hodiernam praetenſionem, quaſi omnis delega-

*) Epiſt. 5 ad Ruf.

delegatæ jurisdictionis facultas jam ſua ex natura epiſcopalium jurium violatio foret: ſummo enim Pontifici inaudito attentato prohibetur *cum facultate quacumque* Nuntium mittere. Quid eſt hoc, niſi ſubditos ſuo Capiti dominari, & repugnare ad violentiam uſque, toto ſiquidem Imperio ad reſiſtendum evocato? His accedit, quod fatente Zalweinio *), ſi qui forte exceſſus in Delegationibus contigerunt circa res beneficiarias, vel judiciarias, illarum jam facta ſit ad æquum reſtrictio tam per concordata Germaniæ, quam per ipſam Ss. Synodum Tridentinam. Supereſt Catholicis ut credant ſanctiſſimi Papæ noſtri Pii VI aſſerto in Bulla ad Friſingenſem Epiſcopum die 18 Octobr. anno 1786: „Induci non debes ad ullam formidinem, „ne tua ordinaria jura lædantur, cum id accidere omnino non poſſit, ſtatim ac non aliam auctoritatem habet novus Nuntius, quam quæ hactenus „ſine ullo ordinariorum jurium detrimento ab aliis Nuntiis fuit exercita.“

§. 6.

Neque ſolum in Illyrico, verum etiam in Gallia, Anglia, Hiſpania, Sicilia, Pontificis romani auctoritate delegati Primates, ſeu Sedis apoſtolicæ Vicarii exiſtebant, quos brevitatis ſtudio omnes præteribo, ſolis illis pro Gallia exceptis propter ſingularem noſtræ Germaniæ, & antiquiſſimam a Gallis dependentiam, ita ut non ſolum profanæ, ſed & eccleſiaſticæ politiæ apud nos ſtabilitæ fundamentum illa gallicana videatur. Quid quod in ipſam adeo Africam, etſi paulo ante pontificiis Legatis admodum inimicam, S. Leo Potentium Epiſcopum miſit, *qui curæ ſuæ vices gereret* **)? Ceterum cum africana illa controverſia adverſus pontificium Nuntium quotidie iterum recoquatur, præter jam dicta Coroll. præc. Artic. 4, §. 21 in tanta rei, ut illa eſt, obſcuritate vix quidquam videtur hiſtoricæ veritati, & vel naturali æquitati conformius ad Romanos æque, ac Afros ab iniquis cenſuris vindicandos, quam quod laudatus Thomaſſinus ſcripſit ***): „Incomperta prorſus erat Afris tunc Epiſcopis Sardicenſis Synodus, quam„quam ei adfuiſſet Gratus Carthaginenſis Epiſcopus. Itaque non facile ve„nire poterat illis in mentem, Sardicenſes Canones a Zoſimo pro Nizænis „ſibi venditari: quod eo factum erat, quod ſolerent canones ſemper recen„tiores codici canonum vetuſtiorum ſubjungi, in quo primo loco erant Ca„nones Nizæni, ex quo fiebat, ut & quandoque citarentur omnes nomine „Canonum Nizænorum. Ita Gregorius Turonenſis Canonem Concilii Gan„grenſis laudavit alicubi pro Canone Nizæno. Ita dicti ſunt Canones Apo„ſtolo-

*) Tom. 4, Quæſt. 2, Cap. 2, §. 4. **) Epiſt. 12, ad Epiſc. Afric.
***) Part. 1, Lib. 2, Cap. 117, n. 11. Cap. 118, n. 11.

„ſtolorum, dictæ ſunt & apoſtolicæ Conſtitutiones. Ita Nizæni Canones di-„cuntur, qui in Collectione circumferuntur arabica, quia poſterioribus ſe-„culis Codici Canonum Nizænorum, vel apoſtolicorum adtexti ſunt recen-„tiores Synodorum Canones, ita ut tota compilatio primævo ſemper no-„mine deſignaretur Nizænorum, vel apoſtolicorum Canonum. — — Fru-„ſtra ſunt ergo Novatores, qui hic aucupati ſunt anſam debacchandi in ro-„manos Præſules, eosque hac impetendi quaſi conſpiratione Epiſcoporum „Afrorum. Non enim hæc erat Afrorum Præſulum conſpiratio, ſed hal-„lucinatio, & ſtupenda hiſtoriæ eccleſiaſticæ, Conciliorumque, & Canonum „neſcientia, facile hominibus condonanda ultra maria ſubmotis, & tempo-„rum difficultati, ac locorum, per quæ tunc non facile trajici poterant in „regiones longinquas monumenta litterarum: non autem venditanda, quaſi „hinc romanis Pontificibus moleſtiæ quidquam creari poſſit, a quibus pro-„babile eſt Afros ipſos addidiciſſe, quod neſcierant, & Canones Sardicen-„ſes ſuis addidiſſe Canonum Collectionibus." Non ſolum id probabile eſt, ſed vere factum fuiſſe eventus docuit, cum brevi poſtea S. Leonis Legatum Afri receperint.

§. 7.

Hæc gallicanus Doctor Thomaſſinus longe alia, quam quæ recentiſſimus Bonnenſis Mercator falſarum mercium, Hedderichus hoſtiliter poſt Centuriatores proteſtanticos ſcripſit, *Canones Concilii Nizæni jam tunc a Romanis fuiſſe corruptos* *). Tanta in certis hominibus cordis malignitas ſæpe ex craſſa rerum ignorantia aut originem trahit, aut incrementum. Hedderichus certe ignoraſſe videtur virorum doctiſſimorum, e. g. Cardinalis d'Aguirre fortiſſima argumenta, quibus ille demonſtratum ibat, non tantum viginti Canones a Concilio Nizæno confectos fuiſſe, etſi forſitan tantum iſti in quemdam veluti *extractum* ſive *Summam* collecti, & diſperſis Eccleſiis communicati fuerint; ſed acta hujus Concilii a principio grande volumen impleviſſe, quod haud dubie Romam perlatum, & longe plura ſeu *decreta* voces, ſeu *Canones* continuiſſe, dicendum eſt. Argumentum, quod prope αναντίῤῥητον dixeris, epiſtola offert Julii I, qui a. 342, aliquot ergo annis ante Sardicenſem Synodum ad Epiſcopos Euſebianos ita reſcripſit **): „Epiſcopi in magna Synodo Nizæna congregati non citra Dei con-„ſilium prioris Synodi acta in alia Synodo diſquiri permiſerunt, ut qui „judicarent, præ oculis habentes ſecundum futurum eſſe judicium, cum „omni cautela rem expenderent. — Quodſi hujusmodi conſuetudinem anti-„quam

*) Diſſert. de jur. eccleſ. Germ. in Conventu Emſano explicatis.

**) Apud. Couſtant. Epiſt. 1, n. 2.

„quam ſane, in magna Synodo memoratam, *NB.* ſcriptamque apud vos „valere nolitis, indecora fuerit ejusmodi recuſatio.“ Ubinam in vulgatis viginti Canonibus Nizæni Concilii hoc ſcriptum eſt decretum? Couſtantius quidem nota *b* contendit, quintum hic intelligi Canonem Nizænum; ſed nemo non videt, quantam torturam hæc interpretatio & ipſi Canoni inferat, & inde extracto Julii adverſus Euſebianos argumento. Canon V enim de ſingularis Epiſcopi, forſitan paſſione ducti, judicio, non vero de Synodali loqui videtur; neque de alia reformatione judicii, quam ſolum in provinciali Synodo: hinc toto ſuo robore deſtitueretur, & potius arma adverſariis miniſtraret argumentum Julii ad ſuam romanam Synodum Orientales evocantis. Præterea poſt motam jam Afrorum de appellationibus controverſiam, quæ S. Leoni ignota eſſe non poterat, ipſe tamen Leo confidenter adhuc *ad Canonum Nizæx habitorum decreta* provocat *). Num id amplius feciſſet, ſi ſolummodo Sardicenſes Canones jus illud appellationum memoraſſent? — En ſaltem magnam dubitandi rationem!

§. 8.

Miſſa nunc hujus litis obſcuritate ad clariora redeundum documenta, & ſpecialiter quidem de gallicana Eccleſia, quorum compendii gratia tantum pauciſſima ex erudit. Selvaggio extraham **). Quinto jam ſeculo Arelatenſis Epiſcópus apoſtolicae Sedis Delegatus, ſeu Vicarius fuerat, cui majorum etiàm cauſſarum cognitio permiſſa, illis tantum exceptis, quas ipſe difficilioribus implicatas ambagibus deſinire ſua ſententia non poſſet. Manifeſte id elucet ex epiſtolis Zoſimi Papae ad Epiſcopos Galliarum, in quibus diſerte ſcribit, ſe Arelatenſi Epiſcopo in dijudicandis cauſſis, quae per Gallias exoriri poſſent, vices ſuas demandaſſe: *Ad cujus notitiam, ſi quid illic negotiorum emerſerit, referri cenſuimus, niſi magnitudo cauſſæ noſtrum requirat examen* ***). Id ipſum teſtantur aliorum Pontificum epiſtolae, uti Leonis, Symachi, Vigilii, & Pelagii, ne quid de Gregorio M. dicam, de quo ſolo integrum librum conſcribere poſſem, ſed nolim eſſe diffuſus in re omnibus abunde nota, qui vel a limine hiſtoriam Eccleſiae ſalutariat. Legimus quidem controverſias inter Galliae Epiſcopos Arelatenſem, & Viennenſem ortas, cuinam tanta apoſtolici Vicarii praerogativa competeret, non legimus autem ullius Epiſcopi contradictionem, qua Pontificis jus ſuae Poteſtatis Delegatos conſtituendi vel in dubium vocare quis auſus fuiſſet; ſed potius uſque ad S. Bonifacium, ne gallicanae quidem civitatis Metropolitam, tantum apoſtolicae Sedis Legatum, Epiſcopi gallicani

 ſumma

*) Epiſt. 43 ad Theodoſ.

**) Antiq. Chriſt. inſtit. Lib. 1, Pars 1, Cap. 16.

***) Epiſt. 1, n. 3.

ſumma reverentia apoſtolicis decretis ſe ſubmiſerunt. Unde adparet, quanto mendacio a quibusdam hodie ſpargatur, Delegationum jus pontificium a Gallia numquam agnitum fuiſſe. Primus eſt, quem Curialiſtae archiepiſcopales hodie in exemplum adducunt, Bonifacio poſterior Hincmarus. Res mira, ſuperbum hunc Monachum, etſi cetera perdoctum, uſque ad Archiepiſcopatum Rhemenſem evectum noſtris diebus adeo laudibus celebrari! De hoc mox plura.

ARTICULUS V.

De germaniæ obſervantia ab incunabulis uſque ad Lutheri reformationem.

§. 1.

Ut quam firmiſſima quacumque de re judicia ferantur, optimum ſemper naturae inſtinctu eſt viſum, in ipſam rei originem, ſeu fundamentum indagare. Et quamvis Eccleſiarum ad Rhenum antiquior hiſtoria denſis ſit involuta tenebris; id tamen pro certo conſtat, ante Ludovicum, noſtrum Bavariae ac Germaniae Regem, labente nono ſeculo illas nullo ſibi proprio regiminis jure gaviſas, ſed gallicano regimini ſicut politico, ita & eccleſiaſtico ſubditas fuiſſe. Primam germanicae Eccleſiae propriam fundationem noſtra exhibet vetus Bojoaria. Avita Ducum noſtrorum pietas, & erga apoſtolicam Sedem devotio non interrupta ſerie quaſi cum ſanguine transfuſa, atque hodiernis praecipue diebus reſplendens, ſicut nunc ſingulari gloria pro conſervandis Eccleſiarum Germaniae juribus ſeſe impendit, ita ea ipſa eſt, cui plures illarum ſuam debent exiſtentiam, fundationem, dotationem & reſpective omnes ſuam a gallicano jugo liberationem.

§. 2.

Ad radicem igitur magnae hujus arboris, qualis hodie Eccleſia Germaniae eſt, ut revertar, ejus plantationis primam epocham invenio *ſeculi* octavi initium. Theodo II Bojoariae Dux ſuſcepto ad Apoſtolicum *romano* itinere redux a. 716 Legatos a Pontifice Gregorio II ad ſe *miſſos* Ratisbonae ſuſcepit, Martinianum Epiſcopum cum duobus aliis, Presbytero uno, altero Diacono, nomen illi Georgius, huic Dorotheus. Hiſce Legatis in commiſſis datum, ut Eccleſias in Bojoaria fundarent, regimen in tres, quatuorve Epiſcopos dividerent, unumque illorum praecipuum, in Archiepiſcopum, hoc eſt, ſtabilem apoſtolicae Sedis Vicarium inſtituerent.

Res

Res optime conſulta in illis temporum difficultatibus pleuum non potuit effectum ſortiri uſque ad annum 739 per novam Legationem S. Bonifacii, magni Germaniae Apoſtoli. Tunc tota Bojoariae regio in quatuor epiſcopales Sedes diviſa, ita ut Joanni Salisburgum, Erimberto Friſinga, Gaubaldo Ratisbona, & Wiwiloni Paſſavium obtingeret, ſubditis ac reditibus cuilibet Epiſcopo Ducis Odilonis gratia aſſignatis, ipſaque jurisdictione ſpirituali a Gregorio P. III conceſſa. Papam inter, & Ducem ſolum tota res mutuo conſenſu confecta irrequiſito vel Imperatore, vel Gallorum Rege *): Archiepiſcopalis dignitas cum Pallio, quod erat apoſtolici Vicariatus ſignum, niſi jam tunc, certo poſteriori anno 798 Pontificis Leonis III indulto Salisburgenſi Epiſcopo collata. Haec prima bavaricae Eccleſiae, tum vero & aliarum in Germania fundatio per apoſtolicam S. Bonifacii legationem, Epiſcopis ſingulis ſpeciali ſubjectionis juramento ſanctae Sedi adſtrictis, quod unicum ſalubre remedium ad praecavendam diſciplinae, ac fidei ruinam apoſtolico viro, S. Bonifacio experientia docto videbatur. Ab eodem Epiſcoporum Bojoariae inſtitutio ad romanum Pontificem relata inde confirmationem recepit adjunctis ad Epiſcopos mandatis, ut duas per annum Synodos celebrent, in divinis officiis ritus romanae Eccleſiae ſequantur, Ethnicorum, & Haereticorum erroribus extinguendis operam dent, & *NB.* quocunque a pontificio Legato ad Concilium vocentur, prompte obtemperent **). Stupeat orbis, Archiepiſcopos, qui Eſſe ſuum Pontificis indulto debent, quorum dignitas nulla eſt alia, quam romanae Sedis Delegatio, qua ceſſante authoritate illam merito videas, opteſque in umbram evaneſcere, Archiepiſcopos hodie, ne dicam ſummo Chriſti Vicario, tantum Primati, ſive Patriarchae ſuo ſeſe ex adverſo opponere, & ſub hoc quidem titulo, quaſi jurisdictionis delegatae Facultas juribus divinis, iisque illimitatis Ordinariorum repugnaret; quo titulo totam ſuae exiſtentiae rationem una ſimul ſubruunt, ipſique evertunt. De ingratitudine erga ſuae Dignitatis Authorem, Protectorem, & Conſervatorem, ac Patriae Principem mundus judicet. Non eſt volupe mihi ad ſublimiorum ſcopum aſpicienti (foret autem facile) Palatino-Bavarici Electoris jura territorialia defendere Archiepiſcoporum invaſione temerata ***).

*) Notent ſibi hoc Curialiſtæ archiepiſcopales, qui in dubium vocare non erubeſcunt, an jus territoriale Ducum noſtrorum, an illud Epiſcoporum antiquitate præcellat.

**) Greg. III Epiſt. 4.

***) Vide: Briefe eines Baiern zur Aufſtellung eigener Landesbiſchöfe. Item: Meine Gedanken über die ſogenannte gründliche Entwicklung der Diſpens- und Nuntiatur-Streitigkeiten, 1789.

§. 3.

Amplius oportet S. Bonifacii apoſtolicam Legationem ad Galliæ, & inferioris Germaniæ Provincias perſequi. Res Eccleſiarum in miſerrimum ſtatum delapſas ipſe in ſuis ad Zachariam P. litteris ita deſcribit *): „Franci, ut ſeniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Sy„nodum non fecerunt, nec Archiepiſcopum **) habuerunt, nec Eccleſiæ „canonica jura alicubi fundabant, nec renovabant. Modo autem maxima „ex parte per civitates epiſcopales Sedes traditæ ſunt Laicis cupidis ad „poſſidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis ſecula„riter ad perfruendum.“ Tantis malis, ut mederentur ſummi Pontifices, Gregorius II & III, Zacharias, & Stephanus III, apoſtolici viri Bonifacii Legatione per continuos triginta ſex, & amplius annos uſi *ſunt.* Erat Bonifacius, non Gallus natione, nec Germanus, ſed Anglus, primum nonniſi Monachus & Presbyter, tum quidem Epiſcopus, ſed nulli Galliæ Sedi adſcriptus, ampliſſima tamen jurisdictione præditus, ad Concilia Epiſcopos & Archiepiſcopos vocabat, iisque præerat, & nemo Gallicanorum Præſulum ſub eo prætextu, quod jura ſua ordinaria, & divina violarentur, ſeſe opponere audebat. Ne hodie quidem Curialiſtæ archiepiſcopales aperta fronte illam germanici Apoſtoli Legationem audent impugnare; ſed neceſſariam illis tunc morbis medicinam fuiſſe fatentur, dum longo tempore Concilia pro diſciplinæ reſtauratione tam efficacia negligebantur, Canones ſacri ab Eccleſiis non ſervabantur, Vicarius nomine ſummi Pontificis nullus aderat, qui fideliter Romam referret, aut negligentes, & prævaricantes corrigeret, Clerici diſſolutis ſuis moribus populum fidelem non ædificabant, ſed ſcandalizabant, Laicique avari vel ſibi, vel ſuis filiis bona eccleſiaſtica arripiebant. En tam periculoſo morbo ſalubrem illius temporis medicinam, ſcilicet pontificiam Legationem! Num hodie Germania ſimili forſitan morbo non laborat, non periclitatur?? Anne ægrorum eſt de medici, aut medicinæ neceſſitate judicare? An ad mittendum Bonifacium in Gallias ſummi Pontifices reformandorum Epiſcoporum conſenſum explorare, & exſpectare debuerunt? an ut id fieret, vel a quodam Epiſcopo, aut Metropolita prætenſum fuit? An romanus Pontifex Germaniæ Eccleſiis nunc injuriam infert, ſi primævo fundationis ſuæ jure erga illas *utitur?* Ad primas rerum origines, quo appellant, ſi noſtros Metropolitas *reducimus*, nonne æquo jure cum ipſis contendimus?

§. 4.

*) Conc. Labb. Venet. Tom. 8. Col. 228.

**) Archiepiſcopus ſeu Primas intelligitur, hoc eſt, apoſtolicæ Sedis Vicarius: nam Metropolitas etiam tunc Gallia habebat.

Digitized by Google

§. 4.

Sed inquiunt poſt S. Bonifacii obitum Galliæ, Germaniæque Epiſcopi nullum amplius Vicariatum apoſtolicum admiſerunt, quod ab exemplis Drogonis, & Anſegiſi patet, quos etſi a Pontifice delegatos Vicarios Epiſcopi tamen agnoſcere noluerunt. Libens hæc duo exempla noni ſeculi accipio, inde duo demonſtraturus, *1mo* nihil cauſſam Archiepiſcoporum hodiernam his exemplis adjuvari, *2do* plurimum vero aggravari. Primum quidem generale, certumque axioma eſt, *per mera facta nondum jus probari*. Hoc uno axiomate tota quanta apologia Archiepiſcoporum in Memoriali Salisburgenſi ſuſcepta, & Imperii Principibus propoſita *), uno veluti ictu proſtrata jacet, nervisque deſtituta, quæ non eſt, niſi omnium adverſus S. Sedem attentatorum collectio, & quorumlibet factorum ſemper hoſtilis, ſæpe etiam doloſa, & falſa interpretatio, ab Authore Concipiſta non certe catholico profecta. Si ſubditorum reſiſtentia jam poteſtate Superiorem exuat, væ Principibus! ſi impugnari jam idem ſit, ac vinci, væ tibi ſancta veritas! Hæc quidem in theſi, nunc vero in hypotheſi.

§. 5.

Hincmarus Rhemenſis Archiepiſcopus, qui plura arroganter, ac violenter, imo etiam crudeliter adverſus Clericos, ipſosque Epiſcopos attentavit, illorum Dux & Caput fuit, qui Drogoni & Anſegiſo reſtiterunt. Non mirum, quod ille ſibi Primatem præferri indigne tulerit, qui ſua dominandi non tantum ambitione, ſed & tyrannide totius Galliæ Primatum ſibi ipſi arrogare tentaverit. Si verum eſt, hunc Pontifici poteſtatem negaſſe delegandæ jurisdictionis; id negavit Hadriani Capitulis, aut ſi ita velis, Iſidori decretalibus in Gallia, Germaniaque civitate jam donatis, quas ipſe in famoſo Opuſculo ad Nepotem faſſus eſt *venerabiliter ſuſcipiendas*. Si ergo ille ſua erga Papam inobedientia transgreſſor Regulæ extitit; Regula eſt, quam nos ſequimur, non hominis prævaricatio. Non poſſum hic ſilentio tegere, quod Salisburgenſis Memorialis ad Imperium Concipiſta prætermiſſo S. Bonifacio ſuam apologiam pro Archiepiſcopis ab exemplo hujus Hincmari inceperit, qui ſpecimen fuit *ſuperbiæ*, *doloſitatis*, *crudelitatis*, & *duritiæ Pharaonicæ*: non mea hæc ſunt verba ſed Nicolai P. I. Iſtine ſint Patroni, & exempla Archiepiſcoporum? Bone Deus, libera nos ab hoc malo!

§. 6.

*) Pro Memoria des H. Erzbiſchofes von Salzburg an den Reichstag zu Regensburg. 1789.

§. 6.

Attamen utut alias iniquus ille Archiepiſcopus Hincmarus, in hac tamen utraque cauſſa Drogonis, & Anſegiſi merito eſt excuſandus: tunc enim non ſimpliciter de Legato jurisdictione prædito quoad quasdam cauſas Pontifici reſervatas agebatur, ſed de juribus ordinariis ab Archiepiſcopis ipſo Pontificis indulto jam juſte acquiſitis. S. Bonifacius antea tribus Epiſcopis Rothomagenſi, Rhemenſi, & Senonenſi dignitatem archiepiſcopalem cum Pallio, hoc eſt, Apoſtolico, etſi magis reſtricto Vicariatu a Pontifice Zacharia impetraverat, quo facto illi immediate ſoli Pontifici, nullique amplius alteri Primati, ſeu Superiori Papæ Vicario ſubditi fuerant declarati: hinc inſtitutio Drogonis & Anſegiſi, utriusque tamquam ordinarii in Gallia & Germania Primatis merito ſubreptitia poterat *videri* & Epiſcoporum reniſum *NB. debita cum reverentia conjunctum* experiri. Si ordinaria lædi contingat Epiſcoporum jura; nemo negaverit iisdem licere, coram Pontifice ſua proponere gravamina: neque alios umquam, niſi æquos & benevolos experti ſunt Pontifices. Quid hæc vero cauſſa ad præſentem Archiepiſcoporum controverſiam? ubi nullius Ordinarii jus vel digito tangitur, tantum pro caſibus ſanctæ Sedi reſervatis Facultates apoſtolico Nuntio conceſſæ ſunt.

§. 7.

Non certe his exemplis adjuvatur, plurimum vero aggravatur inobedientium cauſſa. Drogo quidem Metenſis Epiſcopus Pontificis Sergii II, & Imperatoris Lotharii poteſtate ſuffultus facile repagula ſibi obſiſtentium perfringere potuiſſet, niſi ipſe ſumma ſua laude, quam vel Hincmarus non reticuit, pacem Eccleſiæ magis, quam ſuam cum populi ſcandalo victoriam adamaſſet, præſtantiſſimo noſtris Archiepiſcopis exemplo. Neque etiam Patres Concilii Vernenſis anno 844 auſi ſunt directa fronte ſummi Pontificis decreto ſeſe opponere, ſed potius diſcrimini ſubducere, & purgare ſe ipſos quæſierunt: *eoquod conſenſus eſſet exſpectandus eorum, de quorum jure ageretur*, & quorum violentiam inſinuarunt, *cui reſiſtere nec vellent, nec valerent.* Anſegiſus vero Senonenſis decreto Joannis P. VIII Eccleſiis per Gallias & Germanias apoſtolica vice Præpoſitus, cum ab Imperatore Carolo Calvo in Concilio Pontingovenſi anno 876 proponeretur? equidem contradictores invenit; de ſubreptione Pontifici facta conquerentes, poſtea tamen ſinguli Archiepiſcopi dixerunt, *ſe velle Pontificis decretis obedire, ſicut ſui Anteceſſores illius Anteceſſoribus obedierunt.* Exitus hujus litis adhucdum hodie ignoratur. — Quod autem in utraque hac cauſſa præcipuum eſt, nemine Epiſcoporum contradicente tam Drogo, quam Anſegiſus

ſegiſus in aula imperatoria *Apocriſiarii*, ſive ut tunc vocabantur, *Archicapellani* ampliſſima jurisdictione ſacra per ſingulas totius regni Diœceſes præditi fuerunt. Hanc jurisdictionis amplitudinem in Archicapellanis aulicis, quorum locum hodierni Nuntii tenent, apud Petrum de Marca, teſtem ſibi non inviſum ad ſui confuſionem Febroniani invenient *). Ita profecto pœniteat hosce Novatores ad veterem Eccleſiam gallicanam nos reduxiſſe!

§. 8.

Inde a nono ſeculo, & ſubſequentibus poſt Iſidori Decretales præcipue Moguntinis fautoribus, uti ævo S. Bonifacii vicinis, ita ejusdem ſui Apoſtoli ſpiritu adhuc plenis in Germania publicatas, jam & frequentiores Nuntiorum miſſiones evaſiſſe res eſt, quam Novatores hodierni adeo non negant, ut ea potius ſuæ lamentationis, tantum non Jeremiacæ, ſi materia. Scite tamen Doctor ipſis haud ſuſpectus has retundit lamentationes inquiens **). „Cumque Seculo XI omnis pene Clerus plurimum „Provinciarum Simoniæ, atque concubinatus vitiis eſſet infectus, contra „quæ Epiſcopi nativam ſuam authoritatem exerere aut non poterant, aut „nolebant; huic malo medelam laturi Pontifices Legatos ſuos in diverſas „Provincias deſtinarunt, ampliſſima inſtructos poteſtate, non ſolum in Cle„ri inferioris, ſed ipſorum etiam Præſulum mores, vitamque inquirendi, „de modo, quo ad Epiſcopatum pervenerunt, cognoſcendi, eosdem excom„municandi, deponendi, & id genus alia decernendi, quæ pro loci, tem„porumque circumſtantiis neceſſaria judicarent.“ Tum idem Bambergenſis Doctor in hanc rem teſtes vocat Baluzium, & Petrum de Marca, etſi alias romanis Pontificibus ſatis iniquos. Nempe morbo ingraveſcente opus eſt validiore medicamento, licet interdum acerbiore. Sunt autem apoſtolici Legati quoddam Medicorum genus: ſi ægri reclament, nihil id, niſi ægritudinem, forſitan eo perículoſiorem indicat.

§. 9.

Itaque extra dubium poſita veritas hiſtorica eſt, quam ſanctiſſimus noſter Pius VI in ſua ad Archiepiſcopum Colonienſem epiſtola die 20 Januarii 1787 teſtatur: „Aliæ pariter Legationes a S. Nicolao I, qui miſit „Epiſcopum Arſenium in Gallias, & Germaniæ partes, & Donatum, Leo„nem, atque Marinum Conſtantinopolin; a Leone VII ad Epiſcopos per „Gal-

*) De Concord. Tom. 2, Lib. 4, Cap. 7, §. 8.
**) De Legatis natis. Cap. 1, §. 10.

„Galliam, Bavariam, Allemanniam commorantes; a Paſchali II ad Provin-
„cias Bituricenſem, Burdegalenſem, Auſcitanem, Turonenſem, & Britan-
„niam, quas confirmavit Calixtus II; atque illa præſertim Legatio anim-
„adverti debet Adriani IV ad Hillinum Treverenſem Archiepiſcopum, *ut*
„*per univerſum Theutonicum Regnum vices ſuas gereret, ibique Legationis*
„*officio apoſtolicæ Sedis auctoritate fungeretur.* Ob quam Legationem irri-
„tatus Arnoldus Moguntinus eidem poſtea acquievit, & *NB.* nomine Pon-
„tificis Moguntiæ Hillinus cum magna gratulatione fuit introductus. (Ip-
„ſum Honthemium, ſeu Febronium in teſtem vocat Sanctiſſimus). Ac ita
„jus apoſtolicæ Sedis non interrupta Nuntiorum ſerie ad hæc uſque tem-
„pora illæſum ſervatum eſt.“ Scimus, quia verum eſt teſtimonium hoc Apoſtolici Papæ: falſum autem eſt, iterumque dico, falſum illud Colonienſis Memorialis ad Principes Imperii aſſertum §. 3: *Judicia Pontificiorum Nuntiorum notorie nulla inveniri poſſunt in hiſtoria eccleſiaſtica priſtini & medii ævi* *).

§. 10.

Sed en fulgur e pelvi! ad odium ſanctæ Sedi conflandum diſperſa quævis colligunt facta ab inimicis, & gravamina hinc inde propoſita propter Nuntiorum quorumdam non jurisdictionem ſacram, ſed in bona temporalia invaſionem. Facta enim inimica jus non deſtruunt, neque uſus propter abuſum eſt tollendus. Fatemur & Nuntios fuiſſe homines: & nihil humani alienum ab illis putandum eſt. Breviter iſthæc doctiſs. Zacharia expedit in Antifebronio vindicato **): „Horret animus ea recolens, quae
„de epiſcopalis auctoritatis abuſibus paſſim in eccleſiaſticis referuntur anna-
„libus Quis niſi deſipiat, hinc licere ſibi exiſtimet Epiſcopos a ſuis legi-
„timis juribus deturbare?“ Speciali autem hoc loco caſtigatione indiget Salisburgenſis Memorialis Concipiſta, qui hoſtilia quaelibet contra Unctum Domini undeunde corradens, nec pudenda ſuorum Patrum detegere erubuit, ut adeo memoriam refricaret Eberhardi II, quae in maledictione eſt. Si facta ejusmodi probroſa quidquam efficerent, Superi! quanta poſſemus ad confuſionem Salisburgenſium ex annalibus producere! Quid vero ad annales recurſu in hujusmodi opus eſt?

§. 11.

*) Pro Memoria des H. Churfürſten, und Erzbiſchofes von Köln an den Reichstag zu Regensburg 1788.

**) Part. 3, Differt. 6, Cap. 6.

Digitized by Google

§. 11.

Germanicæ Eccleſiæ libertatis, quam hodie prætendunt, fundamentum eſt Baſileenſe Concilium, quatenus Principum Concordatis firmatum. Ego quidem ſuper. Coroll. 4, Art. 5 hujus aſſerti falſitatem jam PLENA IN LUCE oſtendi; attamen hic prætermitti non poteſt, quomodo Novatores etiam dato illis, quod volunt, adhuc propriis armis ſe ipſos conficiant. Memoriale Colonienſe §. 8 ita argumentatur: „Si in decretis Concilii Ba„ſileenſis *de cauſſis & appellationibus* clare ſtatuitur, ut in prima inſtantia „Epiſcopi, in ſecunda Archiepiſcopi, in tertia Nationales Judices ſenten„tiam dicant; jam nullo modo Pontifex committere poteſt, ut per ſuos „Nuntios id fiat." Ponamus nunc verum eſſe ſuppoſitum, quod tamen verum non eſt, huic Baſileenſi Decreto vim pacti ineſſe; hoc ipſo ex pacto fœdifragos ſe probant Novatores. Pontificia enim Poteſtas Nuntios cum Facultatibus conſtituendi, ne hoc quidem Baſileenſi Decreto excluditur, imo ſatis aperte eo ipſo admittitur. *1mo* Quidem hoc decretum unice ſpectat jurisdictionem *contentioſam:* ergo totus quantus, isque ampliſſimus campus jurisdictionis *arbitrariæ*, quatenus pro diverſis Eccleſiæ neceſſitatibus expedit, in libertate Pontificis manet, prout vi officii hanc jurisdictionem vel per ſe, vel per ſuos Legatos æſtimaverit exercendam. *2do* In hoc decreto, quo *contentioſa* Pontificis jurisdictio reſtringitur, expreſſe excipiuntur cauſſæ majores, quæ plures ſunt, uti quæſtiones fidei, translationes, depoſitiones, & ceſſiones Epiſcoporum, Coadjutorum conceſſiones, uniones, & diviſiones Epiſcopatuum, & canonizationes. *3tio* Pariter excipiuntur cauſſæ Monaſteriorum immediate Pontifici ſubjectorum. *4to* Præter eos, qui de jure ordinario judices ſunt expreſſe alii nominantur judices, qui tantum ex conſuetudine præſcripta, vel etiam privilegio cognitionem habeant. *5to* Denique falſum eſt, per Judices in Partibus præciſe *Nationales* præſcribi, dummodo ſint tales, quibus aut de jure, aut ex conſuetudine præſcripta, aut privilegio aliqua jurisdictio competat. Hæc omnia ex ipſa Decreti littera tam clara ſunt, ut vel Proteſtantici Doctores non diffiteantur e. g. D. Mohlius *).

§. 12.

Unde LUCE MERIDIANA clarius eſt, contra hoc Baſileenſe Decretum agere illos, qui omnem jurisdictionem pontificiis Nuntiis velint auferre. Quodſi hoc ipſum decretum vim pacti publici, aut legis fundamentalis in Imperio habeat; quid cogitandum de hodierno molimine Facultatem quam

 cumque

*) Unterſuchung der Frage: In wie ferne Streitigkeiten in der deutſchen katholiſchen Kirche zur reichstäglichen Berathſchlagung geeignet ſind. 1788.

cumque a Pontifice delegatam Nuntiis apoſtolicis interdicendi? quid cogitandum de obligatione per Capitulationem cæſaream a. 1519 primum Carolo V impoſita, inde ſemper continuata, a moderno Imperatore Joſepho II jurejurando in ſe ſuſcepta, *romanam Sedem, & pontificiam Sanctitatem* Art. 1, item *Concordata Principum*, quibus hodie prædictum Baſileenſe decretum annumerant. Verius autem Concordata Prcinpium *Aſchaffenburgenſia*, in quibus delegandæ jurisdictionis facultas expreſſe Pontifici aſſeritur, Art. 16 *defendendi??*

§. 13.

Attingimus nunc ipſam ſacroſanctam Synodum Tridentinam, omnium Catholicorum profeſſione œcumenicam, Dei Spiritu gubernatam. *Quidquid* humani pulveris eccleſiaſticæ diſciplinæ hæc ſancta Synodus *invenit* aſperſum, ſtuduit ſane ſapientiſſimis decretis detergere. Si quae hodiernis diebus particularium Eccleſiarum faciem coinquinant labes, non eae certo ſunt aliae, quam ſanctorum in Tridentina Synodo ſtatutorum praevaricationes. Experientiam teſtem invoco, an romana Mater, an filiae praeſertim germanicae ſacrorum Canonum ſint obſervantiores? Nuntios autem pontificios quod ſpectat; quos priſtina aetas in illis abuſus tulerit, ſi aequo ac ſincero ſis animo, fatearis oportet, ſingulari cura in favorem Epiſcoporum emendatos, illorumque poteſtatem juſtis limitibus coarctatam fuiſſe, ut jam omnis conquerendi, vel murmurandi materia videatur ablata. Sic *Seſs* 22 *de Reform. Cap* 5 ſtatuitur: „Ut diſpenſationes quaecunque, & gratiae „pontificiae non Nuntiis, ſed Epiſcopis *NB. tamquam Delegatis apoſtolicis* „committantur pro examine, an preces ſub- vel obreptitionis vitio non ſubjaceant. *Cap* 7 ut Legati, & Nuntii-apoſtolici tam in admittendis ap„pellationibus, quam in concedendis inhibitionibus formam, & tenorem „ſacrarum conſtitutionum ſervare teneantur. *Cap* 8 ut Epiſcopi *tamquam* „*Sedis apoſtolicæ Delegati* jus habeant viſitandi quaecumque pia loca, quo„rum cura ad Laicos pertineat, ſolum Regibus exceptis, etiamſi illa exem„tionis privilegio munita ſint. *Cap.* 10, ut Epiſcopi quoſcumque Notarios „etiam apoſtolicos poſſint ad examen vocare, illisque non idoneis repertis, „aut in officio delinquentibus ejusdem officii uſum perpetuo, aut ad tem„pus prohibere."

§. 14.

Seſs. 24 *de Reform. Cap.* 5 decernitur: „Ut cauſſæ criminum gravio„res contra Epiſcopos ab ipſo tantum Pontifice cognoſcantur, &, ſi neceſ„ſario extra romanam Curiam ſint committendæ, nulli Nuntio, ac nemini „prorſus committantur, niſi Metropolitanis; aut Epiſcopis a Papa eligen„dis.

Digitized by Google

„dis. *Cap.* 20, ut cauſſæ omnes eccleſiaſticæ . tantum quibusdam ſpecia li„ter exceptis, in prima inſtantia coram ordinariis locorum dumtaxat cognoſ„cantur, neque appellationes ab eisdem interpoſitæ per Superiores quos„cumque recipiantur, niſi a definitiva ſententia, vel definitivæ vim ha„bente. *Item* ut Legati etiam a Latere, aut alii quarumcumque faculta„tum vigore non ſolum Epiſcopos in prædictis cauſſis impedire, aut ali„quomodo eorum jurisdictionem iis præripere, aut turbare non præſumant, „ſed nec etiam contra Clericos, aliasve perſonas eccleſiaſticas, niſi Epiſco„po prius requiſito, eoque negligente procedant: alias eorum proceſſus, or„dinationesve nullius momenti ſint." En, pacifice Lector! quam ſalubria ad levandum remedia SS. Patres Tridentini ordinaverint, ut viam renovandis gravaminibus præcluderent! An vero romana Sedes tam ſalubres Concilii ordinationes obſervat? Mendax fores, ſi negares. An ſalubria Tridentini ipſiusque Baſileenſis ſtatuta æque fideliter in germanicis Archiepiſcopatibus obſervantur?? Dic Sodes! Quænam ergo Metropolitanis gravandi materia, niſi ſi ipſa gravis ſit erga Pontificem, & Eccleſiam ſubjectio, ac obedientia?

§. 15.

At enimvero eadem ſacroſancta Synodus Tridentina quam benevolam ſeſe Epiſcopis præſtitit, tam & juſtam ſe probavit in cuſtodiendis apoſtolici Primatus divinis juribus, ut Nuntiaturas cum Facultatibus junctas, etiam perpetuas adeo non reprobarit, ut expreſſe etiam aſſeruerit. *Ita Seſſ.* 22 *de Reform. Cap.* 2 ſtatuitur: „Ut de Epiſcopi noviter electi qua„litatibus inſtructio Papæ facienda a Sedis apoſtolicæ Legatis, & Nuntiis „apoſtolicis Provinciarum fieri poſſit. *Cap.* 7 jus appellationes admittendi, „dummodo ſecundum formam ſacrorum Canonum Legatis, & Nuntiis apo„ſtolicis expreſſe vindicatur. *Seſſ.* 24 *de Reform. Cap* 20 pariter Legati, „aut Nuntii cum Facultatibus agnoſcuntur, tantum ut in ordinariis cauſ„ſis Epiſcopos non impediant; attamen Epiſcopo prius requiſito, & negli„gente ſecundum Facultates ſuas procedant." Hæc igitur jura ſunt, hæ leges ſanctæ noſtræ romano-catholicæ, eccleſiæ in Patria noſtra jam receptæ, & ſeculorum poſſeſſione tranquilla roboratæ. Siqui nolint his legibus teneri, corporis noſtri, ſeu Societatis noſtræ legibus noverint ſe non teneri invitos. Qui nolint nobiscum eſſe, exeant ex nobis: *Numquid & vos vultis abire?* Joann. 6.

Digitized by Google

ARTICULUS VI.

De Nuntiaturis in Germania, inde a Reformationis ævo uſque ad hodiernum.

§. I.

Clamoroſa noſtris diebus lamentatio eſt, poſt Tridentinum Concilium nova in partibus Germaniæ, antehac incognita romanarum Nuntiaturarum tribunalia fuiſſe introducta. Profecto noſtri Novatores ſibi non conſtant: alii ſicut univerſim omne, quod dicunt, malum, ſic in ſpecie Nuntiaturas Iſidoro Peccatori imputant, alii contra illum ab hoc peccato purgant, magis iſti Tridentino infenſi, quod non uno loco Nuntiaturis, iisque ſtabilitis, firmum præſtat præſidium. Novatores hodiernos Tridentino infenſos putas tu Catholicos? — Sed ut clamoribus illorum aures præbeamus; tolle vanam de Nomine altercationem, & ſubito litis materiam, ceu diſcordiæ pomum videaris tibi ſuſtuliſſe. Si enim rem ſpectes, in illo gravamine contra hodiernas Nuntiaturas duo falſa manifeſte deprehendes. Primum eſt Nuntiaturas Germaniæ rem novam eſſe: nos enim Art. 3, 4, & 5 jam demonſtratum vidimus conſtitutos a Pontifice Vicarios, aut miſſos ejusdem Legatos in Aulis magnorum Principum reſidentes non novam rem, ſed vetuſtiſſimam eſſe. Quid diſcordia dignum eſt, ſi Nuntios nunc vocemus, quos antiquitas ſeu *Vicarios*, ſeu *Archicapellanos* nominavit? Alterum non minus falſum eſt, tribunalia Romanorum Patriæ noſtræ ante Tridentinam Synodum incognita fuiſſe. Ex quo chriſtianam ſe profitetur Germania, nullo umquam tempore romana tribunalia eidem ignota fuerunt, ſed illa ſemper in Imperio agnita, probataque, quod præc. Coroll. 4 demonſtravi. En teſtem, contra quem excipere nec poteris, nec audebis. Is eſt Protoparens moderni glorioſiſſime regnantis Imperantis Rudolphus Habsburgicus, qui anno 1275 romano Pontifici ſuæ jurisdictionis protectionem his emphaticis verbis adpromiſit: „Appellationes in negotiis, „& cauſſis eccleſiaſticis ad apoſtolicam Sedem libere fiant, earumque per„ſecutionem, ſive proceſſum nullus impedire præſumat " *). Romanæ ergo Sedis tribunal Germaniæ non ignota res, ſed Imperii uſu, pactis, & legibus firmiſſime fundata eſt. Quid criminis, ſi romanus Pontifex pro avertenda longi itineris moleſtia ſuum tribunal in partibus Germaniæ, quod Baſileenſibus in voto erat, delegat Miſſo apoſtolico, antea ſibi jam bene cognito, ſatisque probato? cujus in jure publico peritiam ſi examinaveris, illa Archi- vel Epiſcoporum inferiorem haud certe invenies. Accedit hos Natio-

*) Lunig. Cod. Ital. dipl. Tom. 2, pag. 730.

Digitized by Google

Natione extraneos judices in cauſſis appellationum eo aptiores eſſe, quo a partium ſtudio puriores. Hinc experientia teſte a Theutonicis noſtris plerumque major in hisce fiducia ponebatur. Vin, ut de Curialiſtis Nuntiorum, vel Ordinariorum quid addam ??

§. 2.

Equidem inde a S. Bonifacio ſubſequentibus ſeculis plerumque Archiepiſcopi, tamquam Sedis apoſtolicæ Legati pontificium tribunal quaſi ſuæ Sedi affixum tenebant, hinc glorioſum ſibi titulum *Legati nati* aſſumentes; at hoc ipſum antiquam Pontificis authoritatem probat, & ſuorum in Germania Legatorum jurisdictionem. Tribunal naturam ſuam non exuit, etſi pro diverſa temporum ratione formam mutarit. Bonifacius in Gallia pontificio Nomine judex fuit, licet nullius Sedis eſſet Epiſcopus. Cum poſtea Legati, *Natos* intellige, ab officio ſuo deſciſcerent, non Legationis tantum, ſed & propriæ paſtoralis curæ; neceſſitas fecit, ut ſummus omnium Paſtor alios delegaret Operarios, qui ipſos Ordinarios ad officium reducerent, eorumque negligentiam ſupplerent. Ea, quod nemo ignorat, tunc Eccleſiæ neceſſitas erat, dum grave vulnus Reformationis noſtram Germaniam afflixit. Generali illa corruptione morum, ac hæreſi jam graſſante nihil movebantur Archi- & Epiſcopi, ut animum nervosque adplicarent ad malo huic remedendum; ſed erant niſi ipſi morbo infecti, certe profundo ſopore ſubmerſi, id quod Bavarici Legati ab experientia teſtes Romæ a. 1521 profitebantur: „Quod locorum Ordinarii negotium hujus„modi non, prout eſt arduum & grande, ad honorem Dei — ſuſcipiunt, „& tractant, quin imo circa illud torpentes, & circa correctionem crimi„num perſonarum eccleſiaſticarum ſcandalum inducentium negligentes exi„ſtunt, & procul dubio eorum opera potius auxilio, quam impedimento „eidem hæreſi forſan exiſtat" *). Nonne neceſſe erat ægris Medicos, hoc eſt, apoſtolicos ſubmitti Legatos? Ita Legationum uſus antiquiſſimus pro ratione temporis eam, quam hodiedum habet, formam Nuntiaturarum induit. Quid in hac origine Nuntiorum diſpliceat, niſi malum ægritudinis, quod neceſſarios fecit, atque etiamnum facit Medicos?

§. 3.

Tres præcipue pro Germania Nuntiaturæ ſunt, quarum ſingulæ a ſua origine indagari vel maxime merentur. Prima eſt a. 1564 Græcii in Styria per pietatem Domus auſtriacæ inſtituta. Vix enim priori anno finita Tridentina Synodo, ut ejusdem ſanctas conſtitutiones ad mores Cleri, populi-

*) Apud Oefele Tom. 2, pag. 275.

Digitized by Google

puliquė reformandos, & peſtem haereſis ſuffocandam, in terris ſuis vigere faceret pius Archidux Carolus, Ferdinandi I filius, mox regiminis ſui initio apoſtolicum Nuntium Joannem Delfinum advocavit. Princeps iſte Styriae Dux ſua *territoriali* poteſtate uſus pro ſuorum ſubditorum religione conſervanda id fecerat, quin vel Imperatoris, vel Imperii conſenſum antea ſibi implorandum cogitaret: & inſpicienti imperio Nuntii numero undecim tranquille Graecii ultra ſeculi dimidium reſidebant, ſuamque a Papa delegatam jurisdictionem exercebant, donec a. 1621 Viennam Auſtriae Nuntiatura transferretur, quae magna cum jurisdictionis amplitudine, & ſingulariter in Bavaricas terras extenſione usque ad noviſſimos annos ſubſtitit nemine Archi-vel Epiſcoporum, aut Imperii Principum contradicente. Nequidem Memoriale Salisburgenſe hujus Viennenſis Nuntiaturae tranquillam agnitionem audet impugnare, ſed *toleratam* vocat, quam nos vidimus in terras Auſtriae *advocatam*, & precibus a Pontifice impetratam. Quaenam catholica auris ferat vocem ſummi ex ore ſui Legati reſonantem *tolerari*, prout mala nobis odioſa tolerantur? non ergo benevole, ac cum obediendi promtitudine excipi? Oves ſui Paſtoris vocem *libenter* audiunt, non tolerant, pro dolor! vox luporum hodie *toleranda* eſt.

§. 4.

Tantum pro inſigni ſuae Sedis privilegio Archiepiſcopi Salisburgenſes reputabant, quod a ſua ſemel lata ſententia non ad Nuntiaturam amplius, ſed immediate ad ipſam apoſtolicam Sedem vi conſuetudinis appellari deberet. Id, quidquid eſt privilegii, vel, exemtionis a judicio, Archiepiſcopus ſibi, tamquam apoſtolico Legato *Nato* hactenus vindicavit: privilegium vero, aut exemtio communem legem in contrarium ſupponit, prout axioma eſt: *Exceptio firmat regulam.* Habemus fatentem Zalweinium *): "Paſſim in „Germania dari appellationes ad Nuntios apoſtolicos, hinc inde in diverſis „locis reſidentes ſcimus. Verum in hanc usque diem a Sede archiepiſco„pali nulla fuit conceſſa appellatio ad Nuntiaturam, ſed omnes appellatio„nes recta via ad Pontifices ſunt dirigendae. Atque hoc jure utitur Ec„cleſia Salisburgenſis ſaltem ex poſſeſſione, & conſuetudine immemoriali, „numquam interrupta, & in hanc usque diem continuata."

§. 5.

Quod illa Graezii Nuntiatura ab Epiſcopis Bavariae, ipſoque Salisburgenſi tranquille agnita fuerit, documentum ſumme memorabile exhibent Bava-

*) Tom. 4, Quaeſt. 4, Cap. 2, §. 7.

Digitized by Google

Bavarici Ducis Guilielmi cum Ordinariis inita a. 1583 Concordata, quibus nomine Pontificis Gregorii XIII praeerat Felicianus S. Agathae Epiſcopus, per ſuperiores Germaniae partes Sedis apoſtolicae Nuntius cum poteſtate Legati a Latere deſtinatus, praeſente in propria perſona Georgio a Kuenburg, Coadjutore Salisburgenſi, aliisque ejusdem Archiepiſcopi Suffraganeis. Hoc documentum Hanſizius refert, quod ſane obmuteſcere, ſed & erubeſcere faciet Salisburgenſes *). Quid, quod tanta amicitia inter laudatum Coadjutorem, & apoſtolicum Nuntium interceſſerit, ut iſte in ipſa Metropoli Salisburgenſi ſuæ jurisdictionis *contentioſæ* exercitium peregerit in cauſſa Monachorum S. Petri de Patribus Franciſcanis in locum Sanctimonialium introducendis **).

§. 6.

Vana ſunt & inania, quæ in Memoriali Salisburgico opponuntur: omnia enim, & ſingula illarum oppoſitionum exempla a ſcopo divagantur, cum tantum probent Archiepiſcopum, ejusque Suffraganeos contra Nuntiorum exceſſus vigilaſſe, ne in ipſorum jura ordinaria involarent, aut privilegia læderent; neutiquam vero illarum Facultatum, quæ ſoli Pontifici reſervatæ ſunt, delegationem impugnaſſe. E contrario improvidus Concipiſta ſe ipſum quaſi data opera confutat exemplo Joannis Jacobi Archiepiſcopi, qui ſuo in Styria Archipresbytero tantum in mandatis dedit, ut viſitationi in Clericorum mores a Nuntio inſtituendæ præſens aſſiſtat, & ſiquid in præjudicium ſuæ Dignitatis Metropoliticae fieri obſervarit, cum modeſtia deſuper Nuntium commonefaciat. Ipſam ergo viſitationem, quæ inſignis eſt Facultatis actus, admiſit Archiepiſcopus, nec juri ſuo contrariam judicavit: hoc unicum eſt, quod volumus; exceſſus ſeu abuſus cum Ordinariorum præjudicio neque Sanctiſſimus Papa Pius VI permittit, neque nos defendimus. Ultimo loco ut a Memoriali Salisburgico me breviter expediam; monitum velim Concipiſtam, quomodo fidem ſuam catholicam probet, qui pag. 34 ſcribens: *quod Imperator Nuntio omnem a Pontifice delegatam jurisdictionem abſtulerit*, aperte doctrinam tuetur jam ab Eccleſia inter hæreticas Proteſtantium damnatam, *Principibus jurisdictionem eccleſiaſticam competere*. Niſi fidem ſuam probaverit ille Curialiſta; inter Catholicos, & fidei fratres eumdem numerare non poſſumus.

§. 7.

*) German. ſacr. Tom. 2, p. 639.

**) Ibid. p. 644.

Digitized by Google

§. 7.

Altera Nuntiatura eſt illa Helvetiæ, quæ natales ſuos S. Carolo Borromæo debet: quam ſancta origo! eam Fleurii Continuator ita deſcribit *): Cum graviſſimis ex cauſſis (S. Epiſcopus) Mediolanum re„verti cogeretur; ſummum Pontificem impenſe rogabat, ut pro reliquis „Diœceſibus viſitatores apoſtolicos nominare velit: inſuper eoquod idem „hic Sanctus Religionem catholicam apud Helvetios reſtaurari ardentiſſimis „votis deſideraret, hinc ſummis precibus eumdem Papam obſecrabat, ut „ad haſce regiones etiam Nuntium Apoſtolicum decerneret, ſingulari mu„nitum Facultate. — Igitur Gregorius XIII ad S. Præſulis preces hanc cu„ram demandabat Joanni Franciſco Bonhomini, Novarenſi Epiſcopo &c. „Porro ab illo temporis articulo ſummus Pontifex ſemper Helvetios Nun„tii apoſtolici præſentia honorabat.“ Ita vel hujus Hiſtorici judicio Nuntii apoſtolici præſentia in quadam regione pro ſingulari favore & gratia romani Pontificis habebatur: hinc in Patribus noſtris ſumma erat erga apoſtolicum Legatum reverentia, qualis in Helvetiis etiamnum eſt. De S. autem Carolo Borromæo, qui hujus Nuntiaturæ Auctor merito dicendus eſt, velim, noſtræ Germaniæ Archiepiſcopi nos edoceant, an ſanctus ille Mediolanenſis Archiepiſcopus jura divinitus cum Epiſcopatu conjuncta intellexerit, atque obſervarit, an vero ſecus? *Baptiſmus Joannis ex Deo fuit, an ex hominibus?*

§. 8.

Cum poſtea Sixtus V pro Helvetiæ catholicis Statibus Nuntium delegaſſet Joannem Sanctorium, Tricaricenſem Epiſcopum; is indictis Ordinum Comitiis, ut funeſtum Religionis ſtatum in hiſce terris curaret, perpetuum fœdus inter Sedem apoſtolicam, & Helvetios pangere nitebatur, prout in Fleurii hiſtoria legitur **), „tam proſpero conatus ſui ſucceſſu, ut „Helvetii ſummam, quam poterant, ſubmiſſionem polliciti in ſacræ Sedis, „fideique obſequium ſemetipſos, ſua bona, vitamque devoverent, ac co„ram altari in genua provoluti, & in ipſa Evangelii verba jurantes ſpon„derent, quod filialem hanc ſervitutem, cui ſponte ſe manciparent, fide „numquam violanda profiteri vellent.“ Ita latina hujus loci verſio, in qua, niſi phariſaica interpretatio accedat, non eſt, niſi ardens, ſed ſana tamen fidei ſuæ devotio ad filialem ſui erga ſanctam Sedem ſubjectionem: aliter tamen a quibusdam gallici idiomatis textus originarius producitur, ubi acris cenſura in Helvetios fertur, *quaſi ad exceſſum uſque, ac ſervilem quamdam ſpeciem mancipii ſe ſubjeciſſent.* Quid inde, ſi Fleurii Continuator anonymus tam mordacem criſin adverſus Helvetios tulerit? Notum eſt, illum ſcrip-

*) Hiſt. eccleſ. Tom. 49, p. 562, — 564. **) Ad a. 1586. §. 72.

Digitized by Google

ſcriptorem longe inferiore loco ſtare, quam Fleurium, qui ipſe non raro, præcipue *in Diſſertationibus*, vel præjudicio, vel odio adverſus ſanctam Sedem abreptus hiſtoricam veritatem læſerat.

§. 9.

Non abs re fore judico brevem digreſſionem noſtris temporibus opportunam: in illum Fleurianæ hiſtoriæ Continuatorem doctiſs. P. Alexander Carmelita Auguſtanus, qui eidem operi ultimam manum impoſuit, hanc memoratu digniſſimam fert cenſuram *): „Id omnino certum eſt, plura in „Continuatore reperiri, quæ ſane cenſoria virga perſtringi merentur: hic „enim Author vituperanda æmulatione Fleurium, cujus hiſtoriam conti„nuare voluit, imitari, & aſſequi ſtudioſus, pariter obvia quævis, dum„modo ſummis Pontificibus, aliisque Præſulibus, & Monachis invidiam „accerſere poſſent, ſine veritatis criterio, absque ſelectu ac debita modera„tione corradebat, ſuaeque hiſtoriae intrudere non erubeſcebat: quaprop„ter haud paucos, eosque eruditos Cenſores in ſuum ſibi Caput accerſe„bat, quos inter Plur. Rev. atque eximius Dom. Stevart Theologiae Li„centiatus, Canonicus, atque Eccleſiae Metropolitanae Mechlinienſis Deca„nus, nec non librorum Cenſor de hac continuatione ſequens fert judicium: „*Continuator in ſuis libris plures alias propoſitiones falſas, malignas, & re„prehenſione dignas exponit, adeo, ut ſi omnes referre oporteret, integro vo„lumine neceſſe foret.* Praecipue idem Cenſor praeter alia Continuatori ob„jicit, quod maximam illorum geſtorum, quae allegat, partem tam ex Au„thoribus ſchiſmaticis & haereticis, quam ex aliis hauſerit, quorum libri „a ſacra Sede ſevere ſunt prohibiti, quales ſunt Syuropulus, Orthuinus, „Gratius, Clemangius, Goldaſt, Caue, Vanderhart, Lenfant, Limbourg, „Niem, Panormitanus, Platina, Dupin, Leti &c. Eumdem quoque ſu„gillat, eoquod celebres illos quatuor Cleri gallicani Articulos, a. 1682 fa„bricatos, atque a Ludovico XIV revocatos amplis elogiis celebret, *quam„vis hi in perpetuam ignominiam, dedecus, atque Eccleſiæ gallicanæ confuſio„nem cedant.* Denique praeter plura alia, quae idem Cenſor in praefato „hiſtoriae Fleurianae Continuatore carpit, merito obſervat, quod de pluri„bus ſummis Pontificibus, alias tam virtutum merito, quam Sanctitatis lau„de celeberrimis indignum in modum diſſerat, ac prae ceteris Innocentium „VIII a Scriptorum potiſſimis dilaudatum atrocibus calumniis obruat, adeo „ut credi valeat, *quod Continuator Philippi Mornay, & Jurieu, qui ceteris „magis furioſi Pontificum hoſtes, nec non impudentiſſimi ſuo ævo calumniato-*

 „*res*

*) Tom. 51, pag. 605.

„*res erant, libros transſcribere voluerit*“ *). Inde Authores cognoſcere diſcas, ex quibus, ceu fontibus hauſta eſt ſcientia, quam plerique noſtro aevo inflatis buccis depraedicant.

§. 10.

Tertia Nuntiatura eſt Colonienſis, eaque Metropolitanis inferioris Germaniæ duriſſimus lapis offenſionis. Hujus origo ex propudioſo facto Archiepiſcopi Gebhardi de Truchſes repetenda eſt, qui cæca libidine æſtuans non ſolum ipſe ab Eccleſia defecit, ſed & malis artibus ſuos ſubditos ad deficiendum pellicere conabatur. Remedium ſalutis Colonienſes Catholici viva gratulatione adhucdum Nuntiaturæ apoſtolicæ in acceptis referunt. Auſcultemus Sanctiſſimum Papam noſtrum, Pium VI, qui a. 1775 Nuntium Bellisomum Coloniam delegans, publico ſermone ita rei pudendæ hiſtoriam narravit: „Originem hujusce ad tractum Rheni Legationis non „poſſumus ſine acerbiſſimo animi ſenſu mente repetere, quia repetenda ab „iniquiſſimo ſcelere Gebhardi Truchſes, Archiepiſcopi Colonienſis, quem „ſacrilego connubio junctum cum ſanctimoniali Agnete Mansfeld Gregorius „XIII, Anteceſſor noſter pontificio ſuo decreto exauthoravit, dirisque de„vovit. Atque hæc cauſſa fuit, cur non ut antea, extraordinarius Nun„tius ſolum pro re nata, ac temporum neceſſitate ad eas Regiones lega„retur, — ſed ab eo tempore decerneretur, ut in iis regionibus ordina„rius Nuntius conſtituto ſibi ibidem domicilio reſideretur, qui ſua præſen„tia aut mala præcaveret, aut certe nulla interpoſita mora repararet. Pri„mus, qui hunc in modum ablegaretur, fuit Joannes Franciſcus Bonho„mo, Epiſcopus Vercellenſis.“ Hæc itaque inſtitutio Nuntiaturæ jam ab origine ſua ordinariis Nuntiorum Facultatibus prædita, quod ipſe modernus Colonienſis Archiepiſcopus in ſua Inſtructione quadrageſimali a. 1787 fatetur, ex eo tempore, quo Nuntius apoſtolicus propter apoſtaſiam Gebhardi miſſus eſt, diſpenſationes pontificias ab illo petitas, & impetratas fuiſſe.

§. 11.

Quamob rem detecta jam fere tota ars eſt Memorialis *Bonnenſis* **) Imperii Principibus oblati, quod originem Nuntiorum a tertio primum *Nuntio* Coriolano incipit, quaſi tantum extraordinarius is Nuntius fuiſſet, ſeptemdecim

*) Si hæc de Fleurii Continuatore; qualis cenſura in Viennenſem Schmidtium ferenda? ſi *hoc in viridi quid in arido* ?

**) Bonnenſe illud Memoriale voco, quia neque *Colonienſis* Diœceſis, neque civitatis eſt, ſed tantum aulæ electoralis.

decim annorum Coadjutori Ferdinando Bavarico adjunctus, & non ſine conſenſu Electoris Erneſti, ac Capituli a. 1595 unice pro illis circumſtantiis admiſſus. Singula hæc falſa ſunt. Nam *1mo* Nuntius Bonhomo jam a. 1584 cum ordinariis facultatibus a Gregorio XIII fuit miſſus non tantum pro unico, ac tranſeunte caſu, ſed pro generali negotio orthodoxæ fidei partim reſtituendæ, partim conſervandæ, nec ſolum ad Eccleſiam Colonienſem, ſed ut Legationis decretum habet *), ad Moguntinenſem, Trevirenſem, Baſileenſem, Argentinenſem, Baderbornenſem, Leodienſem, Luxenburgenſem, ceteraſque inferioris Germaniæ, Belgarum, & Duci Clevenſi, & Juliacenſi ſubjectas Provincias. Tantum reparandæ religionis negotium non certe unius, alteriusve anni, ſed experientia teſte, ne unius quidem ſeculi, & alterius opus fuerat. *2do* Romanus Pontifex ad Nuntiaturæ hujus inſtitutionem nec Colonienſis, nec alterius cujuscumque Archi- vel Epiſcopi conſenſum petiit, aut exſpectavit, ſed officii ſui curam exercens poteſtate ſibi a Deo tradita apoſtolicum Legatum pro fide reparanda in has partes Germaniæ miſit. Id de ipſa intellige ſpiritualis jurisdictionis delegatione; aliter tamen dicendum de reſidentia corporali, ſeu de loco, ubi ſtabilem Sedem erigere Nuntius deberet: hanc Pontifices numquam ſine amicabili compoſitione cum territorii Domino transacta ſuis Nuntiis aſſignarunt. *3tio* Coriolanus non ſolum tamquam extraordinarius Legatus juveni adhuc Ferdinando fuit adjunctus, ſed in locum Anteceſſorum ſuorum ſurrogatus, & æque, ac illi opportunis Facultatibus ſtabiliter inſtructus, *NB.* quibuscum tamen ſalva ſubſiſtere credebatur ordinaria Epiſcoporum jurisdictio. Tam longe illa tempora a falſa noſtrorum aberant perſuaſione, Legationem cum Facultatibus jam ſua natura juribus Ordinariorum præjudicare!

§. 12.

Videamus nunc, qua libertate, & tranquillitate apoſtolici hi Nuntii tam intra, quam extra Colonienſem Provinciam ſuum miniſterium executi fuerint. Bonhomo *vitæ ſanctimonia clarus, & rara eruditione, nulliſque muneribus corrumpendus* Leodii Synodum indixit, Tridentinum Concilium publicavit, reformando Clero operam dedit, & utilia fecit Statuta. Glorioſum hoc de eo teſtimonium dant Leodienſis Synodi acta **): „Synodus Leodienſis „an. Chriſti 1585 Sixti V. P. M. imo Rodulphi Imperatoris 9no, ſub „Erneſto, Duce Bavarico, Archiepiſcopo Colonienſi, Epiſcopo Leodienſi „*&c.* Præſidente Joanne Franciſco Bonhomio, Epiſcopo, & Comite Ver„cellenſi."

*) Apud Harzheim Conc. germ. Tom. 3. **) Conc. germ. t. c. p. 498.

§. 13.

Bonhomini alter Nuntius ſucceſſit Octavius Frangipani, qui longo tempore Coloniæ reſedit, & ampliſſimam jurisdictionem exercuit, antequam Princeps Bavaricus Ferdinandus in Coadjutorem Archiepiſcopi eligeretur. Is plura decreta concepit in Synodo publicanda, ſed ante avocatus anno 1596 illa typis commendavit, atque noviter electo Coadjutori dedicavit. Quam ampla jurisdictione ſub Archiepiſcopo Erneſto ſit gaviſus, ipſe in *Epiſtola dedicatoria* declarat his verbis: „Ad inveterata igitur quævis ma„la perrumpenda, & eradicanda, omnemque nequitiam ex hominum pe„ctoribus profligandam, nihil ex munere meo duxi eſſe valentius, quam „ex majorum inſtituto, ac ſacro ſancti Concilii Tridentini decreto, & SS. „D. N. Clementis optima voluntate Eccleſiam juvandi cogere Cleri *Cœtum*, „in aſſiduum uſum revocare Synodos, inſpicere omnium, & maximum „hominum eccleſiaſticorum, mores diſciplinam revocare neglectam, lapſam „& jacentem erigere, adſtringere ſolutam, ornatum atque decorem domus „Dei tueri, omnique ſpe, ſtudio, atque labore adniti, ut quæ ſapienter, „ſancte, & utiliter Canonum, Conciliorumque decretis, ac Patrum ſtatu„tis, & definitionibus ſancita, præſcripta, & mandata ſunt, non tam ora„tione, aut librorum foliis comprehendantur, quam acri, efficaci, & peren„ni rerum gerendarum ſtudio vere appareant, & aſſiduo opere exhibeantur. „Quæ mihi, cum in civitate Colonienſi degebam, non in votis dumtaxat „erant, ac intimo, ſummoque cordis deſiderio, ſed quoque in deſtinata „actione, definitoque conſilio, ipſoque operis procinctu."

§. 14.

Nuntio Frangipani ſuffectus eſt primum Coriolanus, huic vivente adhuc Erneſto Attilius Amalteus Athenarum Archiepiſcopus, Amalteo Antonius Albergati, atque huic a. 1624 Aloyſius Carafa, ſinguli ordinariis Nuntiorum Facultatibus inſtructi. Hodiedum celeberrimus eſt Carafa, qui Legationis ſuæ decennalis acta Leodii a. 1634 typis publicavit, ex quibus pro variis Diœceſibus excerpta quædam ſunt memoratu digniſſima: & quidem *pro Wirzeburgenſi*: „Cum oborta fuiſſet controverſia inter Herbipo„lenſem Epiſcopum, & Fuldenſem Antiſtitem occaſione jurisdictionis, *quam* „ille uſurpabat in S. Sixti præpoſituram, utpote ſitam intra limites *pro*„priæ Diœceſeos, etſi membrum erat Abbatiæ Fuldenſis, & exemta ideo „cenſebatur ab ordinaria Epiſcopi poteſtate; dedi ad eos ambos finitimos „Principes amicas epiſtolas, & ſum hortatus, ut animo eſſent mutuo, con„troverſiamque dirimerent; cum vero nihilominus eam ipſi non ſedarent, „interceſſi authoritate. Voluit tunc Herbipolenſis Epiſcopus Legationis

meæ

Digitized by Google

„meæ forum declinare, quaſi ad tribunal Nuntii Viennenſis Epiſcopatus „ejus, velut pars ſuperioris Germaniæ pertineret; ſed ego per epiſtolas „officioſas, & efficaces oſtendi, Epiſcopos quosque ſuffraganeos ad proprii Metro„politani Legationem ſpectare, niſi peculiariter litteris pontificiis ab ea eximan„tur: proinde ipſius Epiſcopatum ſpectare ad Nuntium Rheni ad quem ſpectat „Moguntinus Archiepiſcopus, ejus Metropolitanus. Sed & adjeci proceſſum „electi Epiſcopi Herbipolenſis a ſolo Nuntio Rheni formari conſueviſſe; hoc „autem eſſe munus proprii Nuntii, indicari in Diplomate Gregorii XIV. „Quocirca agnovit ille ita eſſe, finem controverſiæ impoſuit, & de eo ſpon„te ad me retulit per litteras ſane benevolas. Sæpe etiam, ut diſpenſa„tiones in gradibus impedientibus matrimonia impetrarem Romæ, perro„gavit, & aliquanto poſt unum e Conſiliariis ſuis cauſſa officiorum pariter, „& negotiorum ad me Leodium venire juſſit."

§. 15.

Pro Colonienſi Archidiœceſi „Diſpenſaverat frequentiſſime Colonienſis „Archiepiſcopus, ſeu generalis ejus Vicarius, tum ut ſacri ordines, ſi qui „eis inaugurari citius deberent, extra conſueta tempora conferrentur, tum „ut inirentur matrimonia inter conſanguineos, & affines tertio & quarto „gradu conſanguinitatis, vel affinitatis. Suberat vero ei perſuaſio, id ex „veteri ſeu conſuetudine, ſeu prærogativa licere: quod cum ego tamen „adverſari ſacris Canonibus non ignorarem, ad ſummum Pontificem de ea „cenſui referendum eſſe. Tum vero reperti Romæ ſunt Codices indulti „aliquoties conceſſi ad quinquennium, vel ab ineunte Pontificatu Pauli V „fauſtæ recordationis. Quo tempore Vicarius alter Epiſcopatus Leo„dienſis ferme exauthoratus eſt, quoniam perinde authoritate pro„pria circa matrimonia diſpenſaverat, nec deinde indultum illud „poſtremis annis fuerat renovatum. Ex quo conſtabat, male fuiſſe „initiatos iisdem Ordinibus, & male nupſiſſe, quotquot utriusque impedi„menti gratiam obtinuerant, & debere eos omnes ceſſare ab Ordinum ex„ercitio, ceſſare a matrimonii uſu, & conſcientiae propriae ſimul, atque „honori liberorum conſulere. Coloniae ideo ſublatus eſt ejusmodi pravus „poteſtatis uſus, & tum cœpi perinde urgere Leodii, ne Vicarius Epiſco„pi agnatis, qui contingerent ſe antedictis ſanguinitatis, vel affinitatis gra„dibus, matrimonii veniam daret; ſiquidem & ipſe facultatis ejus indultum „ab apoſtolica Sede aliquoties habuerat, quod erat argumentum poteſtatis „delegatae, omnemque praeſcriptionis locum ei adimebat. Hinc vero fa„ctum eſt, ut Colonienſis Elector eam utramque poteſtatem ſupplex a ſum„mo Pontifice petierit, & ad ſeptennium impetraverit pro Archidiœceſi „Colonienſi, pariter & pro Diœceſi Leodienſi."

§. 16.

§. 16.

Pro Moguntina Archidioecesi: „Joannes Swicardus Archiepiſcopus Elector Moguntinus, & S. R. I. in Germania Archicancellarius ſenio & meritis plenus diem vitae poſtremum obierat; & contuleram ideo me Moguntiam ad Succeſſoris electionem, habueramque obvium extra Moguntiae urbem cum aliquot rhedis magnum Decanum, & alios Canonicos. „Sed quia dilata electio in longiorem diem fuerat, ut ii, qui aberant Canonici, poſſent redire, atque intereſſe Comitiis, Aſchaffenburgi palatium „inviſere interea temporis potui: itaque Moguntia digrediens transmiſſo „Rheno Seligenſtadium veni. — Cum inſtarent Comitia, & triduo poſt eſſent habenda; ſub Conopaeo ſedens in conſeſſu Canonicorum ego paraeneſin habui, & fuit ea omnium veneratio, ut dicentem audierint aperto „capite, nec tametſi rogati ſaepius tegere voluerint. In qua ſignificatione „obſequii manſerunt, dum eorum nomine magnus Decanus gratias ageret, „ac faceret ſpem electionis optimae. — Adfuit itaque dies electionis, & „dum Canonici in Comitio erant, ego ac duo Caeſarei Oratores in Odaeï „ſubſelliis ornatis periſtromate ſedimus, donec magnus Decanus ex conclavi egreſſus privatim nobis, ac dein e ſuperiori loco ſemel latine, iterum germanice populo nuntiavit, electum via Spiritus S. Archiepiſcopum „Electorem, & Principem Moguntinum fuiſſe Georgium Fridericum, antea Wormatiae Antiſtitem, & Moguntiae Praepoſitum. Poſtridie ſum auſpicatus electionis proceſſum, & triduo in Commentarios omnia retuli, monitaque dedi inſuper in Codice ſcripta novo Principi, quae ad optimum „regimen Eccleſiae Moguntinae mihi videbantur poſſe conducere. Habitus vero ſum ab ipſo Electore in aula ejus tam honorifice, ut potuerim „jam tum conjicere, ita prorſus futurum, quemadmodum pollicebatur, cum „diceret mihi abeunti ſuperaturum ſe Anteceſſores in obſequii reverentia „erga S. Sedem. Etſi autem conabatur me diutius retinere, utpote qui affirmabat videri ſibi S. Petrum in aedibus eſſe, dum ego aderam Apoſtolicus Legatus, quanto maturius potui, ſolvi Moguntia, & ſecundo Rheno deſcendi Coloniam."

§. 17.

Veniant nunc Curialiſtæ Archiepiſcopales, & tranquillam negent jam inde ab initio Colonienſis Nuntiaturæ in Imperio agnitionem! Quæ in contrarium exempla producit Bonnenſe Memoriale, in libello *Reflexionum* *) ſoli-

*) Réflexions ſur les 73 Articles du Pro Mémoria de Cologne, 1788. Item: Defenſe des Réflexions, 1789.

ſolidiſſime ſcripto jam ſunt ad metullam uſque oſſium denudata, atque inermia plane, nudaque, non ſine confuſione falſarii Concipiſtæ orbis conſpectui propoſita. Sicut ille Salisburgenſis, ita & hic Bonnenſis Concipiſta monitus ſit, niſi fidem ſuam catholicam revocando, & pœnitendo probaverit, ſe jam inter domeſticos fidei a nobis non numerandum, quippe qui §. 52 factum Imperatoriæ Pontificiæ Delegationis jurisdictionem ſua terreſtri Auctoritate deſtruentis probando, item §§. 13 & 21 Proteſtantium ſenſa contra pontificiam jurisdictionem amplectendo, ſibique propria faciendo in hæreſin incidit jam cum Luthero damnatam, *Principibus in res ſpirituales jus competere.*

§. 18.

Quam firmum in Imperio fundamentum apoſtolicæ Nuntiaturae habeant, partim ob romanum tribunal ſemper agnitum, publicisque pactis & Capitulationibus firmatum, praec. Coroll. 4, partim ob tranquillam duorum ſeculorum poſſeſſionem, ex modo dictis PLENA IN MERIDIE apparet. Singulariter autem de *Nuntiaturis* memorandae ſunt Capitulationes Caeſareae a Ferdinando Romanorum Rege de anno 1653 uſque ad recentiſſimam Joſephi II de anno 1764, quarum hiſtoriam veluti ab ovo juvat percipere. Antiquiſſima inter Chriſtianos conſuetudo erat, Imperatorum privilegiis munita, ut propter majorem juſtitiae fiduciam, quam in Paſtoribus Eccleſiae fideles reponebant, etiam *profanis in cauſſis* eccleſiaſticum tribunal accederetur. Etſi hoc privilegium lapſu temporum fere ubique intercidiſſet, quibusdam tamen in Epiſcopatibus, ut Leodienſi, ſeſe conſervavit integrum. Ipſa naturalis quaedam aequitas dictabat, ut a ſacerdotali ſententia non amplius ad laicum tribunal cauſſa vocaretur, ſed ad ſuperius quoddam Eccleſiae judicium appellatio fieret: hinc ergo ad Nuntios quaſi duce natura fieri ſolebat. Id judicii eccleſiaſtici genus non mirum judicibus laicis diſplicuiſſe: propterea ſaepe a Camerali Judicio Imperii prodierant *mandata caſſatoria, & inhibitoria proceſſuum ad Nuntiaturam incompetenter delatorum*, uſque dum hac ſuper re gravamen anno 1643 Imperiali Deputationi proponeretur, ab eaque probaretur. Inde demum anno 1653 celebris conſtitutio profecta, quae §. 164 Recentioris Receſſus imperii gravamine contra Archi-&-Diœceſes Colonienſem, Leodienſem, & Monaſterienſem ob appellationes in cauſſis civilibus, aut profanis ad Pontificem, & Nuntios propoſito ſtatuit, ad romanam Pontificis Sedem hoc gravamen eſſe perſcribendum, ut ſuis Nuntiis ejusmodi in Imperio illicitum judicandi uſum interdiceret, & evocationes ad tribunalia extra Imperium prohibendas, atque Nuntiorum abſolutiones a juramentis non amplius atten-

Digitized by Google

dendas. Superfluum fuerit annotare, hanc conſtitutionem expreſſe ad *cauſ-ſas civiles aut profanas* fuiſſe reſtrictam.

§. 19.

Eodem anno 1653 contigit electio Romanorum Regis Ferdinandi IV, cui primum Capitulatio de Nuntiorum tribunali quod cauſſas temporales propoſita, & ſemper dein renovata Capit. Caeſar. Art. 14, §. 4: „*Volu-*„mus inſuper, ſi forte contingeret, ut cauſſae civiles a ſuo ordinario judi-„cio in ſacro Imperio extra illud ad Nuntios apoſtolicos, aut omnino ad „Curiam romanam avocarentur, id interdicere, & ſerio prohibere, atque „Caeſareo Fiſcali tam apud Imperii Aulicum, quam Camerale Judicium in „mandatis dare, ut contra illos, tum Partes, tum Advocatos, Procurato-„res, & Notarios, qui ſimile quid attentaverint, aut quomodolibet ſuam „operam locaverint, poſt decentem accuſationem vi officii procedat, qua-„tenus transgreſſores his conformiter judicentur, & puniantur."

§. 20.

Huic §. 4 propter frequenter exortas lites de cauſſarum natura, vel *ſacra*, vel *profana*, adjectus eſt §. 5, Art. 14 in Capitulatione Joſephi I anno 1690 ſub hac forma: „Et quoniam ob antedictas civiles cauſſas inter „caeſarea, & Imperii ſumma tribunalia, atque apoſtolicas Nuntiaturas fre-„quentiores lites, & diſſenſiones ſunt excitatae, eoquod utrinque ab offi-„cialium alterius judicis ſententia factae appellationes reciperentur, Proceſ-„ſus agnoſcerentur, iidemque per varia ſevera mandata ſummo Partium in-„commodo, & diſpendio manutenerentur; ad huic malo praecavendum, & „omnem conflictum juriſdictionis evitandum, operam dabimus, ut cauſſæ „ſeculares ab eccleſiaſticis juſte diſtinguantur, & occurrentes caſus dubii „per amicabilem cum Sede pontificia ſuſcipiendam tractationem, & trans-„actionem componantur, atque ita eccleſiaſticæ, ac civili Poteſtati, cuilibet „ſuum jus judicandi inviolabile ſervetur."

§. 21.

Cæcus ſit, neceſſe eſt, qui non videat, aut obſtinatus, qui videre nolit, 1*mo* hactenus a Nuntiis utramque juriſdictionem tam *ſacram*, quam *profanam* in Imperio fuiſſe exercitam: 2*do* tantum *profanam* iisdem Capitulatione cæſarea prohibitam: 3*tio* in dubiis caſibus, an *eccleſiaſtica*, an *civilis* juriſdictionis cauſſa ſit, Imperium non ſibi jus tribuiſſe Nuntiorum judicia via facti ſeu violentia excludendi, ſed viam amicabilis cum romano Pontifice compoſitionis præſcripſiſſe, & 4*to* promiſiſſe, ut Pontifici jus hacte-

hactenus per ſuos Legatos exercitum in rebus eccleſiaſticis judicandi inviolatum ſervetur. Hæc igitur tam ſolemnis *promiſſio* a quibusdam falſo, & inique Nuntiorum *tolerantia* vocatur : eſt enim publica fide inita *pactio*, ab Imperatore ſuſcepta, ac juramento firmata *obligatio*, & Imperii *lex fundamentalis*: hæc ſunt, quæ ipſi DD. Proteſtantes hodie publicis in ſcriptis fatentur, & longiore jam a tempore pacifici, ac tranquilli obſervarunt. — Quid vero nunc inter Catholicos quatuor Archiepiſcopi???? Stupens manus calamum negat — Scribendum eſt tamen, quod non amplius incognitum: neceſſitati ſerviendum, ac veritati; Deo magis, quam hominibus placendum. En facti ſpeciem!

ARTICULUS VII.

De præſenti nunc controverſia Archiepiſcoporum coram Imperii tribunali.

§. 1.

Licet Archiepiſcopus Moguntinus tentata ſua in Comitiis electoralibus a. 1764 molimina in irritum cecidiſſe conſpiciens, datis ad Pontificem litteris, quas ſupra Append. ad Coroll. 4 vidimus, ſubmiſſionem ſuam omnimodo conteſtatus fuerit, & quidem in ſpecie: „Appellationes romanas „ſe ſalvas admittere, injuſte ſe accuſatum, quaſi illas impedire voluiſſet, „modis viribusque omnibus ſe curaturum, ut Parti appellanti via Romam „pateret, penitus ſe perſuaſum exiſtere, præſentem Eccleſiæ diſciplinam „quoad appellationes ad ſanctam Sedem tam neceſſario connexam eſſe cum „Eccleſiarum Germaniæ libertate, ut hanc convelleret, qui illas abolere „vellet, Monitum de Concordatis Principum Baſileenſibus ſe non facere „ſuum, quin potius ſua in Imperio authoritate ſe adniſurum, ne ſanctæ Se-„di quid præjudicii in juribus hactenus retentis enaſcatur, illos eſſe pacis „perturbatores, qui deſuper novos tumultus aliquando excitarent, omni-„bus juris, vel facti novationibus contra apoſtolicam Sedem ſuo archican-„cellarii officio ſe reſtiturum, numquam Germaniæ Metropolitanis in men-„tem veniſſe appellationes romanas impugnare, eaſdem celebri Artic. 14 „Capit. Cæſar. in eo, quo hactenus fuerunt ſtatu, ſatis eſſe præſervatas, Recur-„ſum a Partibus ad ſecularia imperii tribunalia (vel temporalium prætextu) eſſe „peſſimum exemplum, hactenus in Germania ignotum, hoc modo, quem ipſe „abominaretur, Pontificum, & Epiſcoporum jurisdictionem, & omnem Ec-„cleſiæ libertatem everſum iri: propterea hujusmodi Recurſibus in futu-„rum ſe omnino obſtiturum, ſuisque ſubditis ſeveriſſimis pœnis interdictu-

 „rum,

„rum, ne recurrentibus ad brachium ſeculare conſentiant, vel conſilium, „auxilium, favorem exhibeant.“ Hæc ſingula licet romano Pontifici Archiepiſcopus Moguntinus ſub conteſtatione ſenſuum aliorum Metropolitarum a. 1764 ſanctæ promiſerit; quis credat, eorumdem Archiepiſcoporum Officiales a. 1769 Confluentiæ congregatos gravamina feciſſe, quæ certum eſt illos feciſſe, & Imperatori, cujus ſenſa ex aliquot indiciis collegerant, porrexiſſe: „Ut cauſſæ appellationum non amplius conſueto more ad Sedem „romanam, ejusve Nuntium pervenire poſſent, & ſimul tota Legatorum „in Germania jurisdictio hactenus exercita ceſſare deberet“ *). His elapſo vix quinquennio contra verbum ſuum Pontifici datum Moguntinos fuiſſe cooperatos quis crederet??

§. 2.

Sed vivente tunc adhuc Auguſtiſſima & Pientiſſima Matre Thereſia Archiepiſcopi non parum confundebantur ex ipſo Imperatoris Reſponſo. Cæſarea enim Majeſtas ſui juramenti memor vi Capitulationis a ſe initæ Archiepiſcopos ad romanum Pontificem remiſit, ut amicabili modo eidem, tamquam ſummo Eccleſiæ Capiti ſua proponerent gravamina **). Num iſta Romæ propoſuerunt? Anne vel potuiſſet Moguntinus poſt ſuas illas litteras Pontifici talia proponere??

§. 3.

Defuncta glorioſiſs. mem. Thereſia Imperatrice, cum Eccleſiæ vulnera doloroſiſſima Imperator jam intuliſſet, utramque tangens pupillam divini oculi, Sacerdotium ſcilicet, & Virginitatem, ita ut ſanctiſſimus Papa afferendi remedii gratia longiſſimum iter Viennam ſuſciperet; *nihil commiserationis* cum optimo Patre oſtendentes Archiepiſcopi ***), nova eidem vulnera ferire non ſunt veriti, ab Imperatore impetrantes adhortatoriam illam epiſtolam die S. Maximiliani a. 1785 datam, qua Pontificiis Nuntiis omnis jurisdictio *NB. in ſpiritualibus* ablata ſit.

§. 4.

*) Le Bret. Tom. 8, N. 29. **) Ibid. l. c.
***) Uſque ad certum tempus hic excipiendus eſt Eminentiſſ. & Sereniſſ. Princeps Elector Trevirenſis.

§. 4.

Obtenta hac ab Imperatore contra apoſtolicas Nuntiaturas Viennenſem, & Colonienſem epiſtola, mox Archiepiſcopi irrequiſito Imperio, iisque Principibus ſeu Catholicis, ſeu Proteſtanticis, in quorum ſubditos tranquilla ſeculorum poſſeſſione Nuntii apoſtolici jus exercebant, Archiepiſcopi, inquam, irrequiſitis omnibus hisce Principibus Nuntiorum jurisdictionem eccleſiaſticam a finibus totius Imperii excluſam declararunt, inſuperhabito jure advocatiæ, quod cuilibet Domino territoriali pro ſuæ ditionis Eccleſia proprium eſt; imo contra expreſſum tenorem Pacis Weſtphalicæ Art. 8, quo liberum juris territorialis tam in eccleſiaſticis, quam politicis exercitium omnibus & ſingulis, æque Catholicis ac Proteſtanticis Statibus firmatum eſt: prout invicte jam oſtendit Palatinus Elector in ſua Reſponſione ad Cæſar. Majeſtatem die 4 April. 1787. Forſitan neceſſe erit novo libro vernaculi idiomatis populum chriſtianum commonefacere, quo inſcio & invito quatuor Archiepiſcopi immutationem Religionis Romano-Catholicæ facere attentarunt. Docendus eſt populus in religionis negotio nullam ſe obedientiam debere hisce a Capite totius gregis ſe ipſos ſeparantibus Archi- & Epiſcopis, ne iis quidem, qui territoriales ſimul Domini ſunt. Sed hæc amplius ſuo tempore & loco.

§. 5.

Colonienſi Nuntio Belliſomi interim Liſabonam promoto anno 1785, alius Mſgn. Pacca Damiatenſis Epiſcopus a Ss. Papa ſubſtituebatur: is iterato in Aula Bonnenſi audientiam petens, ut ſuas, quas vocant *credentiæ* litteras, exhiberet, inamicabili modo repulſam tulit cum ſignificatione numquam ad Archiepiſcopi conſpectum ſe, ut apoſtolicæ Sedis Legatum tum Facultatibus inſtructum fore admittendum. Cum ergo Nuntiaturæ, Colonienſis ac Viennenſis, ſub quibus antea provinciæ Electoris Palatino-Bavarici ſteterant, via facti, non ſine gravi deſpectu apoſtolicæ Sedis antiqua ſua jurisdictione eſſent ſpoliatæ; Elector de ſtemmate Domus Bavaricæ ſuorum Proavorum pietate animatus anno 1786 pro ſuis Ditionibus injuriam ſanctæ Sedi reſarcire ſtatuit, atque in Metropolin ſuam, Monachium Athenienſem Archiepiſcopum Zoglio cum Facultatibus ordinarii Nuntii advocavit, ipſo etiam amicabiliter ſe exhibente Boruſſorum Rege, cui Archiepiſcoporum invaſiones in aliena jura antea perſpectæ erant. Nunc vero affuſo veluti oleo ignis in apertam erupit flammam, hoc eſt, archiepiſcopale odium adverſus ſummam Sedem antea quaſi ſub cineribus latens jam manifeſte exarſit.

 §. 6.

Digitized by Google

§. 6.

Eodem adhuc anno quatuor Archiepiſcopi, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, & Salisburgenſis per electos quatuor ſervos Curialiſtas pro deliberatione, non in Eccleſia Dei, non populo ad preces convocato, ſed in Balneo Emſano tamquam aliud agentes convenerunt, in illo balneo, quod æternum in maledictione erit, ut cum Authore *Reflexionum* loquar: „ubi „quatuor iſti Prælati in quatuor Papas ſe transformarunt a Romano abſo„lute independentes, ubi ſchiſma completum, & omnis relatio ad Eccle„ſiæ Caput formaliter abolita eſt, ubi Capitula cathedralia in ſervitutem „redacta, Epiſcopatus contemtibilis factus, omnes prærogativæ ponti„ficiæ, epiſcopales, canonicales ad Metropolitanam Præpotentiam de„volutæ ſunt, ubi œcumenicæ Synodo Tridentinæ conſtanter contradicitur, „ubi univerſæ Eccleſiæ leges diſpoſitioni poteſtatis incompetentis relinqu„untur, ubi matrimonia per Eccleſiæ declarationem nulla per diſpenſatio„nes æque invalidas legitimantur, ubi diſciplina ex fundamento deſtruitur, „Hierarchia omni ex parte concutitur, & unde demum, ſi quando inſanum „conſilium ad effectum poſſet pervenire, perturbatio reſultaret, quæ ex „Eccleſia Dei faceret Babylonis confuſionem.“ Hæc de famoſis 23 Emſani Balnei Articulis, ut nihil dicam de occulte commiſſis, ab Archiepiſcopo Salisburgenſi in Aula Viennenſi propoſitis, non tamen quaſi ipſe conſenſum dediſſet: quod verene, an falſo purgaturus ſe pio ſuo Parenti Archiepiſcopus dixerit, conſcii Emſani judices ſunto!

§. 7.

A balneo reverſi Archiepiſcopi Rhenani novam, ut putabant, injuriam a Nuntio Colonienſi, verius autem ab ipſo Pontifice paſſi eo acerbius publicis in decretis adverſus apoſtolicam Sedem debacchabantur. Occaſio erat hæc: Impedimenta matrimoniali eccleſiaſtica quæcumque, etiam quæ *dirimentia* vocantur, nec conſuetis *Facultatibus* comprehendi ſolent, diſpenſandi poteſtatem proprio jure ſibi Archiepiſcopi arrogaverant, etſi id Concilii Tridentini ſtatutis adverſaretur; etſi diœceſani ipſorum libri tantam Epiſcopis authoritatem expreſſe negarent, etſi Pontifex inde a Concilio Tridentino in tranquilla & *NB.* ab univerſali Eccleſia jam *agnita* poſſeſſione eſſet, ut ſolus diſpenſaret, etſi a ſeculo, & ultra ſerie *non interrupta* quilibet ſuorum Anteceſſorum uſque ad actualiter exiſtentes Archiepiſcopos, eosque *incluſive* has ipſas diſpenſandi facultates ſibi a romano Pontifice delegari fere ſingulis quinquenniis petere & obtinere conſueviſſent; etſi demum in ſua Conſecratione Pontifici tamquam ſupremo Paſtori, & Chriſti Vicario fidelitatem & obedientiam ſolemniter juraſſent,

Quam-

Quamobrem, cum de Sacramenti valore ageretur, de matrimonii honeſtate apud Deum & homines, de liberorum juribus, de ſequelis, quæ ſtatum politicum æque, ac eccleſiaſticum neceſſario perturbare deberent; Nuntius Apoſtolicus Sacerdotes curatos admonuit, ſimiles diſpenſandi facultates Archiepiſcopis non convenire. Sed Curati nihil iſtis monitis movebantur magis ſui Archiepiſcopi, quam longe abſentis Papæ timore ducti *).

§. 8.

Itaque Pontifex ſua uſus poteſtate, quam illi divino jure competere omnes Catholici conſenſu unanimi profitentur, Epiſcoporum negligentiam ſupplendi, & corrigendi, ubi diſciplinæ, aut ſacrorum Canonum non debite obſervantes ſunt; ſuo Nuntio Pacca *NB.* non ordinaria delegatione, ſed ſpeciali commiſſione *deſtricte* præcepit, ut nomine & Auctoritate Apoſtolica Curatos inſtrueret, quas diſpenſandi facultates, & quas non Archiepiſcopi haberent, quænam matrimonia pro veris, & quæ pro nullis habenda eſſent. Hæc inſtructio ſermone latino concepta, ne qua confuſio coram plebe Paſtoribus oriretur, tantum Curatis ad debitam notitiam mittebatur, in qua ſimpliciſſimis verbis, ab omni exprobratione etiamſi juſta, longe alienis facultates indicantur, quas ultra ſeculum ſinguli Archiepiſcopi, ab anno 1645 Colonienſes, ab anno 1653 Moguntini, de anno 1662 Trevirenſes ſupplicibus precibus a ſanctiſſima Sede impetrare conſueverant.

§. 9.

Archiepiſcopi autem ſumme indigne ferentes, romanum Paſtorem hanc quaſi rimam oſtii inveniſſe apoſtolica voce ſuis cum ovibus loquendi, jam ſibi moderari non amplius valebant, quominus diris invectivis vernacula lingua publicatis hanc ipſam paſtoralem inſtructionem laceſſerent. Ita primus Colonienſis die 12 Decembr. anno 1786 publico decreto omnibus Parochis imperavit, inſtructionem a Nuntio apoſtolico acceptam ſine tergiverſatione, per primam poſtam ſub eodem, quo tranſmiſſa eſt, involucro ad Auctorem ſuum remittere, & hujus remiſſionis certificatum ab Officialibus poſtæ requirere, ad Vicariatum archiepiſcopalem confeſtim immittendum, adjuncta gravis pœnæ comminatione, ſiqui Parochi a romana Sede ſcriptum, Breve, Bullam, diſpenſationem, aut cujuscumque nominis rem, niſi

*) Veritable etat du different elevé entre le Nonce apoſtolique reſidant à Cologne, & les trois Electeurs eccleſiaſtiques. 1788.

niſi antea obtenta ab Archiepiſcopo ſcripta licentia, acceptare præſumſerint *).

§. 10.

Similis prohibitio ex Officialatu Trevirenſi 20 Decembr. anno 1786 ad Parochos emiſſa fuit, ſed minus adhuc temperatis vocibus. Apoſtolici Nuntii, eorumque poteſtas a finibus germanici Imperii dicebantur *proſcripti* (verwieſen), etſi Archiepiſcopus juramento in Conſecratione ſua ſe obligaſſet, *Apoſtolicos Nuntios recipere, audire, & reverenter tractare*. Item dicebatur Poteſtatem legiſlativam Pontifici, utpote *peregrino* Epiſcopo in *aliena* Diœceſi non eſſe: litteris apoſtolicis archiepiſcopalem Auctoritatem fuiſſe *turpiter læſam*, demum quoad Regulares quædam præcautio ſubjungebatur de *bujusmodi furfuris*, id eſt, apoſtolicis litteris.

§. 11.

Poſtridie, id eſt, 21 Decembr. 1786 Vicariatus Moguntinus mordaciſſimum edidit decretum, in quo reſervationes pontificiæ a Concilio Tridentino expreſſe probatæ reprobantur, apoſtolica declaratio *ſeductoria* vocatur, & *audax attentatum, quod merito abominandum ſit.* Sic ergo ex eo momento, quo Papa nimium moderato, ut multis videtur, verbo contradixit, jam aperto Marte cum Chriſti ſummo in terris Vicario hoſtiliter pugnant tres Archiepiſcopi, quarto ſibi in ſocium juncto. Animadverſione dignum eſt, quod plures vel ex proteſtanticis ſcriptores jam obſervarunt, nullum ex tribus Archiepiſcopis ejus rei veritatem negare, quam apoſtolici Nuntii declaratio continet: omnes ergo, & ſingulos tacite fateri, a ſeculo & ultra has pontificias reſervationes ab iisdem Archiepiſcopis conſtanter & tranquille agnitas fuiſſe.

§. 12.

Inſuper & ego unum adhuc obſervo, diſpenſandi in legibus Eccleſiæ univerſalibus poteſtatem ab Archiepiſcopis ſibi vindicari, non jure Metropolitico, ſed Epiſcoporum ordinario. Quoniam ergo vel prætextu juſtitiæ Archiepiſcopi hanc graviſſimi momenti quæſtionem per ſe ipſos, *inconſultis* Epiſcopis, imo etiam ſine diœceſana Synodo, tantum in *balneo* cum quatuor ſervis Curialiſtis decidere, & toti Imperio obtrudere tentarunt? Itane olim per violentiam extra provinciales, quid, quod & diœceſanas

*) Si tanti *Placiti* jus Epiſcopi adverſus ſuum ſupremum Caput habeant, quanto juſtius adverſus Epiſcopos habebunt Principes? Elector Palatinus brevi poſtea juſtiſſimas vices Archiepiſcopis rependit decreto 6 Mart. 1787.

ceſanas Synodos Metropolitis dominari licuit? Quatuor Archiepiſcopi anne totam Germaniæ Eccleſiam efficiunt, aut ſolum repræſentant? Quanam lege, vel quonam ex pacto Imperium tenetur quatuor Archiepiſcoporum (ſecundi dumtaxat ordinis, ſi ad antiquitatem reſpicias) ſine Patriarchæ ſui conſenſu recentiora placita ſubmiſſo capite amplecti?? Anne Imperii Principibus ſua territorialis jurisdictio tam in eccleſiaſticis, quam civilibus per quatuor Archiepiſcopos jam non amplius ſalva eſt???

§. 13.

Longius abrepti vindictæ motibus Archiepiſcopi apud Cæſaream Majeſtatem de recepto Monachii apoſtolico Nuntio ipſum accuſarunt unacum Papa Sereniſſimum Electorem, Bavariæ & Palatinatus Principem, mediante quidem Colonienſi Archiepiſcopo, ſed prout facta, & ſcripta teſtantur, ceteris conſpirantibus. Nec dubitavit Aulicum Viennenſe Conſilium jus territoriale Electoris Palatino-Bavarici violare Concluſo 27 Febr. 1787, quo quidem Principi Electori præcepit, ut Nuntio apoſtolico Zoglio in Ditionibus Juliacenſi, & Montium jurisdictionem nullam permitteret, illiusque ſubdelegato Roberz commiſſionis ſuæ exercitium interdiceret, & Cæſareæ Majeſtati modum præſtitæ obedientiæ intra terminum duorum menſium ſignificaret *).

§. 14.

Non defuit ſuo officio Sereniſſimus Elector, etſi haud parum gravatus, ſed ſimpliciſſima, veriſſimaque reſponſione 4 April. ejusd. anni injuſtitiam factæ adverſus ſe accuſationis Cæſareæ Majeſtati demonſtravit, quia 1*mo* per Nuntiaturam Monacenſem, quæ nonniſi Viennenſis, & Colonienſis antiqua jura in ſuis terris retineret, *nova & aliena* jurisdictio neutiquam fuerit introducta: 2*do* Judicaturæ pontificiæ nullatenus multiplicatæ: 3*tio* & jura Archi- vel Epiſcoporum ordinaria nec minimum læſa. Ceterum merito Elector Palatino-Bavarus inſinuavit, ad jus territoriale cujuslibet immediati Principis reſtringendum non ſufficere unilaterale gravamen quorumdam conſpirantium Archiepiſcoporum, aut Electorum eccleſiaſticorum, ſed neceſſariam requiri ſummam Poteſtatem legislativam, quæ in cæſarea Majeſtate unacum toto conſentiente Imperio conſiſteret.

§. 15.

*) Tantam obedientiam, ſi Pontifex ab Archiepiſcopis exegiſſet, quanta lamentatio!! Nonne in Eccleſia Dei major ſit ſubordinatio, quam eſt Principum dependentia ab Imperatore noſtri Imperii? Notum eſt in Imperio fere, aut vere *ſouverainos* eſſe Principes, quibus licet cum Imperatore & bellum gerere.

§. 15.

Ultima igitur tentantes Archiepiſcopi (catholicæ aures exhorreſcunt) ſuam cæſaream Majeſtatem eo permoverunt, ut demum menſe Auguſto cauſſam quatuor Metropolitarum contra romanum Pontificem, & Electorem Palatino-Bavarum Imperii Collegio ſtabili Ratisbonæ pro ſumma judicatura (intellige *terreſtrem*, ſeu *politicam*) committeret. Sic cauſſa hæc, tota quanta ſpiritualis de jurisdictione divini Primatus in Eccleſia Chriſti ad ſeculare tribunal, majorem fere partem proteſtanticum, per Archiepiſcopos delata eſt. Obſtupeſcite „cœli! terra contremiſcat! Quis credat auditui noſtro? —

§. 16.

Sententia judicum *terreſtrium* judicio nondum lata eſt: ſi autem ferenda ſit, ſecundum quas leges fundamentales, ſecundum quæ pacta publica, ſecundum quæ juramenta ad cœlum facta (ſiqua fides amplius juramentis) judicari oporteat, jam a nobis præc. Art. demonſtratum eſt. Judex autem ſolus *legitimus*, atque a Deo conſtitutus in hac mere eccleſiaſtica cauſſa inobedientium, ut molliter loquar, Archiepiſcoporum, quibuscumque demum viribus reluctentur, eſt, & manet immutabili in poſſeſſione ſupremus Eccleſiæ Paſtor, Chriſti Filii Dei Vicarius, S. Petri Succeſſor, romanus Pontifex, Pius VI, cujus juſtiſſimum judicium pro tanti ſcandali ablatione ex Domo Dei fideles patienter exſpectant.

§. 17.

Si vero catholicos Bavariæ ſubditos Archiepiſcopi pergant a ſancta Matre romana Eccleſia ſuis conatibus avertere, nec mature pœnitendo reſipiſcant; vota & deſideria piorum ſubditorum ſunt, ut Sereniſſimus, Optimus de Domo Bavarica Princeps Elector fideliter, magnoque animo in hac ſecunda forſitan, & triſtiori Reformatione veſtigia ſuorum Proavorum pro conſervanda fide romano-catholica ſequatur, & memor ſit Concordatorum cum Epiſcopis *tantum ſub ea conditione* a. 1583 initorum: „In quæ „quidem Concordata eatenus conſentit pientiſſimus Princeps, ut tamen in „caſibus non expreſſe ſpecificatis ſibi jus ſuum reſervet, ac quod jam *teſtatiſſimum* eſſe vult, etiam in expreſſis eo usque Conventis ſtabitur, dum „Reverendiſſimi Ordinarii — ita rem per ſe, vel ſuos adminiſtrabunt, ut „catholicæ Religionis profectus, ac circa Clerum eccleſiaſticæ diſciplinæ „nervus conſervari poſſit: ſin quid ſecus ipſi, aut remiſſius egerint — „Princeps tunc pro ſua pietate, & publicæ ſalutis cura de opportunis, & „efficacibus remediis vigilantiſſime curabit ſemper.“ Concord. §. VII.

Deum

Digitized by Google

Deum nos ſubditi precamur, ut Patriae noſtrae Archiepiſcopum donet vere catholicum, apoſtolicum, alterum Bonifacium. Amen!!!

APPENDIX.

De Iſidori Mercatoris Collectione.

SPECIES FACTI.

§. 1.

Veritas luce delectatur, cujus praeſidio ſeſe communicat, munitque: contra mendacium tenebras amat, ſub quarum latibulo irrepere, ſedemque ſibi ſtabilire nititur. Hoc ipſo indico falſitas ſe prodit hodiernæ, quæ prætenditur, juris eccleſiaſtici reformationis. Prætextus reformandi eſt, quod Iſidorus *Mercator*, ſeu *Peccator* dictus fucatis ſuis ſpuriisque mercibus ita Eccleſiam, Chriſti ſponſam deceperit, corruperitque, ut priſtina ſua octo ſeculorum integritate perdita eam indueret externam, quam etiamnum gerit, Hierarchiæ pontificiæ ſpeciem, ſi Novatoribus credas, adulterinam. Hæc autem ipſa de Iſidoro antiquorum Canonum, & Decretorum Collectore hiſtoria tam obſcura eſt, tam denſis involuta tenebris, ut eam dicas ſub ægyptiaca nebula deliteſcere. Deum teſtor, in toto hoc conficiendo opere nihil difficilius, nihil operoſius mihi accidiſſe, quam vel ſolam hac in re facti ſpeciem referre. Scriptores de hac quæſtione tantum non omnes, certe præcipuos æque antiquiores, ac recentiores pro utraque parte perluſtravi, præter Magdeburgenſes ſcilicet Blondellum Calviniſtam Auguſtani civis perhoneſti, ac perdocti favore mihi communicatum, Petrum de Marca, atque Baluzium, Vaneſpenium, Berardum, Natalem Alexandrum, Labbeum, Couſtantium, Ballerinios, Zachariam; ſed ex oppoſito etiam, Hincmarum Rhemenſem, Antonium Auguſtinum, quem immerito altera pars ſuis annumerat, Turrianum, Binnium, Cardinalem d'Aguirre, ac recentiſſimum Scriptorem, cujus liber *de ſumma authoritate romani Pontificis* decennio abhinc Faventiæ prodiit. Nunc autem, quo plura legi, impenſa aliquot annorum opera, eo plura me neſcire vel circa ſolam facti ſpeciem profiteor. Hujus ergo collectionis originem prout vulgo creditur, atque ipſis adverſariis haud ſane diſpliceat, ab initio referam; mox ejuſdem fata ſubjungam; tum varias circa eam dubias, incertasque quæſtiones indicabo; demum præcipuas adverſus eam criminationes proponam, refellamque.

§. 2.

Initio fere noni ſeculi per Francorum regiones publicari cœpit ſub S. Iſidori Hiſpalenſis nomine famoſa ad hodiernum uſque diem Collectio canonum apoſtolicorum, & conciliarium, atque etiam decretalium epiſtolarum primis Pontificibus a Clemente uſque ad Sylveſtrum, ab hoc uſque ad Gregorium M. adſcriptarum. Collectio hæc teſte coævo Hincmaro Rhemenſi per Riculphum Moguntiæ Archiepiſcopum, alterum S. Bonifacii Succeſſorem, ſanctæ Romanæ Sedi adhuc valde devotum, qui Eccleſiam ſuam ab anno 787 uſque ad annum 814 optime rexit, ex Hiſpania fuit allata, atque in Germaniam, finitimasque regiones divulgata *).

§. 3.

Sors ei longe alia, feliciorque, quam recentiſſimis temporibus, ſtatim a partu ſuo obtigit, & integra ſeptem, vel octo per ſecula uſque ad Reformationis Proteſtanticæ epocham tranquilla in poſſeſſione ſervata eſt. Ejusmodi enim decreta jam in Capitularibus Francorum, tam illis Engilramni, quam Benedicti Levitæ locum mereri viſa ſunt: Concilia etiam œcumenica, Epiſcopi primi ſubſellii, poſt ipſos omnes juris eccleſiaſtici Interpretes, omnes Theologi, atque Polemici eam conſuluerunt, adhibuerunt, fideique dogmata per eam roborarunt. Ita jam anno 836 Concilium Aquiſgranenſe, anno 887 Colonienſe, iterum Metenſe, anno 888 Moguntinum, anno 895 Triburienſe, anno 992 Rhemenſe, circiter anno 1079 Ordo Romanus a Bertholdo Conſtantienſi conſcriptus, eodem tempore Micrologus in lucem editus, circa annum 1074 Author apologiæ pro S. Gregorio VII, anno 1008 Burchardus Wormatienſis, anno 1086 Anſelmus Lucenſis, anno 1114 Ivo Carnotenſis, anno 1151 Gratianus, demum generalia Concilia, ſub Calliſto II Lateranenſe, ac poſtremum Tridentinum iis ipſis decretis niſi *hiſtoricam*, ſeu *facti*, certe illam, quæ *juris*, vel *legalis* dicitur, authoritatem attribuerunt.

§. 4.

Hincmarus ille Rhemenſis, etſi ſubdubitanter de epiſtolarum iſtarum non *hiſtorica*, vel *juridica* authoritate, utpote ſibi inviſa, ſcripſerit; *ipſas* tamen *reverenter ad inſtructionem* eſſe ſuſcipiendas faſſus eſt. Primum medio XV Seculo Nicolaus Cardinalis Cuſanus non omnes certe epiſtolas priſcorum Pontificum, ſed quasdam dumtaxat, in ſpecie illas Clementis, & Anacleti ſuſpectas habuit, qui tempore Baſileenſis Concilii prius contra Ponti-

*) Opuſc. 55. Capit. adverſ. Hincm. Laudun. Cap. 24.

Pontificem ſtetit, poſtea eidem adhæſit. Altero poſt hunc ſeculo Eraſmus Roterodamus ſimile dubium de illarum epiſtolarum origine, ſeu hiſtorica genuitate manifeſtavit. Mox vero reformationis Lutheranæ jam orto ſchiſmate Centuriatores Magdeburgenſes non ſolum amplius titulos dictarum Decretalium, ſeu nomina Pontificum, quibus erant inſcriptæ, impugnarunt, ſed ipſam illarum, licet ſanctiſſimam, ab Eccleſia jam probatam doctrinam, ſiquidem hæc ipſa fidei antiquæ, ac diſciplinæ monumenta ſuis placitis noviſſime inventis contraria ſatis intellexerant.

§. 5.

Non defuerunt inter Catholicos, qui hiſce auſibus fortiter ſe opponerent: præ aliis Franciſcus Turrianus quinque libris, Coloniæ a. 1573 impreſſis Magdeburgenſes impugnavit. Opus hoc eruditione, nec non & ſoliditate *in toto*, quod ajunt, præſtans, attamen in eo ipſis adeo Catholicis minus ſatisfecit, quod Author ſingularia quædam documenta nimium purgare a nævis ſtuduerit, quibus tamen neceſſario quodam fato quælibet antiqua monumenta propter hominum perfidiam, inſcitiamve, aut propter ipſas temporum injurias obnoxia ſunt. Adverſus Turrianum maximo eruditionis apparatu aſſurrexit Calviniſta David Blondellus a. 1627 Genevæ librum emittens, in quo Pſeudoiſidorus. & Turrianus miſere, juſtoque ſeverius vapulant. Calviniſta ille immenſo veluti ſuo labore præter animum, atque invitus catholicæ Eccleſiæ efficaciſſima miniſtravit ſubſidia, queis Febronianorum mendaces hodie criminationes ex hoſtili licet ore confundimus: patet enim, quos ille laborioſiſſime inquiſiyit, atque inveniſſe creditur iſidorianæ doctrinæ fontes, nonniſi puros, ac genuinos eſſe, tametſi alios, quam quorum titulos inſcriptio præſefert. Ita ad oculos ſpectandas dedit ſententias ex SS. Innocentio I, Zoſimo, Sixto III, Leone M., Hilario, Gelaſio, Gregorio M., Martino, ſummis Pontificibus; ſimiliter ex SS. Patribus, Ambroſio, Auguſtino, Proſpero, Idacio Claro, Hiſtoria tripartita, Codice Theodoſiano, variiſque inſuper Conciliis excerptas. Hinc factum, ut Blondellus plurimos ex Catholicis ad ſuam *de falſitate inſcriptionum, ſeu Authorum nominatorum* opinionem pertraheret, neutiquam vero ad ipſarum, quæ in epiſtolis, licet ſuppoſititiis continentur, doctrinarum vilipenſionem. Natalis Alexander Gallicanus Doctor, haudquaquam Iſidori Patronus hanc ea de re ſententiam tulit Catholico dignam *): „Blon„dellus Author apud Calviniſtas celebris hoc de argumento copioſe egit, & „erudite in libro, qui inſcribitur *Pſeudo Iſidorus, & Turrianus vapulantes*, „quo in opere ſicut ejus criterium laudandum eſt, quo epiſtolas illas priſ-

 „cis

*) In Hiſt. eccleſ. 1 Sec. Diſſert. 2.

Digitized by Google

„cis Pontificibus merito adjudicat; ita ejus incuſanda eſt temeritas qua il-„las convitiis proſcindit, ac lacerat nulla habita ratione veritatum, & piiſ-„ſimarum ſententiarum, quæ in illis aſſertæ ſunt, & exaratæ.“

§. 6.

Igitur unanimi ferè calculo viri inter Catholicos doctiſſimi, atque adeo eminentiſſimi Cardinales, Baronius, Bellarminus, Berronius, Bona, Sfondratus, præter iſtos inſuper Sirmondus, Petavius, Mabillonius, Papebrochius, aliique tantum non omnes epiſtolas illas priſcis Pontificibus ſuppoſitas, vel ſaltem adulteratas, hincque merito ſuſpectas cenſuerunt, ut jam ab allegandis illarum documentis, niſi ſi ex aliis fontibus hauſta eſſent, caute abſtinerent. Nihilominus iſti, utut ſeveri Cenſores, pontificia tamen jura, in ſpecie illud appellationum ſuſcipiendarum intacta reliquerunt, quid? quod & fortiſſime propugnarunt optime gnari, eadem indubitatis aliis venerandæ antiquitatis monumentis, ipſisque divinis oraculis quam firmiſſime eſſe munita. Unde digna tantis viris æquitate, cognitæque veritatis ſtudio omnes illi ita ſentiebant, prout jure merito Baronius ſcripſit **): „Ex multis eas reddi ſuſpectas epiſtolas, quæ dicta ſunt ſecundo „Annalium tomo, dum de illis ſingulis mentio facta eſt, ſatis eſt demon-„ſtratum, ſimulque oſtenſum, illis non indigere ſanctam Eccleſiam, ut ſi „falſitatis arguantur, ſuis ipſa deſtituatur juribus, & privilegiis; cum etſi „illis careat, ex legitimis aliorum romanorum Pontificum epiſtolis decre-„talibus ſatis, ſuperque roborata conſiſtat.“

§. 7.

Alii contra ex Catholicis ſurrexerunt, quos Cardin. d'Aguirre non immerito *Hypercriticos* vocat, & ſanctae Eccleſiae ſuae non ſatis devotos, qui eo maxime propoſito epiſtolas illas decretales impetebant, ut jus appellationum romano Pontifici velut *novum*, & ſacris Canonibus contrarium auferre valerent: inter hosce praecipui ſunt Petrus de Marca, ejusque Commentator multo pejor Baluzius, Queſnellus, Dupinius, Vaneſpenius, ac noviſſime Febronius cum ingenti turba hodiernorum Canoniſtarum, & Publiciſtarum. Haud facile iſtorum ſenſa (tantum mitius de Marca *judices*) ab illis Proteſtantium, ſanctae Sedis, ac romanae Eccleſiae apertorum hoſtium diſtinxeris, neque enim modeſtius in ipſas decretalium epiſtolarum doctrinas, licet ſanctas doctrinas, licet jam ab univerſa Eccleſia probatas, receptasque conviciis, & criminationibus ſuis debacchantur.

§. 8.

*) In Annal. ad a. 865, §. 8.

Digitized by Google

§. 8.

Atque ea quidem, quae nimium atrociter Novatores noſtri criminantur ut impoſturas, fraudes, deceptiones nequiſſimas, atque ſpurciſſimas Dei Eccleſiae corruptiones, tam ſunt incerta, obſcuraque, ut vix amplius cleantea lampade illuſtranda. Si vel charitas ex ore iſtorum loqueretur, quae malum non cogitat, nec ſuſpicioſa eſt; numquid dubiis in rebus meliora praeſumeret, atque etiam, ſi qua detecta eſt, falſitatem documentorum non malignae fraudi, ſed bonae illius aevi ſimplicitati, aut ignorantiae adſcriberet? Quaeſtiones autem obſtruſiſſimae hodiedum obverſantur, de ipſo inprimis Iſidoro Collectore, quandonam vixerit, & ubi? quis fuerit, num Hiſpanus, & quidem prout communis erat opinio veterum aetate propinquorum, atque etiamnum aliquorum valde eruditorum eſt, num S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus? num incognitus quidam forte patria Gallus, aut Germanus? num vel umquam Iſidorus nomine *Mercator* extiterit? dein de forma Collectionis primitiva, an ab initio tantum excerpta quaedam Decretalium, an integras jam epiſtolas exhibuerit, & quidem an tantum ſub generali priſcorum Pontificum inſcriptione, an vero jam ſingulariter cum expreſſa cujuslibet Pontificis aſſignatione? denique de ipſis collectis epiſtolis, iis praecipue, quae Siricium praeceſſerint, an generatim omnes ſubpoſititiae, vel tantum interpolatae? an quaedam ſaltem in ſpecie, ſi ſanae criſeos cote probentur, a macula notheiae nequeant purgari? Haec fere omnia adhuc ſint dubiis, ac litibus numquam forſitan finiendis obnoxia; nunc quidem miſſa facio, ſolum ac unice iſtis, quae certa ſunt, inhaeſurus, alia forſitan occaſione, ſi operae pretium videatur, *ſcholaſticæ exercitationis gratia* etiam illa adhuc in utramque partem juſta ſtatera libraturus.

§. 9.

Ad ſtatum oppido gravis controverſiae, qualis praeſens eſt, adcurate intelligendum duo ſunt quam maxime digna obſervatu, ſcilicet ab hodiernis Febronianis & Authorem Collectionis Iſidorianæ accuſari tamquam deceptorem ad extollendam ſupra, quam antiquitus fuerat, romani Pontificis authoritatem; & ipſum opus condemnari, tamquam exitioſam veteris diſciplinæ corruptelam. Falſas, & plane iniquas eſſe duas haſce criminationes meis non tam Iſidori, quam ſanctæ romanæ, totiusque Eccleſiæ catholicæ vindiciis mox Deo aſpirante oſtendam.

Vindi-

Vindiciciæ adverſus iniquas criminationes.

ARTICULUS I.

Iſidorus non impoſtor ſed ſincerus compilator.

§. 1.

Spurias atque adulterinas epiſtolas priſcis Pontificibus ante Siricium ab *impoſtore* Iſidoro ſuppoſitas fuiſſe, cantilena eſt hodie vix non ex omnium ore reſonans, quotquot vel a limine Juriſtarum, quin & Theologorum ſcholas ſalutarunt. Non enimvero motus momentis, alibi diſcutiendis, ſed magnorum Virorum, eruditionis gloria præcellentium *nominibus*, hoc eſt, præjudicio cedens largior, quod volunt, epiſtolas illas Pontificibus, quorum nomina præſeferunt, falſo eſſe adſcriptas. Quid ergo? jamne deceptio ſubeſt? documentum vetus, etſi falſo authori inſcriptum, jamne propterea ſua ex origine mendax figmentum eſt? Nonne operis authore poſterior ſæpe eſt tituli inſcriptor? Si iſte fallitur, jamne etiam ſuo animo fallit? Nonne ſæpius eſt ipſe deceptus, quam deceptor? Magnum intercedit diſcrimen inter *falſo* aſſerta, & *fraude* conficta; præſertim hæc regula valet, dum ſpectat vetuſtatis documenta: in illorum origine aſſignanda error ſæpenumero committitur, ipſe tamen erroris author plerumque innocens a deceptione eſt, quippe ſibi tantum *paſſiva*, nullatenus *activa*. Si æquum hoc judicium ferri oportet de authore falſæ inſcriptionis veteri documento additæ; quanto magis de Collectore documentorum falſo licet inſcriptorum? Hoc velim diſcrimen inter *authorem*, & *collectorem*, quam optime notari, altiſſimeque inprimi: ego enim paulo poſt demonſtrabo Iſidorum, quisquis fuerit, Decretalium illarum, etiamſi ſpuriarum, non authorem fuiſſe, ſed tantum collectorem.

§. 2.

Prius tamen generali quadam obſervatione oſtendam vetera documenta ſæpe *falſitatis* notam mereri, nondum vero propterea *fraudis* vel *deceptionis*. Profecto ſi tranquilla mente, partium ſtudio non adrepta, nulloque odio excæcata in illa priſcorum tempora deſcendas, ubi arte *typica* nondum exiſtente rariora fuerunt exemplaria manuſcripta, eaque non tam exacta, quam ut hodie fit, ad unius authographi formam redacta; ubi priſtina monumenta raro integra, ſed diverſas in lacinias ſæpe jam diſtracta, vel ſine ullo authoris nomine, vel mixtim cum alienis fuere inventa; ubi amanuenſium oppido imperitorum fere unica cura fuit, quidquid alicubi inventum,

Digitized by Google

ventum, vel leviſſimam ob ſimilitudinem absque judicii diſcretione in unum corradendi; quodque unum ex præcipuis eſt, ubi doctiores etiam veterum documenta colligentes ſæpe nihil minus cogitarunt, quam polemica argumenta poſteris in ſuis ſcriptis contra adverſarios poſt ſecula naſcituros ſervare, ſed unice vel ſuæ, vel ſuorum in fide fratrum utilitati intenti, quidquid ad ædificationem pertineret, ſeu ex propriis, ſeu ex alienis, tam in contextu, quam in notis ex margine in ipſum textum poſtea translatis interſerere, atque etiam novas voces pro antiquatis ſubſtituere, verbo documenta vetera ſuis temporibus, moribusque accommodare optimo quidem, improvido tamen conſilio haud dubitarunt; hæc, inquam, omnia ſi pacate conſideres, una mecum ſenties, noſtris diebus multa a veritate aliena poſſe reperiri, quae etſi falſa ſint, prout falli humanum eſt, neutiquam tamen ſequitur, malis artibus ad decipiendum eſſe fabrieata. Seculi noſtri Tolerantia! ubi es? te in patrocinium noſtrorum Deceſſorum invoco! Nonne in Novatoribus noſtris longe apertiores falſitates, dicam impoſturas, tu toleras, excuſas, laudas, amplecteris, & ſequeris??

§. 3.

Huc accedit, vetus documentum, etſi ex indiciis artis criticæ non immerito cenſeatur *interpolationis*, aut etiam *ſuppoſitionis* vitio laborare, nondum tamen eo ipſo jam omni ſua authoritate excidiſſe, aut inter *mendacia*, mercesque *ſpurias* eſſe abjiciendum: poteſt enim adhuc & contento, ſeu materia ſua eſſe bonum, & vera ſua quacumque origine, licet falſo inſcripta venerabile. Ita ipſi adeo divini libri, quos e. g. Moyſis, Jobi, Tobiæ, Salomonis nomine inſcriptos habemus, emunctioris naris criticis videntur aut ex parte ſaltem aliqua interpolati, ſuppoſitive, aut omnino non illorum eſſe authorum, quorum nomina præſeferunt: id tamen iis ipſis libris nondum deſtruit divinam ſuam ſeu materiæ, ſeu originis intuitu authoritatem. Ut eccleſiaſticis inſuper documentis rem illuſtremus, exempla ſunt notiſſima vulgo ſic dicti Apoſtolorum canones, aut Athanaſii Symbolum, quos nemo criticorum amplius genuinos tantorum Parentum fœtus judicat. Hæc licet *falſo* inſcripta documenta, ab omni tamen ſuſpicione *fraudis* longe aliena, imo etiam propter contenta ſua, & propter ipſam originis antiquitatem ſumme æſtimanda ſunt.

§. 4.

Ponamus aliquem noſtris diebus Pſeudocriticum, quorum ingens nunc eſt numerus, aſſurgere, noſtramque Chriſtianorum fidem in SS. Trinitatem ex eo capite vellicare, quod adulterino, falſoque priſci ævi documento,

 ſcili-

ſcilicet illo S. Athanaſii perperam ſic dicto ſymbolo innitatur, atque eti
propterea crimen *deceptionis* nobis intentare; promta quidem reſponſic
huic diceriмus, ſymbolum illud, etſi non origine Athanaſianum, vener
dæ tamen ex antiquitate ſua originis eſſe, atque doctrinam continere ſi
incorruptam, id quod ex aliis certe genuinis fontibus ad evidentiam p
ſemus demonſtrare, jamque ſæpius a Noſtris adverſus veteres Hæreti
eſſet demonſtratum. Quodſi his omnibus inſuperhabitis, & ſtudioſe q
dam ſilentio oppreſſis homo ille nobis moleſtius inſtaret, & antiquam cr
bem recoquere non ceſſaret; Athanaſianum haud eſſe illud ſymbolum,
adulterinam impoſturam; jam nos quidem certo animadverteremus, l
fontium noſtrorum veracium affectatam eſſe ignorantiam, hominemque
ſinceri animi, ſed hoſtilis, atque obſtinati. Hæc de ſymbolo, quod A
naſii dicitur, reſponſio immoderatis noſtra ætate calumniatoribus Iſidor
collectionis generatim ſatisfacere poterit: aut ſi minus de dogmate, q
de diſciplina exemplum arrideat, idem reſponſum dabimus ad Magde
genſium, aliorumque criminationem de ſic dictis, non tamen genuini
nonibus Apoſtolorum. Paucis cum S. Auguſtino hiſce cavillatoribus
pondemus: *Sunt certi libri, quorum autboritati utrique conſentimus*
quæramus, quænam vera ſint veræ Eccleſiæ dogmata, ibi diſcutiamus
jam noſtram.

§. 5.

In ſpecie me nunc ad illum vertam, quisquis ſit, Iſidorum miſe
ſtris diebus a Febronianis, præquam olim a Calvinianis vapulantem,
ab impoſturæ crimine adeo vindicabo, ut auſim demonſtratione evi
illarum decretalium, de quibus controverſia eſt, epiſtolarum non fuit
bricatorem, ſed tantum ante ſe jam extantium compilatorem. Dupli
in re utar argumentandi genere, uno, quod *logicum* eſt, ſeu huma
ratiocinio deſumtum; altero, quod *hiſtoricum*, ſeu ex documentorum
monio petitum; priore argumento oſtendam, Iſidorum non potuiſſe
ipſo illas ſpurias merces, ut dicuntur, fabricare; poſteriore, illum
easdem non fabricaſſe.

§. 6.

Mirabilia nobis, prope dicas miracula, narrant Iſidori Mercato
cuſatores, tamquam *impudentiſſimi nebulonis*, qui proprio malitioſi
rebri partu epiſtolas ediderit primorum ſeculorum Pontificibus ſup
queis a ſe excogitatis fraudibus antiquam Eccleſiæ diſciplinam per
cula intemeratam ſubito in pejus mutaverit, corruperit, polluerit

...ed Goog

que vitiarit, ut jam inde a nono ſeculo novam faciem externa Eccleſiæ politia induiſſe videretur. Nonne mireris, qui ſubito Portæ inferi adverſus ſanctam Dei Eccleſiam, ſi Febronio fides, amplius per Iſidorum pro ſancto habitum prævalere potuerint; quam per omnes retro Hæreticos? qui fieri potuerit, ut documenta cunctis ſeculis incognita, recentiſſime primum conficta, lateque diſperſa tam facilem ubique aditum, tantamque credulitatem invenerint, ut ſine fraudis vel ſuſpicione mox ſummo reciperentur applauſu non ſolum a ſingulis illorum temporum Doctoribus, Rectoribusque, ſed etiam ab integris, iisque numeroſis *NB.* Galliæ, & Germaniæ Synodis, ac ne ſenſim quidem quaſi ſine ſenſu, ſed jam inde a partu ſuo, atque etiam a viris, quorum maxime intererat contra deceptionis novitatem qua ſua canonibus fundata jura conſervare??

§. 7.

Talem nobis virum hiſtoria in Hincmaro Rhemenſi exhibet, de cujus Metropolitanis juribus agebatur contra decretales epiſtolas ſibi inviſas tuendis. Is data opera earumdem authoritatem *canonicam* impugnans, ne verbo quidem *hiſtoricam* in ſuſpicionem trahere tentavit, imo iisdem ceu indubiis documentis *venerabiliter ad inſtructionem ſuſcipiendis* non ſemel, ſed frequenter uſus eſt, & in Opuſculo ad Hincmarum juniorem Cap. 15 a juventute ſua in hisce documentis ſe verſatum teſtatur: „Inaniter putas, „quod ſi tu hæc in tuo Pitaciolo non poneres, alii non haberent libros, „ubi ea legere potuiſſent. Sed quis ea, quæ noſti, ignorat? Prius enim „quam formareris in utero, illa novimus, & antequam exires de vulva, „ſæpiſſime legimus.“ Cum iſta ſcriberet Hincmarus ad Nepotem ſuum jam Epiſcopum, ſaltem ſexaginta annorum ſenem fuiſſe oportet, ut adèo ejus juventus noni ſeculi initio, & putatiis Decretalium natalitiis reſpondeat, quod argumento eſt, Iſidorianam earumdem collectionem, ex quo in Franciæ Provinciis apparuit, publicam plenamque fidem mox inveniſſe. Unde hoc, niſi quod ſparſim, ſive in partibus ſaltem ſeparatis jam cognita fuerint, quæ hic collecta in unum totum videbantur?

§. 8.

Negant, pernegantque id Febroniani, atque ne mireris, aut incredibile judices documenta noviter conficta, nec ullibi terrarum antehac nota ſtatim ab ortu ſuo tanta omnium conſpiratione pro antiquitatis monumentis recipi potuiſſe, Baluzius rem magis adhuc mirabilem, ac plane incredibilem, quippe certiſſime falſam perſuadere vult aſſerens, cur fraus illa confictarum Decretalium non jam ab initio detegeretur, ſed magno potius

 con-

confuſio novo jure, quo exarmata ſint vetera jura, inveheretur, id accidiſſe *ex ſtupenda, ac miſerabili Epiſcoporum, Clericorumque inſcitia, & vetuſtorum Canonum ignorantia.* Ignorantia certe ſtupenda, ac miſerabilis in octavi, & noni ſeculi Præſulibus, Viriſque eccleſiaſticis univerſis, ut adeo imperiti fuerint, quo minus ſpurios ingenii partus ad corrumpendam hactenus pure ſervatam Eccleſiæ diſciplinam recenter confictos ab antiquitus traditis documentis poſſent diſcernere!! Simpliciter ergo, ac cæco modo Præſules, atque Doctores univerſim per ſecula crediderint ad ſolum nomen S. Iſidori Hiſpalenſis prætenſum, quin vel ipſi Galli in vicina Hiſpania inquirerent, vel domeſtica ſcrinia luſtrarent?? Da veniam Baluziane, aut Febroniane! non credo. Hanc noſtris Novatoribus tam communem, acceptamque Antiquos leviter ſpernendi conſuetudinem eſſe prorſus iniquam, falſiſſimamque calumniam, Emin. Card. d'Aguirre præſtanti ſuo in Opere*) ſingillatim jam oſtendit, unde excerpta videamus.

§. 9.

Pro ſeculo octavo incipit a S. Gregorio II, de quo Spondanus ad a. 731 præeunte Baronio ita effatur, *cujus ſi ſcripta extarent, reſque ab eo geſtæ intelligentius exaratæ eſſent, Gregorio M. haud minorem exiſtimares.* Procedit dein ad Gregorium III, S. Zachariam, Stephanum III, Paulum I, & Hadrianum I. „Qui omnes continuata ſerie tam ab antiquis, quam „a recentibus Hiſtoricis plurimum laudantur propter ſanctitatem & doctri„nam: ut proinde nemo eorum ſine atroci injuria dici poſſit laboraſſe ea „pingui ignorantia ſacrorum Canonum, aut peccaſſe per negligentiam in „iis ſervandis. Lege Anaſtaſium Bibliothecarium, Theophanem, Zona„ram, Cedrenum, Reginonem, Hermanum, Sigebertum, & reliquos Hi„ſtoricos graves, qui eorum vitas, ac res geſtas ſcriptis tradiderunt."

§. 10.

A ſummis Pontificibus deſcendit ad venerabilem Bedam, ad SS. Anſelmum, Marcellinum, Joannem Damaſcenum, Andream Cretenſem Archiepiſcopum, Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum, Heddium Stephanum, Etbertum Cantuarienſem Archiepiſcopum, Anaſtaſium Abbatem S. Euſebii in Palæſtina, & Bonifacium Germanorum Apoſtolum, Paulum Diaconum, Paulinum Aquilejenſem, Ambroſium Anſbertum, Albinum Alcuinum, Patres Concilii Francofortienſis, Ethenium Epiſcopum Oximenſem, ac Beatum, quibus addere potes alios quam plurimos Seculo VIII ſanctimonia, & doctrina conſpicuos, quorum vitas Mabillon duobus vaſtis volum-

*) Collectio maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ, Romæ 1753. Tom. 1, Diſſert. 2.

Digitized by Google

voluminibus vel e ſolo S. Benedicti Ordine congeſſit, & plures, quorum acta apud Bollandum, ejusque Continuatores copioſe recenſentur, & quotidie amplius prodeunt.

§. 11.

Si jam ad ſanctos, doctosque viros Seculi IX oculos convertamus, multo plures fortaſſis occurrent, quam præcedente ſeculo. Ex ſummis Pontificibus ſunt Leo III, Stephanus IV, Paſchalis I, Eugenius II, Valentinus, Gregorius IV, Sergius II, Leo IV, Benedictus III, cui dein Nicolaus I ſucceſſit a. 858, de quibus omnibus vel ipſe Platina, cui ceteroquin Sannazario accinente*

vitasque obitusque notare
Pontificum, argutæ lex fuit hiſtoriæ,

maximam ſanctitatis, ac eruditionis laudem non reticet, ſed ſingulis inſigne quoddam encomium adjungit.

§. 12.

Inter alios ejusdem ſeculi noni pietate, & doctrina præſtantiſſimos viros veniunt Agobardus Epiſcopus Lugdunenſis, & Servatus Lupus Abbas Ferrarienſis, quorum opera ipſe Baluzius recudit, Jeſſa Ambienenſis Epiſcopus, Theodulphus Aurelianenſis, Claudius Taurienſis, Leidradus ſeu Leiduardus, & Amolinus Lugdunenſis, Halitharius Cameracenſis, Fraculphus Lexovienſis, Prudentius Fricaſſinus, Ado Viennenſis, Remigius Antiſiodorenſis, Benedictus Abbas Anianæ, Adalhardus Abbas Corbejæ, Anſegiſus Abbas Fontanellæ, uterque Smaragdus, Dangalus Diaconus, Amolarius Fortunatus, totus Lugdunenſis Clerus, ejusque Diaconus, Magiſter Florus, Paſchaſius Rathbertus Abbas Corbejæ doctiſſimus, Ratramus ſeu Bertramus ejusdem Cœnobii, Rabanus Maurus Archiepiſcopus Moguntinus, Uſuardus, Ludgerus ſive Luidgerus Epiſcopus Weſtphalienſis, Arno Archiepiſcopus Salisburgenſis, Amalarius Trevirenſis, Walfridus Strabo Abbas Augiæ divitis, Rudolphus Monachus Fuldenſis, aliique plures, quorum ſcripta inter Scriptores Seculi IX indicavit Oudinus poſt Dacherium, Duſcheſinium, Sammarthanos, Labbeum, Mabillonium, ipſumque Baluzium. Tot tantosque viros, ſacrorum Canonum æque peritos utinam noſtris diebus Eccleſiæ poſſent oſtendere!!!

Digitized by Google

§. 13.

Mihi quidem præſentis Controverſiæ occaſione vel ſolum Hincmari Rhemenſis ſcripta diligentius luſtranti longe alia, quam vulgo noſtrorum eruditorum inſidet, opinio orta eſt de virorum illorum in rebus eccleſiaſticis peritia. Hujus Archiepiſcopi Opuſculum 55 Capitulorum ad Nepotem ſuum Laudunenſem Epiſcopum legant Noſtri Novatores, & me Hercle fatebuntur, virum hunc non certe ex vetuſtorum Canonum ignorantia Decretalibus, iisque ſibi admodum exoſis *hiſtoricam* fidem tribuiſſe. Dignum obſervatu eſt, quod ipſe Hincmarus in eadem diſputatione jam ſe ſollicitum circa apogrypha ſcripta exhibuerit Cap. 14, ita ſcribens: „In „Præfatione Iſidorus dicit de Apoſtolorum Canonibus, quod a quibusdam „dicantur apogryphi, & plures eos recipiant, & ſancti Patres eorum ſen„tentias ſynodali Authoritate roboraverunt, & inter canonicas conſtitutiones „poſuerunt, quod de quibusdam ſententiis verum eſt, ſicut alibi in hoc „Opuſculo potes legere *). De Nicæno autem Concilio non eſt ita, ut ſcrip„ſit, ſicuti multis authoritatum teſtimoniis adprobatur." Ergo Hincmarus non cæco modo aſſertionibus Iſidori hiſtoricam fidem attribuit, ſed eas *critice* diſcuſſit, & earum authentiam, ubi contraria inveniret argumenta, e. g. *de Canonibus Nicænis*, rejecit. Ad hoc argumentum velim reſpondeant Anti-Iſidoriani!

§. 14.

Idem Hincmarus Cap. 25 ad Gelaſium de Martyrum paſſionibus & vitis Sanctorum, de actibus beati Sylveſtri, de inventione dominicæ crucis, & de inventione capitis beati Joannis Baptiſtæ conjunctim loquentem obſervat ſolertiſſime dictum: *Omnia probate, quod bonum eſt, tenete*, atque in ipſis apogryphis diſcretionem eſt tenendam innuit: „De quibus quædam „in totum ſunt rejicienda, quædam autem propter Haereticorum calumnias „inter apogrypha ſunt computanda, ſed non penitus abominanda, de quibus „viros catholicos in ſuis opuſculis teſtimonia legimus aſſumſiſſe" **). Imo, quod maximum eſt, etiam ipſa illa ars, qua Blondellus putavit, Iſidori frau-

*) Singulariter adhuc hoc loco notandum, tam Hincmarum, quam ipſum Iſidorum attentionem ad Apogryha habuiſſe, qui Apoſtolorum Canones, etſi origine genuinos non judicarint, Eccleſiæ tamen authoritate inter canonicas conſtitutiones reponi poſſe crediderunt. Numquid & poſterior Eccleſia idem potuit circa Decretalia Iſidori, licet *hiſtorice* falſa, jam tamen *canonice* valida?

**) Quam ſapiens Hincmari monitum! Nonne autem & viri catholici, & ſancta Concilia ex Decretalibus Iſidori teſtimonia deſumſerunt? Quis ergo Catholicus ea penitus abominetur??

Digitized by Google

raudem poſſe ſe manu prehendere, & in qua potiſſimum robur poſuit ex Patrum ſcriptis fruſta illa excerpens, unde Iſidorus epiſtolas falſo inſcripas conſarcinaverit, haec Blondelli ars, inquam, ne Hincmaro quidem incognita fuit, quam tamen ipſe non adoptavit, ſed repudiavit, e contrario anc veram ſtatuens, notamque rerum eccleſiaſticarum pertitis regulam Cap. 20: „Hic enim eſt mos apoſtolicae Sedis Pontificibus, ut verba Deceſſorum ſuorum quaſi propria in ſuis ponant epiſtolis, ſicut qui legit, intelligit.“ Eumdem morem & ſancti Patres, & Concilia ſæpe ſecuta ſunt, ut Noſtri ab exemplis jam oſtenderunt, ipſique, ſi nunc locus foret, oſtendere poſſemus. Hæc eo dicta ſint, ut manifeſtum fieret, haudquaquam æca ignorantia præteritis ſeculis Iſidorianas Decretales pro antiquis documentis acceptas fuiſſe.

§. 15.

Miraculum vero omnium maximum, quod nobis Iſidori Maſtiges creendum imponunt, eſt illud ipſum ſeculum octavum nonumve, quod ab odiernis Criticis & Philologis depingitur tamquam denſa ignorantiæ nube bſcuratum, inter reliquos Idiotas omnes infelicibus ovis excluſos, qui raudem tunc noviter natam, nunc vero poſt annos mille propatulam non nimadverterint, unum protuliſſe albæ gallinæ filium, ſcientiæ omnigenæ, eu Poly-hiſtoriæ portentum, inter ſuos tamen plane incognitum, de cujus xiſtentia hodiedum dubitatur, Iſidorum *Mercatorem*, vaferrimum omnium, uotquot umquam terra tulerit, feliciſſimumque impoſtorem, quippe qui ccleſiam Dei plura per ſecula, prope annis jam mille deceperit. Dico lus quam humanæ ſcientiæ, ac omnigenæ eruditionis in rebus profanis æue, ac ſacris portentum eſſe debuiſſe illum Iſidorum, ſi deceptorem. londelli enim, qui illius vel veſtigia preſſit, herculeus non immerito laor cenſetur, eoquod iſte ſtudio quodam incomparabili omnium fere antiuorum Pontificum, Patrum, Conciliorum, Hiſtoricorum, aliaque inde a uarto ſeculo litteris conſignata Eccleſiæ monumenta luſtravit, atque ex iis hraſes, ac periodos parallelas ad confrontandum, ut ſperabat, Iſidorum xcerpſit; quem poſtea laborem Labbeus ampliavit, haud dubie, ſi plures ri docti id operæ in ſe ſuſciperent, adhuc ampliandum. Quodſi tantum ous eſt, Iſidori vel veſtigia ſequi, ut immenſum quoddam eruditionis are perfretari oporteat; id nunc quidem in abundanti documentorum tys impreſſorum copia, licet non ſine ſummo labore fieri poteſt: illis ve- antiquis temporibus, ubi arte typica nondum inventa, multo rarior fficiliorque fuit librorum manuſcriptorum copia, hinc neceſſario etiam nſtrictior lectio, atque eruditio, nonne ſentis te Iſidoro opus affingere huanis viribus multo gravius, qui immenſa quadam lectione omnium fere anti-

antiquorum ſcripta expilaverit, atque fruſtra hæc excerpta non ſolum *analytice* extra ſuum ordinem, prout Blondellus & Labbeus fecerunt, diſperſerit, ſed quod multo majus, & neque Blondellus, neque Labbeus facere potuerunt, *ſynthetice* in unum corpus totum collegerit, in tale totum, quod primitivæ Eccleſiae ſtatum locorum, temporum, perſonarum, negotiorum, & circumſtantiarum ſingillatim indicatis denominationibus repraeſentaret, atque hoc attentatum tam felici ſucceſſu perfecerit, ut nulla novitatis, nulla falſitatis ſpecie fraus ſe ipſam proderet, ſed plenam fidem ſinceritatis inde ab initio in Eccleſia Dei inveniret, eamdemque per ſecula conſervaret? Talem mihi vel unum in orbe deceptorem oſtende, & victas tibi manus dabo. Ego vero miror, alias ſolertiſſimos viros hoc argumento, quod decretorium, ſeu demonſtrativum arbitror, non fuiſſe permotos ad *Iſidorum* ab impoſtoris infamia purgandum, quin potius ad atrocius *criminandum* noſtro hoc tam *tolerante* ſeculo!! Nonne apologiae ſatis jam eſt Iſidoro, a noſtro ſeculo non *tolerari*?? Apogryphas, ſeu corruptas alienis centonibus, vel etiam falſa titulorum inſcriptione vitiatas merces (non repugno, attamen neque ut probatum accipio) quisquis fuerit, ille *Mercator* collegerit; quod autem ante ſe non jam exiſtentes, ipſe primitus tot, tamque diverſas ſuis technis fabricaverit Decretales, mihi fruſtra fabulam canes perſuaſurus, ut credam ἀδύνατον.

§. 16.

Quas primis 36 Pontificibus ante Siricium Iſidorus affinxiſſe dicitur numero fere 80 epiſtolas, tantum legi oportet, & ſecum ponderanti momenta jam allata ſatis manifeſte patebit, eas unius hominis figmentum eſſe non potuiſſe tam propter multiplicem rerum, locorum, perſonarum, & circumſtantiarum varietatem, quam propter illorum omnium in tanta temporum obſcuritate mirabilem cum aliis hiſtoriae documentis conformitatem demtis quibusdam (ſi ita placet, hodiedum litigioſis) anachonriſmis & interpolationibus, aut ut forte juſto largior ſim, ſuppoſititiis etiam centonibus, quae ipſa longaevae vetuſtatis indicia ſunt, a quibus vix, aut ne vix quidem ullum immune datur vetus monumentum. Hinc tantum breve quoddam ſchema Decretalium oculis ſubjiciam: neque enim lucem refugiunt, quod mendacii eſt; ſed quod veritatis eſt, ſciri potius deſiderant, quam ignorari.

S. Clementis epiſtolae quinque ſunt. Prima ad Jacobum Hieroſolymae Epiſcopum narrat, qua ratione Petrus brevi moriturus congregatis fratribus Clementem commendans multa ei tradiderit regendae Eccleſiae praecepta.

Digitized by Google

cepta. Altera ad eumdem Jacobum tractat de ſacris veſtibus & vaſis, vel ut vulgo dicitur, de *Sacramentis*. Tertia in MSpto Harduini titulum habet: *Omnibus tam majoribus, quam inferioris ordinis Clericis, ac cunctis fidelibus*: agit de officio Sacerdotum & Clericorum. Quarta inſcribitur Julio, & Juliano, aliisque diſcipulis, qui malorum hominum perſuaſionibus aliquatenus a recta via declinaverant. Quinta Fratribus Hieroſolymitanis de communi vita, aliisque de cauſſis.

Anacleti tres epiſtolae. Prima ad omnes Epiſcopos, ceteroſque fideles agit *1mo* de iis, qui Sacerdotes accuſant, *2do* ut Epiſcopus Deo ſacrificans teſtes ſecum habeat, *3tio* de peregrinis, & provincialibus judiciis, *4to* ut oppreſſus judicio ſecularium appellet judicium Sacerdotum, & de majoribus cauſſis ad Sedem Apoſtolicam referendis. Altera univerſis Epiſcopis in Italia conſtitutis inſcripta *1mo* de ordinationibus Epiſcoporum, & omnium Clericorum, *2do* de accuſationibus Epiſcoporum, *3tio* quod minus, quam a tribus Epiſcopis non debeat Epiſcopus ordinari, *4to* in quibus civitatibus Primates ac Metropolitani eſſe debeant. Tertia omnibus Epiſcopis, ac reliquis Sacerdotibus *1mo* de bipartito ordine Sacerdotum, *2do* de ordinatione Epiſcoporum, ac Presbyterorum, *3tio* de diſcrimine Epiſcoporum, & civitatum, *4to* ut difficiliores cauſſae ad Sedem Apoſtolicam referantur, *5to* de non admittendis ad accuſationem inimicis, & de extraneo judicio.

Evariſti duae Epiſtolae. Prima ad univerſos Africae Epiſcopos docet, quot Diaconi in civitate eſſe debeant, & de uxore ducenda. Altera ad omnes in Ægypto Fratres de mutua dilectione inter Sacerdotes & Eccleſias.

Alexandri tres epiſtolae. Prima inſcribitur omnibus Orthodoxis per diverſas provincias, *1mo* de iis, qui Sacerdotes accuſant, *2do* de confeſſione per vim extorta, *3tio* ſiquis adverſus Rectorem Eccleſiae querelam habuit, *4to* ut in oblatione Sacramentorum commemoretur paſſio Chriſti, & ut panis tantum, & vinum aqua mixtum offeratur, *5to* de benedictione ſalis & aquae, aut ceterorum elementorum, *6to* de Trinitate, & unitate Deitatis. Secunda omnibus Epiſcopis per diverſas regiones de cauſſis & gravationibus Sacerdotum. Tertia omnibus Sacerdotio fungentibus, ut vitentur detractiones & injuſtae pulſationes.

Digitized by Google

Xyſti I epiſtolae duae. Prima ad omnes Chriſti fideles eſt adhortatoria ad rectam fidem ſervandam: agit etiam de ſuſpectis accuſatoribus. Altera univerſis Eccleſiis directa *1mo* de ſacris vaſis, *2do* de appellanda Sede Apoſtolica, *3tio* de Epiſcopis Sede pulſis.

Teleſphori una ad Fratres Epiſcopos *1mo* ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha Clerici a carne jejunent, nec admittant laicos in accuſationibus ſuis, *2do* de celebratione Miſſarum, & Hymno angelico, *3tio* de Epiſcopis honorandis, *4to* de accuſatoribus non recipiendis.

Hygini epiſtolæ duæ. Prima inſcribitur omnibus apoſtolica fide imbutis *1mo* de miſſione Filii a Patre, *2do* de cauſſis Epiſcoporum, *3tio* de criminationibus Majorum, *4to* de peregrinis judiciis. Altera ad Athenienſes eſt dehortatoria a malo.

Pii I epiſtolæ quatuor. Prima ad omnes Eccleſias ordinat, ut die dominico Paſcha celebretur, & a quibus non oporteat Epiſcopos accuſari, atque de his, qui transgrediuntur juſſa apoſtolicæ Sedis. Altera Fratribus Italiæ, quod non poſſint amplius ad humanos uſus transferri, quæ ſemel divinis uſibus conſecrata ſunt. Duæ aliæ Juſto Viennenſi Epiſcopo ſcriptæ ſunt tantum conſolatoriæ, & adhortatoriæ.

Aniceti epiſtola una univerſis Eccleſiis per Galliæ provincias, *1mo* de ordinationibus, & cauſſis Epiſcoporum, *2do* de Primatibus, & Metropolitanis, *3tio* ſi Metropolitanus ſuſpectus Epiſcopis, *4to* de tonſura Clericorum, & habitu.

Soteris epiſtolæ duæ. Prima Fratribus omnibus in Campania de natura Filii divina, & humana. Altera ad Epiſcopos Italiæ, ne feminæ ſacra vaſa, vel ſacras pallas attingant, vel altaria incendant.

Eleutheri epiſtola una univerſis Eccleſiis per Galliæ provincias, *1mo* de eſcis non vitandis, *2do* de accuſationibus Epiſcoporum, & Clericorum, *3tio* & omnium Comprovincialium.

Victo-

Digitized by Google

Victoris quatuor epiſtolæ. Prima ad Theophilum *Alexandriæ*, alii legunt ex Beda *Cæſareæ* Epiſcopum, 1mo de celebratione Paſchæ, & Baptiſmi, 2do nequis incerta judicet, 3tio de cauſſis Epiſcoporum terminandis. Secunda univerſis Epiſcopis per Africam de concordia & uniformitate. Tertia ad Deſiderium Viennenſem, ne Paſcha cum Judæis celebretur. Quarta ad Epiſcopum de Paſchatis celebratione.

Zephyrini epiſtolæ duæ. Prima ad omnes per Siciliam Epiſcopos de cauſſis & judiciis. Altera ad Fratres in Ægypto de Epiſcopis ſpoliatis, & ordinatione Clericorum.

Callixti Epiſtolæ duae. Prima inſcribitur Benedicto Fratri, & Coepiſcopo de temporibus jejuniorum, & criminationibus Doctorum. Altera univerſis per Gallias Epiſcopis 1mo de iis, qui conſpirant adverſus Epiſcopos, 2do de iis, qui communicant excommunicatis, vel infidelibus, 3tio ut nullus Epiſcopus de alterius Parochia aliquid præſumat; ac de mutationibus Epiſcoporum, 4to de conjunctione conſanguineorum, 5to qui non debeant admitti ad teſtimonium, 6to an Sacerdos poſt lapſum poſſit miniſtrare.

Urbani una epiſtola ad omnes Chriſtianos 1mo de vita communi, & quam ob cauſſam Eccleſia poſſeſſiones habere cœperit, 2do in quos uſus, & a quibus res eccleſiaſticæ diſpenſentur, 3tio de invaſoribus rerum eccleſiaſticarum, 4to de Cathedris epiſcopalibus, 5to ut nullus communicet cum excommunicatis ab Epiſcopo, 6to de ſponſione in Baptiſmo facta, 7mo de impoſitione manus epiſcopalis.

Pontiani duæ epiſtolæ, Prima ad Felicem Scribonem de honore Sacerdotibus exhibendo. Altera ad univerſalis Eccleſiæ Epiſcopos de fraterna dilectione.

Anteri una epiſtola Bæticæ, & Toletanæ Provinciæ Epiſcopis de permutatione Epiſcoporum.

Fabiani tres epiſtolæ. Prima inſcribitur catholicæ Eccleſiæ comminiſtris de ritibus Eccleſiæ romanæ, & ſchiſmate Novatiano, aliisque in ca-

tholica

Digitized by Google

tholica fide ſuſpectis. Secunda omnibus Orientalibus de novo Chriſmate ſingulis annis conficiendo, & de Epiſcopis non lacerandis obtrectationibus. Tertia Hilario Epiſcopo de accuſatione contra Epiſcopum, ejusque ad Sedem apoſtolicam appellatione.

Cornelii duæ epiſtolæ. Prima ad omnes Chriſti ſervos de translatione corporum Apoſtolorum, & de Novatianis Hæreticis. Altera ad Rufum Coepiſcopum, an jurare Epiſcopi debeant, & de cauſſis adverſus abſentes.

Lucii una epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpaniæ, *1mo* ut Epiſcopus ſemper Clericos teſtes ſecum habeat, *2do* de criminationibus *Epiſcoporum*, & ut appellatio ad ſuperiores non negetur, *3tio* ut Metropolitanus ſine Epiſcopis nihil agat, & viciſſim, *4to* ut contra Epiſcopum Metropolitanus ſine Epiſcopis cauſſam non audiat, *5to* ne Epiſcopi minores majoribus ſe præferant, *6to* de iis, qui res Ecclesiæ auferunt.

Stephani duæ epiſtolæ. Prima fratri ac familiari amico Hilario inſcripta, *1mo* de iis, qui infames ſunt, *2do* de reverentia Præpoſitis exhibenda, *3tio* de veſtimentis eccleſiaſticis. Altera omnibus per diverſas provincias Epiſcopis, in qua varia continentur de accuſationibus Epiſcoporum.

Xyſti II epiſtolæ duæ. Prima Grato Coepiſcopo de aeterna generatione Filii, & libera appellatione Epiſcoporum ad apoſtolicam Sedem. Altera fratribus per Hiſpanias de cauſſis, & judiciis Epiſcoporum.

Dionyſii epiſtolae duae. Prima ad Urbanum Praefectum eſt adhortatoria. Altera ad Severum Epiſcopum agit *1mo* de ſubordinatione erga apoſtolicam Sedem, *2do* de Eccleſiis parochianis per Cordubenſem provinciam ordinandis.

Felicis I tres epiſtolae. Prima paterno Coepiſcopo ſcripta de *judiciis* adverſus Epiſcopos, & Clericos. Altera ad univerſos in Galliis Epiſcopos, eſt conſolatoria de oppreſſis Epiſcopis. Tertia ad Benignum Epiſcopum contra eos, qui Filium minorem Patre dicunt.

Euty-

Digitized by Google

Eutychiani epiſtolae duae. Prima fratribus Joanni, & omnibus per Baeticam provinciam Epiſcopis inſcripta docet, quod Chriſtus verus Deus, & verus homo fuerit. Secunda Epiſcopis per Siciliam 1*mo* de modo recipiendi accuſationem adverſus Clericos, 2*do* de non admittendis ad accuſationem Chriſtianorum, 3*tio* de modo procedendi in negotiis eccleſiaſticis.

Caji epiſtola una ad Felicem Epiſcopum, 1*mo* a quibus non accuſandi Chriſtiani, 2*do* Epiſcopum non accuſandum apud ſeculares, 3*tio* de Clericis apud Epiſcopum accuſandis, 4*to* de his, qui negant verbi Dei incarnationem, 5*to* quod ad vitam æternam perveniri non poſſit, niſi per Mediatorem Chriſtum, 6*to* de Ordinibus eccleſiaſticis.

Marcellini duæ epiſtolæ. Prima Salomoni Coepiſcopo, quod Filius Patre minor non ſit. Altera univerſis Epiſcopis per orientales provincias inſcripta docet varia de contentionibus inter Chriſtianos ortis, & Clericorum judiciis.

Marcelli epiſtolæ duæ. Prima univerſis Epiſcopis per Antiochenam provinciam 1*mo* de ſubjectione erga romanam Cathedram, 2*do* quod mala pullulantia oporteat fraterna charitate reſecare. Altera ad Maxentium Tyrannum de charitate & perſecutione.

Euſebii tres epiſtolæ. Prima Epiſcopis omnibus per Gallicanas provincias inſcripta agit de accuſationibus Sacerdotum. Altera fratribus per Alexandriam, & Ægyptum de judicandis Epiſcopis. Tertia ad Epiſcopos Campaniæ, & Tuſciæ denuo de judiciis.

Melchiadis epiſtola ad Epiſcopos, Marinum, Benedictum, Leontium, ceteroſque Hiſpaniarum, & illarum Partium, 1*mo* de majoribus cauſſis ad apoſtolicam Sedem deferendis, 2*do* de Sacramento impoſitionis manuum, & Baptiſmi, 3*tio* de jejunio dominicae diei, & quintae feriae. Item alia hujus Pontificis nomine epiſtola *de Donatione Conſtantini.*

Conſtantini Imperatoris conſtitutio ad Sylveſtrum I. Item epiſtola Nicaeni Concilii ad Sylveſtrum. Item excerpta quaedam ex ſynodalibus geſtis S. Sylveſtri.

Epiſtola Athanaſii, & ceterorum Ægyptiorum ad Marcum I de numero Canonum Nicaenorum pro exemplaribus Nicaeni Concilii, quia Ariani iſta incenderunt. Marci ad eosdem reſcriptum de miſſione Capitulorum Nicaenorum.

Julii I epiſtola increpatoria ad Orientales pro Athanaſio, & de illorum exceſſibus contra romanam Eccleſiam. Epiſtola Orientalium ad Julium cauſſantium, quod in communionem recepiſſet Athanaſium, & ceteros ab ipſis damnatos. Julii reſcriptum ad Orientales pro Athanaſio, aliisque.

Liberii epiſtola, ut nullus in perſecutionibus, quamdiu durare poteſt, ſuam relinquat Eccleſiam. Athanaſii, & Ægypti Epiſcoporum ad Liberium epiſtolæ de oppreſſionibus Arianorum. Ejusdem reſcriptum ad eosdem. Ad Felicem II epiſtola Ægyptiorum, Thebaidorum, & Lybiorum de infeſtationibus Arianorum. Reſcriptum Felicis ad eosdem de judiciis Epiſcoporum. Alia ejusdem Papæ epiſtola de oppreſſione Arianorum.

Ad Damaſum epiſtola Aurelii Carthaginenſis, qua petit ſibi mitti ſtatuta inde a S. Petro omnium Romanorum Pontificum. Reſponſio Damaſi ad eumdem. Alia epiſtola hujus Pontificis ad Paulinum Antiochenum de natura Chriſti humana & divina. Item epiſtola alia ad Hieronymum de libro Pſalmorum ſecundum 70 interpretes: Hieronymi reſponſum. Item epiſtola Stephani, & trium Conciliorum Africæ ad Damaſum de Privilegio Romanæ Sedis: ejusdem reſponſio. Alia ejusdem epiſtola ad Proſperum Numidiæ primæ Sedis Epiſcopum, aliosque de Chorepiſcopis. Item alia ex Synodo Romana ad Illyrici Epiſcopos de conſervatione Nicænæ fidei. Denique alia univerſis Episcopis per Italiam de cauſſis ad Apoſtolicam Sedem deferendis.

§. 17.

En tibi, pacate Lector! brevem epitomen diffamatarum adeo *epiſtolarum*, quas ſi vacat integras legere, tantum abeſt, ut mendacii *ſpiritu* confictas, ut potius Spiritu S. repletas, talesque ſis inventurus, ad *quas* confingendas uni homini neque potentia fuerit, neque voluntas: *non* potentia propter rerum tam multiplicium cum rebus geſtis mirabilem convenientiam, qualem in ſpecie de epiſtolis ad Hiſpanos datis a Pontificibus Antero, Lucio, Xyſto, Dionyſio, Eutychiano, & Melchiade in laudato ſuo Opere

Digitized by Google

Opere Card. d'Aguirre jam oſtendit, atque de reliqnis generatim tot ſeculorum aſſenſus firmavit; quorum in arte critica defectum ſi obtendas, hunc quidem falſum eſſe ſupra §. 13 & 14 ſingulariter ex Hincmaro demonſtravi. At enimvero certum eſſe aſſero priora ſecula minus ex *defectu* artis criticæ peccaſſe, quam noſtra poſteriora a Lutheri reformatione per *exceſſum* hypercriticæ non jam artis, ſed temeritatis. — Neque *voluntas* fingendi in illis epiſtolis apparet, eoquod ſingulas legenti certe patebit, illarum Authores diverſa ſibi pro morum ædificatione, pro hæreſum extirpatione, pro fidei confirmatione, pro diſciplinæ inſtauratione, pro rituum externorum ordinatione, pro variis temporum exigentiis in animo propoſuiſſe, non tantum, qui unicus Iſidori ſcopus falſo dicitur, pontificiæ Authoritatis extenſionem. Nemo profecto mendax ſine cauſſa; tam innatus naturæ noſtræ veritatis amor eſt. Nemo ita inſanit, ut ſummi ſtudii, ac laboris diſpendio mendacia ſibi nihil profutura conſarcinet. Hujusmodi a ſcopo, ut putatur *Mercatoris*, quam longiſſime alienæ vel magna ex parte, vel penitus & ex toto plurimæ ſunt epiſtolae, uti Clementis, Evariſti, Xyſti I, Teleſphori, Hygini, Pii I, Soteris, Callixti, Urbani, Pontiani, Cornelii, Stephani, Xyſti II, Dionyſii, aliorumque.

§. 18.

Quod plures illarum Decretalium de judiciis, de contentionibus, & Epiſcoporum accuſationibus, vel oppreſſionibus tractent, id ſane non mirum videatur, ſed illorum temporum geſtis, ſeu genuinis hiſtoriæ documentis apprime conveniens: quam primum enim aucto hominum numero dilatari cœpit Eccleſia, prout humana indoles eſt nonniſi difficillime in unitate animorum, & ſubordinatione contineri, jam plures ortæ ſunt contentiones inter ſubditos & Praeſules, vel iſtorum inter ſe ipſos. Nihil nunc de Apoſtolorum vivo adhuc Domino controverſiis dicam; hujusmodi exempla pluribus in locis acta Apoſtolorum, & S. Pauli epiſtolae exhibent, ut adeo idem Apoſtolus propter obloquentium pertinaciam ad Eccleſiae Principes Hieroſolymam confugere debuerit. Ipſa Clementis Romani prima ad Corinthios epiſtola communi conſenſu authentica idem teſtatur. Quis dubitet litibus per illorum jam temporum haereticos ſaepe exortis ad Apoſtolicam Petri Cathedram recurſum frequentius fuiſſe, & inde decreta emanaſſe? Praeter illas Corinthiorum contra Presbyteros, Aſiaticorum de Paſchate, Africanorum de Baptiſmo controverſias, ſat nota eſt cauſſa Baſilidis & Martialis Epiſcoporum in Hiſpania depoſitorum, quae non ſolum ad vicinos Gallicanos, ſed & Africanos, atque Italos propagata excitaſſe diſſidia videtur diu non extincta: hinc forſitan tot Pontificum decreta in Hiſpanias, Gallias, alias-

aliasque provincias, ut Stephani, Xyſti II, Dionyſii, Felicis, Eutychiani, uſque ad Melchiadem. Acriores poſtea per Arianos excitatas fuiſſe orthodoxorum Epiſcoparum perſecutiones abunde conſtat, ut ſane occaſionem dederint epiſtolis ſub Sylveſtro, Marco, Julio, Liberio: quae geſta hiſtorica magnum forent argumentum pro defendenda Decretalium authentia; ſed hoc non eſt, quod intendo, dicas pace mea vel adulteratas, vel omnino falſis Authoribus ex errore ſuppoſitas; tantum hoc contendo, eas cum temporum adjunctis quam optime cohaerere, hinc contento ſuo nullam fraudis ſuſpicionem parere poſſe. Hanc cum rerum hiſtoria convenientiam ſi neges, tu vero aut inſcium te, aut mendacem prodis.

§. 19.

Falſum eſt uſque adeo, ut nihil apertius falſum, quam quod cum Vaneſpenio multi oggerunt, nihil in hiſce epiſtolis reperiri de haereticis primorum ſeculorum, de perſecutionibus Tyrannorum, de Confeſſorum conſolatione, vel ad martyrium exhortatione, aliisque de rebus, quibus illorum temporum ſincera ſcripta abundant: id indicio eſt praedictas epiſtolas a maximis ſuis calumniatoribus non fuiſſe lectas, prout fieri amat, ut plerique balſphement, quod ignorant. Atque haec potiſſimum cauſſa eſt, cur brevem epiſtolarum decretalium epitomen fecerim: unde jam colligas, ſiquid humanum in arte critica ratiocinium valet, illas ab uno deceptore non potuiſſe una omnes fabricari: revera autem easdem non ab uno Iſidoro fabricatas, ſed tantum collectas fuiſſe, quantum injuriae temporum admittunt, poſt tanta ſcilicet documentorum naufragia, ſat multis tamen exemplis nunc dabo conſpiciendum.

§. 20.

Romanae Eccleſiae Antiſtites ex remotiſſimis quaquaverſus regionibus jam a primordio in cauſſis difficilibus, dubiisque ſaepe fuiſſe conſultos, eosque proapoſtolica ſua vigilantia, & cunctarum ovium cura illuc frequenter reſponſa emiſiſſe, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Praeter eas, quae veluti ex univerſali diluvio divina providentia feliciter evaſerunt, primorum Pontificum epiſtolas maximam partem a Couſtantio collectas, hujus rei teſtis plane expertiſſimus ipſe S. Hieronymus eſt, Romae ſibi id muneris a Pontifice injunctum aſſerens, *ut in chartis eccleſiaſticis juvaret Damaſum romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis conſultationibus reſponderet.* Haec autem fere omnia apoſtolicorum virorum tam pretioſa monumenta damno irreparabili deperdita ſunt, tam propter naturalem rerum humanarum caducitatem, quam præcipue propter ſævientem tunc

tunc temporis perſecutionem, quæ non tantum in corpora fidelium crudelis fuit, quorum ſanguinem effudit; verum etiam in animas, quarum ad vitam æternam nutrimenta omni ſua vi, & fraude ſuſtulit *).

§. 21.

Perpetuo tamen memoria quædam cimeliorum tam pretioſorum, atque etiam quædam, obſcuriora licet veſtigia in Eccleſia Dei conſervata ſunt: hinc non mirum (prout fatalis illa ſors vetuſtarum rerum plerumque eſt) vera fuiſſe falſis mixta, nec non & apogrypha inde pronata, de quibus jam ſupra §. 14 Hincmari Rhemenſis ſapientem animadverſionem vidimus. Quapropter eas, quas Iſidorus in ſua Collectione exhibet, Pontificum omnium epiſtolas nolim ego tamquam authenticas, ſive genuinas vindicare, ſed *inter apogryphas*, ſi placet, per me rejicias. unice mihi demonſtrandum plurimis ab exemplis ſumſi, nullam hic Iſidori fraudem ſubeſſe, ſed Decretales easdem jam ante ipſum extitiſſe, quarum igitur non fabricator, ſed tantum compilator fuerit. Multa ad hunc ſcopum ſubſidia me inventurum ſperaſſem, ſi alterum Couſtantii Tomum *de Pſeudoiſidorianis*, ab illo tam ſæpe promiſſum ullibi potuiſſem inveſtigare: credere enim licet, hunc Pariſienſem Monachum, quam temerarius fuit in facile rejiciendis Pontificum epiſtolis, tam futurum ſaltem fuiſſe fidelem in detegendis fontibus antiquis, unde Iſidorus hauſerit. Si tanti momenti opus promiſſum ipſe Couſtantius non præſtitit, a Maurana Congregatione virorum eruditionis laude tam celebrium iſtud adhuc ſperandum exiſtimo: facilius autem id Romæ in abundantia antiquiſſimorum Codicum præſtari poſſe videtur. Pro mea quidem virium tenuitate exempla tamen ſat multa jam inveni.

§. 22.

A Clemente I incipiam. Prima ejusdem ad Jacobum epiſtola tam antiqua eſt, ut a Rufino ſeculi quarti Scriptore in latinum idioma tranſlata, & vetuſtiſſimis Canonum Collectionibus, nominatim Codici per Paſchaſium Queſnellum edito inſerta, atque a Concilio Vaſenſi a. 442 laudata ſit: Altera ad Jacobum, ſeu *de Sacramentis* in perantiqua Collectione ante Seculi VII finem ponenda in Bibliothecæ Colbertinæ Codice 3368 reperitur, teſte ipſo Couſtantio **). Tertia *de officio Sacerdotis & Clericorum* pariter jam a

*) Cum tot interierint antiquitatis documenta, patet, quam infirmum, nulliusque valoris ſit *negativum* illud argumentum, quod multi a veterum ſilentio repetunt: argumentum tamen, quo Iſidori oppugnatores fortius nullum habent.

**) Præfat. p. 87.

Digitized by Google

a Rufino Interprete converſa in latinum legitur in libro Recognitionum ad Gaudentium.

De duabus Anacleti epiſtolis decretalibus, omni ſapientia plenis mentionem facit libri pontificalis ſub *Damaſi* nomine vulgati vetus exemplar manuſcriptum, quod Romæ Achiles Statius Luſitanus P. Turriano commodavit *).

In eodem libro pontificali de S. Evariſto legitur, quod præceperit, *ut ſeptem Diaconi cuſtodirent Epiſcopum prædicantem propter ſtilum veritatis*, hoc eſt, propter teſtimonium veræ, & ſanctæ prædicationis. Hanc conſtitutionem exhibet hujus Pontificis prima epiſtola ad omnes Africanos Epiſcopos hisce verbis: „Diaconi, qui quaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi, „in unaquaque civitate juxta Apoſtolorum conſtituta ſeptem debent eſſe, „qui cuſtodiant Epiſcopum prædicantem, ne aut ipſe ab inſidiatoribus quoquo modo infeſtetur, aut lædatur a ſuis, aut verba divina detrahendo, „aut inſidiando polluantur, vel deſpiciantur, ſed veritas ſpirituali redoleat „fervore, & pax prædicata labiis, animi cum voluntate concordet.“

De Alexandro liber pontificalis hæc habet: *Hic paſſionem Domini miſcuit in precationem Sacerdotum, quando Miſſæ celebrantur.* Item: *Hic conſtituit aquam aſperſionis cum ſale benedici in habitaculis hominum.* Hæc autem decreta in prima hujus Pontificis epiſtola occurrunt N. 4: *Ut in oblatione Sacramentorum commemoretur paſſio Chriſti*; & N. 5: *De benedictione ſalis, & aquæ.*

De Xyſto I Lib. Pontif.: *Hic conſtituit, ut miniſteria ſacrata non tangerentur, niſi a Miniſtris ſacratis.* Item: *Ut quicunque Epiſcopus evocatus fuerit ad Sedem romanam apoſtolicam, rediens ad Parochiam ſuam non ſuſciperetur, niſi cum formatis ſalutationis ad plebem a Sede apoſtolica.* Hæc decreta in altera ejusdem epiſtola continentur N. 1 & 2.

De Teleſphoro Lib. pontif.: *Hic conſtituit, ut ſeptem hebdomadas ante Paſcha jejunium celebraretur, ut in Natali Domini noſtri J. C. noctu Miſſa celebraretur, cum alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret* *Miſſas*

*) Adverſ. Magdeburg. Lib. 5, Cap. 20.

Miſſas celebrare, quia ea hora Dominus noſter aſcendit in crucem: & ut ante Sacrificium Hymnus diceretur angelicus, hoc eſt, Gloria in excelſis Deo. Hæc ipſa leguntur in ejus epiſtola N. 1, 2, 3.

De Hygino Lib. pont.: *Hic Clerum compoſuit, & diſtribuit gradus.* Iſtud ex ejus epiſtola prima apparet: *De cauſſis Epiſcoporum, de criminationibus majorum, de peregrinis judiciis.* N. 2, 3, 4.

De Pio I Lib. pont.: *Conſtitutum de Eccleſia fecit.* Tale invenitur in epiſtola ſecunda: *Quæ divinis ſunt aſſignata uſibus, ad humanos uſus ſine ſacrilegio non poſſe transferri.* Ceterum ejusdem Pii epiſtolæ duæ ad Juſtum Viennenſem, ſecus ac Blondello, Couſtantio, aliisque Anti-Iſidorianis placuit, hodiedum ſeveriſſimis Criticis tamquam genuinæ probantur, ut nihil de prioribus dicam, recentiſſime P. Placido Sprenger Banzenſi Monacho, etſi alias ſanctæ apoſtolicæ Sedi haud ſatis æquo, qui *in Theſauro rei Patriſticæ* Wirceburgi a. 1785 edito ita ſcribit *): „Certe Blondellus, qui in „Pſeudo-Iſidoro Genevæ impreſſo A. D. 1628 eas impoſturæ accuſaverat, „poſtea ſenior, adeoque prudentior factus veterem hanc ſuam de iis ſen„tentiam omnino exuit, ut ex poſterioribus A. D. 1641, 1646, 1649 ma„nifeſtum ſit. Siquidem in libris de Primatu, de Sybillis, & in Apolo„gia, utriusque epiſtolæ tamquam ad illum, cujus nomen præferunt, cer„tiſſime pertinentis teſtimoniis abutitur: quod etiam Claudium Salmaſium, „& Joannem Dallæum, Henrico Hammondo reclamante, pridem feciſſe in„ferius exponam. Cur ergo vel propter Blondellum nondum reſipiſcen„tem ſuſpectiores nobis ſint, nihil ſane cauſſæ eſt.“ Si duæ iſtæ Pii epiſtolæ quidquam in favorem apoſtolicæ Sedis continerent; forſitan jam ea noſtris Criticis ſufficiens cauſſa foret easdem inter ſpurias rejiciendi.

De Aniceto Lib. pont. ait: *Hic conſtituit, ut Clericus comam non nutriret ſecundum præceptum Apoſtoli.* Quod decretum legitur in ejus epiſtola ad Galliæ Epiſcopos *de tonſura Clericorum, & habitu.* N. 4.

De Sotere libr. Pontif.: *Hic conſtituit, ut nulla Monacha pallam ſacratam contingeret, nec incenſum poneret in ſancta Eccleſia.* Idem decretum legitur in epiſtola ſecunda ad Italiæ Epiſcopos, ne *feminæ ſacra vaſa, vel ſacras pallas contingant, vel Altaria incendant.* Admodum probabile eſt, hujus

Hhh 2 con-

*) Tom. 2. Diſſert. 14, Cap. 2.

Digitized by Google

conſtitutionis editæ cauſſam fuiſſe, quod ex Montani ſecta feminæ ſe ſacris immiſcerent, ut docet Baronius ad annum 173.

De Eleutherio libr. Pontif.: *Hic conſtituit, ut nulla eſca uſualis, quæ tamen rationabilis, & humana eſt, quam Deus creavit, a chriſtianis maxime fidelibus repudiaretur.* Eadem habet epiſtola ad Galliæ provincias de *eſcis irrationabiliter non vitandis.* N. 1.

De Victore libr. Pontif.: *Hic conſtituit, ut ſanctum Paſcha die dominica celebretur, ſicut Pius.* Idem hoc decretum continent quatuor epiſtolæ ad Theophilum Cæſareenſem, ad Africanos, ad Deſiderium Viennenſem, ad Paracodam Epiſcopum.

De Zephyrino libr. Pontif.: *Hic conſtituit, ut præſentibus Clericis, & laicis fidelibus ſive Levita, ſive Sacerdos ordinetur.* Idem habet epiſtola ſecunda ad Ægypti Epiſcopos de *ordinatione Presbyterorum & Diaconorum.* N. 2.

De Callixto libr. Pontif.: *Hic conſtituit jejunium quater in anno fieri, frumenti vini & olei gratia ſecundum Prophetiam.* Decretum hoc exſtat in ejus epiſtola ad Benedictum Epiſcopum de *temporibus jejuniorum.* N. 1.

Anteri I epiſtola ad Hiſpanos, de mutatione Epiſcoporum tamquam genuina a Card. d'Aguirre defenditur, eoquod Patribus Concilii Toletani X a. 656, item Toletani XVI a. 693 ante oculos fuiſſe videtur, cum translationes Epiſcoporum neceſſitate, vel utilitate publica interveniente licitas eſſe, idque *canonice* fieri aſſerent, nempe ad *regulam* ab Apoſtolica Sede, præſertim in illa celebri epiſtola Anteri ſibi præſcriptam.

De Cornelio libr. Pontif.: *Sub hujus Epiſcopatu Novatus Novatianum extra Eccleſiam ordinavit.* Item *Hic temporibus ſuis rogatus a quadam Matrona Lucina corpora Apoſtolorum beatorum Petri & Pauli e catacumbis levavit noctu.* S. Hieronymus etiam *de ſcript. eccleſ. in Cornelium* aſſerit, eum de Novatiano, & de his, qui lapſi ſunt, epiſtolam ſcripſiſſe. Hanc eſſe Cornelii primam de translatione corporum Apoſtolorum Petri & Pauli, & de Novato non ſine fundamento Binius contendit: „ideoque immerito il-

„lam

„lam de fide & authoritate taxari, quæ probatæ fidei teſtem Hieronymum „adepta eſt, & ejus ſcripta cum rerum hiſtoria conveniunt."

De Lucio libr. Pontif.: *Hic præcepit, ut duo Preſbyteri, & tres Diacones in omni loco Epiſcopum non desererent propter teſtimonium eccleſiaſticum.* Hujus decreti ſanciendi cauſſam dediſſe putantur calumniæ in Cornelium convictæ a Novatiano. Plura memorabilia de Lucii vita profert Card. d'Aguirre ex pervetuſto Codice membranaceo, cujus exemplar quoddam primo editum fuit Moguntiæ a. 1602, deinde vero recurſum a. 1609 Antwerpiæ typis Plantinianis Balthaſaris Moreti inter opera Luidprandi pag. 189. In hac porro vita Lucii fit mentio ejusdem epiſtolæ, quam ad Galliæ, atque Hiſpaniæ Epiſcopos datam Iſidorus exhibet. Hoc domentum tam præclarum, etſi longius, quia tamen minus cognitum huc transferri dignum eſt: „Lucius Natione Romanus ex Patre Porphyrio ſedit annos tres: fuit autem temporibus Galli, & Valuſiani usque ad Valerianum III, „& Gallicanum. Hic primum fuit in exilio, poſtea ad Eccleſiam incolumis reverſus eſt, demum a Valeriano capite truncatur I Non. Martii. „Hic ordinavit Epiſcopos ſeptem, Presbyteros quatuor, Diaconos quatuor. „Hic propter malevolos, & Sacerdotum perſecutiones conſtituit, ut duo „Presbyteri, & tres Diaconi Epiſcopum in omni loco non deſerant, ut juxta Apoſtolum etiam ab his, qui foris ſunt, ſtudium habeatur bonum conſervari teſtimonium: quod in epiſtola, quam omnibus Galliæ, & Hiſpaniæ „Epiſcopis deſtinavit, apud ipſos ſervari hortatus eſt. Conſtituit in eadem „etiam, ut criminationes majorum natu per alios non fiant, niſi per eos, „qui crimina intendunt, & ipſi tales ut digni ſint, & irreprehenſibiles appareant, & actis publicis ſe omni ſuſpicione, & inimicitiis carere doceant, „& fidem, ac converſationem irreprehenſibilem ſe ducere oſtendant. Et „quia hoc fieri ante quoslibet judices interdum difficile animadvertit, ad „alios eccleſiaſticos judices, ubi major authoritas fuerit, poſtulanti audientiam non negandam eſſe decrevit. Item in eadem juxta SS. Apoſtolorum, „& eorum Succeſſorum decretum præcipiendo conſtituit, ut ſi quilibet „Metropolitanus Epiſcopus, niſi quod ad ſuam ſolummodo pertinet parochiam, niſi conſilio, & voluntate omnium comprovincialium Epiſcoporum extra aliquid agere tentaverit, gradus ſui periculo ſubjaceat, & quod „egerit, irritum habeatur, & vacuum: conſenſu etenim, & conſilio ſolummodo omnium provincialium Pontificum Metropolitano Epiſcopo licere „conſtituit agere, & diſponere de eorum cauſſis, & Eccleſiis, & Clericis, „atque Sæcularium neceſſitatibus, aut de communibus quibuscunque negotiis agi neceſſe fuerit. Similiter de Provincialibus ſtatuit, ut nihil eis

„ſegregatim, aut communiter abſque Metropolitano agere liceat, niſi de „his ſolummodo, quæ ad eorum proprias Parochias pertinent. Similiter „apoſtolica authoritate præcepit, ut nullus Metropolitanus Epiſcopus abs„que omnium Suffraganeorum ſuorum præſentia aliquorum eorum audiat „cauſſas; aliquin irritæ erunt, & ipſe cauſſam dabit pro facto. Item præ„cepit, ut per ſingulas provincias hoc Epiſcopi obſervent, ne poſteriores „ſe prioribus ſuis præferant, ne eis inconſultis, niſi quantum propriam „Parochiam pertinet, aliquid agant, ſed de communibus eorum cauſſis con„ſonam ſententiam proferant, & determinent, quia aliter actæ nullas vires „habebunt, nec eccleſiaſticæ reputabuntur. Item in eadem epiſtola de ex„ſpoliatione dotis, & oblationum Eccleſiarum conſultus, prius multis ratio„nibus, & multorum authoritate hoc genus invaſionis, & rapinæ ſacrile„gium eſſe oſtendit: poſtmodum & authoritate, & decreto Prophetarum, „Apoſtolorum, eorumque Succeſſorum, & omnium catholicorum Patrum „exemplis tales præſumtores, & Eccleſiæ raptores, atque ſuarum facultatum „alienatores a liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ anathematizat, & damnat, „& ſacrilegos eſſe judicat, & non ſolum eos, ſed omnes eis conſentientes; „quia non ſolum, qui faciunt, ſed etiam, qui facientibus conſentiunt, rei „ſunt, & judicantur: par enim pœna, & agentes & conſentientes compre„hendet.“ Hactenus ibi, in quibus memorantur ea ipſa, quæ continentur in epiſtola ab Iſidoro collecta. Quamobrem hanc eamdem Lucii epiſtolam non ſolum ut antiquam, ſed vere germanam cum Card. d'Aguirre auſim defendere *): „Cenſeo non eſſe facile ſuppoſitionis damnandam, utpote quam „tot ſeculis Eccleſia recepit inter alias Pontificum, ac perpetuo venerata „fuit, quamvis hoc ſeculo nonnullis hominibus eruditis, etiam catholicis „appareat ſuppoſita. Unde in editione noviſſima Concilium Philippi Lab„be, & Gabrielis Coſſartii Tom. I, Col. 721 initio hæc ipſi nota inuritur „ad marginem: *Suſpecta eodem jure cum aliis Iſidorii mercibus.* At qui„busnam, rogo ſuſpecta? nulli antiquorum: deinde ex recentioribus non Tur„riano, non Antonio Auguſtino, non Baronio, nec Binio, nec Sauſſajo, „nec Franciſco Macedo *in Aſſerto romano* Vindicia III, Cap. 3, Sed. 1, „pag. 130, nec Joanni Doujat, cujus *prænotiones criticas* Pariſiis editas a. „1687 poſt hæc ſcripta legere licuit Lib. 2, Cap, 26, N. 18, non denique „aliis plurimis, niſi paucis quibusdam, & delicatis nimium, qui ob unam, „aliamve difficultatem occurrentem, & enodatu facilem non dubitant hu„jusmodi ſacris, & venerandis inſtrumentis nigrum theta præfigere, illaque „arguere aut νοθείας, aut interpolationis ſaltem.“ Hæc doctiſs. d'Aguirre.

De

*) Collect. Conc. Hiſp. Tom. 1, Diſſert. 13.

De Stephano P. liber Pontificalis hæc habet: *Hic conſtituit Sacerdotes & Levitas veſtibus ſacratis in uſu quotidiano non uti, & niſi in eccleſia tantum.* Idem decretum in ejus epiſtola prima ad Hilarium Epiſcopum habetur de *veſtimentis eccleſiaſticis* N. 4. Notum eſt plures ab hoc Papa epiſtolas fuiſſe ſcriptas authoritate pontificia plenas, quæ lapſu temporum deperditæ ſunt.

De Dionyſio lib. Pontif.: *Hic Presbyteris Eccleſias diviſit, & cœmeteria, parochiasque, & diœceſes conſtituit.* Eadem continet ejus epiſtola ſecunda ad Severum Epiſcopum.

De Eutychyano lib. Pontif: *Hic conſtituit fruges, fabas & uvas ſuper altare benedici.* Hoc idem continetur in præſtanti epiſtola ad Joannem, & omnes Bæticæ Provinciæ Epiſcopos de *proprietatibus utriusque naturæ in Chriſto*, quam epiſtolam Card. d'Aguire non levibus rationum momentis genuinam defendit. Certum eſt Eutychiano occaſionem valde opportunam fuiſſe ad ſcribendam illam contra Paulum Samoſatenum, qui aliquot annos blaſphemo & putido ore effutierat, adhucque diſſeminare pergebat Chriſtum Dominum fuiſſe purum hominem.

De Cajo lib. Pontif. *Hic conſtituit, ut omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent, ſiquis Epiſcopus fieri meretur, ut eſſet Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, ſequens Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, & exinde Epiſcopus ordinaretur.* Hæc ſtatuta in fine epiſtolæ ad Felicem Epiſcopum occurrunt, N. 6.

Melchiadis ad Hiſpanos epiſtolam Card. d'Aguirre ut genuinam momentoſis rationibus defendit: mihi autem hujus tanti Viri teſtimonium hoc loco ſufficit, „quod hæc epiſtola in omnibus collectionibus tam editis, quam „manuſcriptis, etiam antiquiſſimis, quibus D. Loaiſa uſus fuit, & in aliis „ubique exſtantibus, præſertim in Bibliotheca Vaticana invenitur" *).

Huic Melchiadis epiſtolæ apud Iſidorum ſubjungitur ſub eodem nomine, ut vulgaris opinio eſt, altera epiſtola de *primitiva Eccleſia, & munificentia Conſtantini Magni erga eamdem*: ſive de *donatione Conſtantini.* Quod ſcriptum

*) Oper. Laud. Tom. 1, p. 311.

Digitized by Google

tum cum ſit Malchiade certo poſterius, in quo etiam Concilii Nicæni mentio fiat; hinc confidenter plerique *falſarium* vocant Iſidorum. Sed iſti nempe Ariſtarchi omnes præjudicio & ignorantia laborant: nam etſi hoc ſcriptum falſo Melchiadis nomine a Gratiano allegetur, in Iſidori tamen codicibus nomine omnino caret, ſed poſt epiſtolam Melchiadis veluti proœmium eſt in ſequentem *Conſtitutionem Conſtantini ad Sylveſtrum*. Vide Ballerinios *). Dices forſitan, hæc ipſa *Conſtitutio de Conſtantini donatione* apogryphum documentum eſt: ſit pace mea, de hoc jam non litigo, tantum obſervo, non eſſe Iſidori figmentum, ut falſo illi ab Alexandro Natali imputatur. Hujus donationis græca quaedam fragmenta Balſamon producit; integrum autem documentum graece ſcriptum invenit P. Poſſinus in Vaticanis quatuor Codicibus graecis: hinc non improbabiliter Baronius & Binius ſuſpicati ſunt hoc conſtitutum a Graecis confictum, poſtea latine redditum, & ab Iſidoro fuiſſe exceptum. Nunc vero conſtat illud in gallicana etiam legi Collectione Iſidoro antiquiore, quam vetuſtus codex Colbertinus 3368 exhibet: ex hac igitur, aliave fortaſſis adhuc vetuſtiore Iſidorum exſcripſiſſe credendum eſt.

Sequitur apud Iſidorum, *quo tempore Nicænum Concilium habitum ſit.* Hoc initium, certe genuinum, Praefationis eſt ad Collectionem Hiſpanicam, quam Ballerinii integram dederunt.

Tum ſequitur epiſtola, vel Praefatio Nicaeni Concilii *Beatiſſimo Sylveſtro in urbe Roma Sedis Apoſtolicæ Antiſtite*. Niſi authentica ſit haec praefatio; certe tamen non ab Iſidoro conficta, ſed ex vetuſtiore collectione deſumta eſt, prout Ballerinii oſtenderunt, etſi alias, quod de tantis Viris miror, erga Iſidorum juſto immoderatiores. Sed quid temporum praejudicia in viros etiam ſummos non valent?

Poſtea ab Iſidoro deſcribuntur *Canones Conciliorum*, quae inſignis pars collectionis ſincere deſcripta, ac germana hodiedum cenſetur. Si deceptor Iſidorus; quare falſas Synodos, aut falſos ſaltem Synodorum canones *non* fabricavit? — Demum epiſtolae ſequuntur ceterorum Pontificum a *Sylveſtro* uſque ad Gregorium M. Primum jam documentum creditur *ſuppoſitium* *Excerpta quædam ex ſynodalibus geſtis S. Sylveſtri Papæ*. Certum eſt autem notumque eruditis, ea ſub Symmachi aetate jam eſſe concinnata, & in

*) Opp. S. Leon. Tom. 3, p. 228.

in Collectiones Italicas, Gallicasque ante Iſidorum inſerta, unde ab illo tantum extracta.

Quinque Pontificum, Marci, Julii I, Liberii, Felicis III, & Damaſi epiſtolae uſque ad Siricium vulgo quidem pro ſuppoſititiis habentur, de quo diſputare nolim; attamen & illas non ab Iſidoro excogitatas, ſed ab exſtantibus jam documentis compilatas fuiſſe e. g. ex libro Pontificali, ex Socrate & Sozomeno, ex vetuſtis quibusdam collectionibus, qualem Longobardicis litteris exaratam vel ipſe Couſtantius memorat *), ſat claris patet veſtigiis; præterquam quod aliquæ illarum etiam pro genuinis hodiedum habeantur, ut Damaſi ad Paulinum ex Collectione Hiſpanica, ejusdem ad Illyrios Epiſcopos ex Theodoreto, ac verſione S. Epiphanii in hiſtoria tripartita. Quamobrem cum firmiſſima ſit juris regula: *actore non probante abſolvi reum*, cum longe aliud ſit falſa colligere documenta, quam confingere; cum inſuper nequaquam ea jam in ſe ipſis certo falſa ſint, quæ nunc a plerisque falſa reputantur; cum demum in tanta licet documentorum penuria, quanta noſtris temporibus eſt, plurimis tamen, fere innumeris ab exemplis fidelitatem Iſidori in compilando demonſtratam vidimus; ſiquid humana valet critica, dicam, ſiqua inter homines juſtitia datur, Iſidorum, quippe non fabricatorem, ſed tantum collectorem Decretalium jam ante ſe exſtantium ab infamia Impoſtoris abſolvere neceſſe eſt. Provoco Febronianos, ac publice provoco, ut tanta in medium afferant rationum momenta *ad condemnandum*, quanta ego hucusque attuli *ad abſolvendum.*

§. 23.

Judicium *abſolutorium* adhuc confirmatur novo quodam reflexo argumento. Certum eſt ex omnium conſenſu, præcipue autem Hincmari Rhemenſis, ad initium ſeculi noni anno 801 in mundum nati, adeoque coævo teſtimonio, collectionem Iſidorianam hoc præciſe tempore per gallicas, & germanicas provincias cœpiſſe publicari. Ita enim ille in Opuſculo adverſus ſuum Nepotem ſcribit cap. 24: „De libro collectarum epiſtolarum ab „Iſidoro, quem de Hiſpania allatum Riculphus Epiſcopus Moguntinus **) „in hujusmodi, ſicut & in Capitulis regiis ſtudioſus obtinuit, & iſtas re„giones ex illo repleri fecit.“ Hunc Iſidorum alio in loco idem Hincmarus adhuc clarius indicat his verbis Epiſt. 7: „Scriptum eſt in quodam „ſermone ſine exceptoris nomine de geſtis Sylveſtri excerpto. quem Iſi„dorus

*) Præf. p. 80.

**) Is in Sede Moguntina Lulio a. 786 ſucceſſit, e vivis autem a. 814 exceſſit.

Digitized by Google

„dorus Hiſpalenſis Epiſcopus collegit cum epiſtolis romanæ Sedis a S. Cle-„mente usque ad B. Gregorium.“ Si verum eſt iſtud Hincmari aſſertum, cauſſa deciſa eſt, non deceptor fuit Iſidorus, ſed S. Epiſcopus Hiſpalenſis documentorum Eccleſiæ veterum optime gnarus, qui Seculi VII initio Hiſpaniam illuſtravit. Attamen hoc ipſum eſt, quod hodierni Critici nolunt fidem negantes licet non ſine violentia humano judicio inferenda, fidem negantes, inquam, Hincmaro Rhemenſi, ipſius rei origini proximo, ejusdem a juventute ſtudioſo, & teſti a partium ſtudio prorſus alieno, imo & contra ſe ipſum teſtanti. Publica certe hujus rei perſuaſio tunc fuerit oportet.

§. 24.

Inde ergo Collectionis famoſæ ortum Critici plerique repetunt, unde prima publicatio facta creditur, ex Moguntia: hinc fraus exiverit, ſubito latiſſime per Germaniæ, Galliæque regiones diffuſa. Somniare ſic licet, non item ratiocinari. Non tam facile, ac cito hominum ſocietas, minus magnæ Provinciæ decipiuntur. Quis credat integram Collectionem potuiſſe publicam fidem invenire, niſi hujusmodi documenta ſaltem ſparſim in diverſis ſcriniis inventa, aut jam aliunde fuiſſent publice nota? Ut aſſertum ſuum Critici tueantur, in fraudis ſocietatem trahunt Gallicana etiam, quæ *Hadriani* dicuntur, Capitularia utpote ejusdem tenoris cum *Iſidori* Decretalibus: amplius ergo contradicunt Hincmaro de re licet domeſtica, ſibique odioſa teſtanti eod. Cap. 24: „De ſententiis, quæ dicuntur ex græcis, „& latinis Canonibus, & Synodis romanis, atque Decretis Præſulum, ac „Ducum romanorum collectæ ab Hadriano Papa, & Engelramno Metenſium „Epiſcopo datæ, quando pro ſui negotii cauſſa agebatur.“ An revera hæc Capitularia primitus ab Hadriano data Engelramno, an potius ab hoc collecta illi pro approbatione fuerint oblata; cum jam Hincmarus dubitaſſe videatur, cum alii poſtea viri perquam eruditi, ut Antonius Auguſtinus, Petrus de Marca, atque etiam Baluzius dubitaverint, cum manuſcripti Codices inter ſe diſſentiant; definire nihil auſim, ſed & parum id ſcire intereſt: ſumma autem rei maximi momenti eſſe debet, ſcilicet hæc ipſa Capitularia jam inde a ſua origine apud Gallos ſumme æſtimata, publice probata, ab omni fraudis ſuſpicione longe aliena fuiſſe judicata. Argumentum vel ipſi Calviniſtæ Blondello formidabile viſum!

§. 25.

Digitized by Google

§. 25.

Hujus rei teſtem denuo Hincmarum Rhemenſem habemus, qui ad Laudunenſem l. c. hæc ſcripſit: „Si vero ideo talia, quæ tibi viſa ſunt, „de præfatis ſententiis (Hadriani) ac ſæpe memoratis epiſtolis (Iſidori) „detruncando, præpoſterando, atque diſordinando collegiſti, quia forte pu„taſti, neminem alium easdem ſententias, vel ipſas epiſtolas præter te ha„bere, & idcirco talia libere te exiſtimaſti poſſe colligere; res mira eſt, „*NB.* cum de ipſis ſententiis plena ſit iſta terra, ſicut & de libro collecta„rum epiſtolarum.“ Hoc teſtimonio Hincmari conſtat, ſententias ſeu Capitularia Hadriani aeque, ac epiſtolas Iſidori tunc publice notas, ac omnium fere in manibus fuiſſe, ita ut clariſſima eſſet utrarumque quoad originem ſuam, tunc adhuc recentiſſimam hiſtoria, & diverſitas, cum illæ ſententiæ in Gallia Engelramno, iſtae autem epiſtolae in Germania Riculpho ſuas cunas deberent. Neutiquam ergo (ſecus ac ſpuriis partubus naturale eſt abſcondi) occultata fuit ambarum nativitas vel inde a ſua origine, ſed jam tunc communis adeo, ac publici juris fuerant, ut ſiquis impoſtor tantum interpolare aliquid ſive in Hadrianis ſententiis, ſive in Iſidorianis epiſtolis praeſumſiſſet, ſtatim judice Hincmaro detectae fraudis pœnas dediſſet. Nunc vero poſt annorum fere Millenarium Criticis placet, haud veram eſſe illam, quae primitus omnium fuerat opinio de origine Capitulorum Hadriani, ſed ea ipſa tenebroſum eſſe *Mercatoris*, ſpuriumque partum decretalibus illis epiſtolis poſteriorem. Si rationem requiras criſis adeo temerariae contra coaeva teſtimonia, & omnium vetuſtiſſimorum Codicum manuſcripta exemplaria; nullam obtinebis aliam, niſi quia hodiernis praejudiciis adverſantur, & Criticis diſplicent illa Hadriani Capitularia, quae tota quanta cum epiſtolis Anacleti, Evariſti, aliorumque ex prima aetate Pontificum, hoc eſt, cum Iſidori Decretalibus conſpirant.

§. 26.

Sed & Hypercritici noſtri ab antiquo illo Hincmaro egregie vapulant, qui ipſorum commentum de origine Capitularium juxta, ac Decretalium apertae falſitatis convincit. Ut enim Blondello viſum, atque ex aſſumtis ſuis placitis videri debuit, primum ſeculi noni jam fere medio Iſidori epiſtolae, ac brevi poſtea Hadriani ſententiae poterant adulterino conceptu prodire, eoquod epiſtolis Urbani I, & Joannis III aliquot ſententiae integrae ex Concilio Pariſienſi anno 829 habito inſertae; item formulae quaedam, ac phraſes ab Iſidoro excerptae ſint ex Jonae Aurelianenſis epiſtola ad Carolum Calvum, qui anno 839 regnum obtinuit. Hinc vulgaris ſuſpicio totius, ut putatur, malitioſiſſimae fraudis in Benedictum Levitam

Digitized by Google

Moguntinum cadit, qui libros *Capitularium Regiorum* iſidoriana peſte, ſi ita loqui fas eſt, penitus infectos circa annum 845 edidit. Ehem, o boni! falli vos nimium quantum, totoque cœlo aberrare Hincmarus Rhemenſis harum rerum expertiſſimus atque teſtis oculatus proclamat conteſtans ſe jam a *juventute ſua*, hoc eſt ab ejusdem noni ſeculi initio in lectione iſtarum ſive ſententiarum, ſive epiſtolarum fuiſſe verſatum, in eodemque ſtudio conſenuiſſe. Vide ſupra §. 7. Ego vero ex Blondellianis nunc quæro, cum certum ſit Decretales Iſidorianas ante annum 829, multo magis Hadrianas jam extitiſſe, atque ex illis Pariſienſem Synodum, aut Jonam etiam Aurelianenſem integras ſententias, phraſesque, *attamen ſine illarum expreſſa allegatione* deſcripſiſſe; quidnam ergo de palmari argumento Blondelli, & ejus aſſeclarum ſentiendum??

§. 27.

Inſuper autem integritatem ſuam, ſive in compilando ſinceritatem Capitulorum, quæ ab Hadriano nomen habent, collector probavit Cap. 6, „Siquis putaverit ſe a proprio Metropolitano gravari, apud Primatem Diæ„ceſeos, aut apud Conſtantinopolitanæ Civitatis Sedem agat judicium, & „reliqua". Hoc capitulum certe cujusdam Latini, vel Franco-Germani cerebro non fuit confictum: neque enim deceptor ignorare potuiſſet, Conſtantinopolis Epiſcopo ab occidentali Eccleſia hanc prærogativam non admiſſam fuiſſe; hinc fictioni ſuæ nihil roboris in ſua patria hoc capitulari addidiſſet, ſed potius detraxiſſet. Fuit ergo dumtaxat compilator, qui decretum hoc, prout invenit, vel ex antiquiore græca collectione, vel ex Concilio Chalcedonenſi fideliter transſcripſit. Nec minus injuſte Benedicti Levitæ ſinceritas a quibusdam hodie in dubium vocatur, quaſi quæ ille attulit in ſuis *Capitularium regiorum* libris decreta, non vere fuiſſent ſinceris Capitularibus Regum Francorum conſtituta: hæc enim Benedicti fraus minime latere potuiſſet coaevum Hincmarum iſtarum rerum oppido ſtudioſum, utpote cujus magnopere intererat ſuas metropolitanas tueri praerogativas. Imo genuina illa eſſe Regum Capitularia ſatis aperte faſſus eſt Hincmarus, dum Riculphum, a quo Benedictus ſua deſumſit, *in Capitulis Regiis ſtudioſum* vocavit. Abunde haec ſufficere puto ad oſtendendam Benedicti Levitae, & collectoris Capitularium Hadrianorum ſinceritatem; unde certum fiat, eadem illa Capitularia jam ante Iſidori Decretales in Gallia innotuiſſe, nec ulla fraudis ſuſpicione laboraſſe. Idem & Petrus de Marca judicavit *), dum ait, *iſidorum hisce Capitulis uſum in adornanda ſua collectione*

*) Conc. Lib. 7, Cap. 2.

ne epiſtolarum apogrypharum. Quodſi hoc ita eſt; quomodo Iſidorus deceptor? An autem revera Hadriani Capitulorum collectio tempore ſit prior illa Decretalium Iſidori hoc loco non opus eſt, ut diſcutiatur. Sufficit oſtendiſſe, utramque collectionem non mala arte, ſed ſincero ſtudio fuiſſe confectam.

§. 28.

Quod ſumma rei eſt, Capitula illa Hadriana jam a ſua origine ubique per Gallias nota, ſumma etiam veneratione univerſim, ſi forte Hincmarum Rhemenſem in propria cauſſa excipias, recepta fuerunt. Epiſcopi eadem ſibi, & Eccleſiis ſuis pro lege obſervanda propoſuerunt, uti Hincmarus Laudunenſis, cujus in codice S. Mariæ Virdunenſis exſtat hujusmodi Profeſſio. „Hincmarus Deo miſerante Eccleſiæ Laudunenſis Epiſcopus „his ſanctorum Apoſtolicæ Sedis Patrum decretis obtemperandum ſubſcripſi. Qui quoque mihi authore commiſſi ſunt, & in his ſimiliter ſentiunt, „ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis, hac mecum pace potiantur. Si vero aliqui ſecus nolentes fieri ſocii hujus diſciplinæ: nec habeantur participes communionis noſtræ. Actum Lauduno VIII Idus Julias." Tanta fuit horum Capitulorum dignitas, ut etiam frequenter deſcripta fuerint in Regum Francorum Capitularibus teſtante id eximiæ eruditionis Antonio Auguſtino, & fatente Petro de Marca. Si dicas poſt obitum Hadriani, & Engilramni ſolo illorum nomine deceptos fuiſſe Galliæ Epiſcopos, & Doctores univerſos, ut Capitulis fraude recentiſſima confictis, & antiquam diſciplinam, nec non & jura epiſcopalia divinitus inſtituta evertentibus cæcum præſtarent aſſenſum, quin illorum fundamenta vel in ſcriniis ſuis diſcuterent, vel publicis ex documentis perſpecta haberent; non homines, ſed anſeres in terra tunc extitiſſe affirmes, neceſſe eſt.

§. 29.

Non ſolum autem inſcitia, ſed jam non diſſimulanda amplius cordis malitia illi peccant Pſeudocritici hodierni, qui in tanto periculo perdendæ fidei catholicæ, in quo nunc noſtra Germania verſatur, perſuadere incautis ſtudent, malitioſo conſilio ad amplificandam ultra nativos limites, & Synodis provincialibus anteponendam apoſtolicæ Sedis authoritatem illas decretales priſcorum Pontificum epiſtolas fuiſſe confictas a quodam falſario, ſeu Franco, Germano, ſeu Romano, prout contra omnium ante ſe ſenſum, nullo prorſus ex fundamento, niſi malignæ ſolum ſuſpicionis, Febronius ipſo Calviniſta Blondello iniquior calumniabatur. Mentis ſuæ propoſitum Iſidorus, quisquis demum fuerit, haud celandi rationem habebat, ſed aperta fronte ita *in Præfatione* ſcripſit: „Quatenus eccleſiaſtici ordinis diſciplina

„in unum a nobis coacta, atque digeſta, & ſancti Præſules paternis inſti-„tuantur regulis, & obedientes Eccleſiæ miniſtri, vel populi ſpiritualibus „imbuantur exemplis, & non malorum hominum pravitatibus decipiantur. „*NB.* Multi enim pravitate, & cupiditate depreſſi accuſantes Sacerdotes „oppreſſerunt.“ Tum multis in eos, & acriter invehitur, qui Epiſcopos accuſare audent, *ut ſe per illos excuſent, vel eorum bonis ditentur*, illudque maxime urget, quod certe juſtiſſimum eſt, non poſſe Epiſcopos cogi ad dicendam cauſſam, ſi fuerint rebus ſuis ſpoliati, vel gradu dejecti, ſuave a Sede pulſi, niſi prius reſtituti fuerint; additque nonnulla de accuſatoribus, & accuſationibus rejiciendis. Cum ergo apoſtolicæ Sedis authoritatem prædicat, eo omnia refert, ut Epiſcopi, ſi ſe accuſationibus, ſeu judiciis gravatos ſentiant, ad illam confugiant ſupremam Cathedram, quæ Synodorum ſententias retractare, irritasque reddere poſſit; quibus omnibus palam ſignificat, ſe non in romani Pontificis, ſed unice in Epiſcoporum gratiam ſuam formaſſe Collectionem. Neque id ignorarunt tunc Epiſcopi, magna veneratione hæc decreta amplexi, neque hodiedum poſſunt ignorare, quibuscunque artibus Curialiſtæ Metropolitani fucum facere allaborent.

§. 30.

Pontifices vero romani, prout ad fulciendam ſuæ Poteſtatis plenitudinem, quippe divino jure, omniumque ſeculorum poſſeſſione ſatis tutam nullis indigent commentitiis, vel artificioſis fulcris; ita jam inde ab initio tardiores ſe, imo & alienos exhibebant, quoad publicam authoritatem documentis hujusmodi obſcuræ, ac dubiæ originis impertiendam. Sic Hadrianus I a. 784 Carolo M. tantum Canonum conciliarium, vel ad ſummum, ut multis videtur, Dionyſii Exigui Collectionem dono dedit: alteram illam Hadrianam de a. 785 vel ſolum approbavit ab Engelramno oblatam, vel pro inſtructione obtulit preſſi Epiſcopi precibus impetratam. Sed neque a. 849 Decretalibus, & Capitulis per Galliam, ac Germaniam civitate jam donatis aliam ab illa Dionyſiana Collectionem Eccleſia romana pro jure publico adhibuit. Sic Leo IV ad conſulta Epiſcoporum Brittaniæ reſcripſit: „De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem ju-„dicare, & SS. Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, „id eſt, quæ habentur apud nos ſimul cum Canonibus. Quibus autem in „omnibus eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt Canones Apoſtolorum, Conci-„liorum — & cum illis regulæ Præſulum romanorum, Sylveſtri, Siricii, „Innocentii, Zoſimi, Cœleſtini, Leonis, Gelaſii, Hilarii, Symmachi, Hor-„miſdæ, Simplicii, & Gregorii junioris. Iſti omnium ſunt, & per quos „judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicantur & Clerici.“ Hæc epiſtola exſtat Tom. 3 Conc. gallic.

Digitized by Google

§. 31.

Ipſe ſanctus Pontifex Nicolaus I ſuprema ſua jura non aliis, quam certo genuinis decretis vindicavit, ut Innocentii I, Gregorii M. & Concilii Sardicenſis: minime autem vim aliquam ad recipiendas Iſidori Decretales, quod multi falſo garriunt, Eccleſiæ gallicanæ intulit, tantum inanem Gallorum cauſſationem redarguit, quod decretales illæ epiſtolæ in ſuo Canonum codice non reperirentur, quaſi vero alia Pontificum decreta extra codicem obligandi robur ex ſe ipſis non haberent, cum vi ipſorum Canonum omnia apoſtolicæ Sedis Decretalia conſtituta eſſent obſervanda, cum præterea ipſi Galli iisdem Decretalibus, ubi e re ſua eſſe credebant, obſervantiam jam exhibuiſſent. Ita certum eſt Gallos exemplo ſuo præiviſſe pontificiis hujusmodi decretis authoritatem tribuendo, & Febronii meram eſſe impoſturam, qua ſuſpicionem excitare niſus eſt, Iſidori merces ſtudio decipiendi Romae fabricatas fuiſſe.

§. 32.

Tumultuoſos audire clamores, Romanam Matrem Eccleſiam turpi fraude fuiſſe deceptam, vel quod adhuc turpius, ipſam decepiſſe, has, inquam, criminationes ex ore DD. Proteſtantium audire, quippe jam declaratorum hoſtium, res nobis minus inexſpectata, minusque doloroſa, ac quodammodo tolerabilior foret. At enimvero eos, qui nobiscum communi menſa fruuntur, tantis in Matrem debacchari conviciis, ejusdemque in viſcera ſaevire dum videmus; non poſſumus non pro falſis fratribus illos habere, atque iſtorum abhorrere conſortio. — Quaenam denique illa adeo execrabilis fraus ſit ab Iſidoro commiſſa? *Parturiunt montes.* Ampliaverit ille ſuppoſititiis ſuis Decretalibus ſummi Pontificis, & Epiſcoporum authoritatem divinitus inſtitutam; illam vero Metropoliticam, ab hominibus inventam reſtrinxerit! *Mus parvulus exit.* Multane fraude opus erat Romanae Matri Eccleſiae ad id faciendum, quod omni jure, divino aeque ac humano poterat, propter frequentes abuſus arctiores limites ponere Archiepiſcoporum, & Synodorum provincialium authoritati? Quid, quod Iſidorianis Decretalibus nullum jus novum fuerit introductum, ſed eadem decreta ab indubitatis aliis Pontificibus, & Synodis ipſo demonſtrante Blondello jam fuerint inſtituta?? Hinc jam ad alteram Apologiae partem de ipſis rebus adeo aetate noſtra diffamatae Collectionis.

ARTI-

Digitized by Google

ARTICULUS II.

Merces Iſidori non malæ, ſed bonæ; non ſpuriæ, ſed veraces.

§. 1.

Ipſo hoc in limine mihi paritas animo ſubit quotidiano ex commercio deſumta. Nihil apud nos frequentius, quam portatilia videre horologia Pariſienſis vel Londinenſis Authoris nomine inſcripto emtoribus propoſita. Vix erit amplius tam hebes, qui fidem inſcriptioni donet; nemo tamen facile noſtra Teuthonicae licet originis horologia ſpernet, nemo illorum uſum aſpernabitur, ſed quilibet æquus rerum æſtimator dicet, ſufficit mihi rem bonam habere, cujuscumque demum authoris ſit: uſum attendo, originis non ſum curioſus. Dato, qui ſic hodie placet, falſas eſſe ſua inſcriptione illas pontificias epiſtolas, quis Catholicorum illarum internum pretium inficiari audeat, quas Eccleſia Dei per plura ſecula ſuo uſu ac veneratione dignas æſtimavit? Quod univerſa probavit Eccleſia, id vituperare, Auguſtino teſte, inſolentiſſima eſt inſania. Neque etiam ſpuriæ, ſed potius veraces ſunt Iſidori merces, hoc eſt, veracia continent ſaltem inde a quarto ſeculo, ac ſubſequentibus Pontificum ac Conciliorum decreta, quod ſingillatim contra injuſtas Febronii criminationes ex libro jam ſæpius in decurſu hujus operis laudato *) nunc adhuc ſum demonſtraturus.

§. 2.

In genere quidem Febroniani non ceſſant ſtrepentibus vocibus declamare contra Monarchiam ſummi Pontificis, ejusdemque in Epiſcopos *Dominatum* **), quaſi unico, eoque labili prorſus fictitiarum Decretalium fundamento Petri ſacer Primatus inniteretur. Nos vero in ſecunda hujus libri parte de *Monarchia eccleſiaſtica*, & in parte tertia de ſuapte natura influentibus Corollariis catholici dogmatis veritatem derivatam oſtendimus ex longe purioribus, quam Iſidoriani ſint, fontibus divinæ potiſſimum inſtitutionis, tum vere & venerandæ priſtinorum ſeculorum traditionis, nec non *practicæ* etiam obſervantiæ. Attamen quod ante me Viri peritiſſimi jam obſervarunt, iidem ipſi, certe genuini, fontes ſunt, ex quibus ſuas Iſidorus aquas hauſerat. Ex caſtris adverſariorum præcipuus Dux Petrus de Marca de illius Decretalibus ait ***): „Sententiis & verbis legum, canonum

*) Rom. Pontif. ſumma Authoritas. Faventiæ. 1779.

**) Vox iſta *Dominatus* uſurpatur ad invidiam ſummo Paſtori conflandam. An num Epiſcopi in Clerum, populumque non dominantur? Nonne id etiam merito, ſi dominari idem eſt, ac regere, ſeu paſcere ? ?

***) Conc. Lib. 3, Cap. 5.

„num antiquorum, & SS. Patrum, qui IV & V ſeculo floruerunt, ſi pau-„ca demas, concinnatas eſſe conſtat.“ Splendidius adhuc, ac demonſtrativum eſt ex ore inimici Blondelli teſtimonium, quo meridiana in luce conſpiciendas dedit Iſidori ſententias cum antiquis SS. Pontificum, Patrum, Conciliorum, aliorumque veterum documentorum ſententiis verbotenus conſpirantes. *Tua Deus ſalus ex inimicis!* Quamobrem cum Febroniani ad priora octo Eccleſiæ ſecula audacter provocent, tunc puram & interruptam adhuc viguiſſe diſciplinam ſalvis Epiſcoporum, & Synodorum juribus contendentes; haud ſane illorum injuria id aſſumimus, propriisque armis adverſus illos dimicamus, ex genuinis quarti & quinti maxime ſeculi documentis ſingillatim oſtendentes, eadem diſciplinæ puncta jam tunc temporis fuiſſe inſtituta, atque etiam uſitata. Ad rem!

§. 3.

Imo Febronius improbat Romanum Pontificem dici *univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum*; quia ſic appellatur in falſis epiſtolis Xyſti, Victoris, Pontiani, Stephani *). Verum nonne vel Tertulliano teſte **) Romanus Pontifex *Epiſcopus Epiſcoporum* vocabatur? Præterea in Concilio œcumenico Chalcedonenſi lecti ſunt libelli ſupplices Leoni I oblati a Clericis Alexandrinis, qui eum *Patriarcham univerſalem* ſalutant. Ipſum Concilium Papam nominat *Patrem, & Caput Eccleſiæ, cui Chriſtus vineæ ſuæ curam commiſit.* Archimandritæ Syriæ II numero plus quam 180 in epiſtola ad Hormiſdam ita præfantur: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo univerſæ orbis terræ Patriarchæ.* Eodem ſeculo ſexto Archimandritæ, & Monachi Conſtantinopolis, Hyeroſolymorum, & Orientis numero circiter 100 S. Agapyto ſic ſcribunt: *Sanctiſſimo, & Beatiſſimo antiquæ Romæ, & univerſali Patriarchæ.* Conſtantinus Pogonatus in ſua ſacra ad Donum P. miſſa anno 668 hunc poſuit titulum: *Dono Archiepiſcopo antiquæ Romæ, & univerſali Papæ.* Quid ergo Iſidorus peccavit? aut quam falſam mercem fabricavit?

§. 4.

IIdo Febronius indignatur, majores ac difficiliores cauſſas ad Sedem Apoſtolicam eſſe referendas, eoquod falſis Anacleti & Marcelli decretalibus id fuerit introductum. Sed jam Blondellus annotavit, hæc ipſa decreta ab Innocentio I, Leone M., & Vigilio eſſe deſumta. Petrus de Marca pluribus probat penes Romanum Pontificem jus eſſe judicandi ſive de cauſſis majo-

*) De Statu Eccleſ. Cap. 8, §. 2.

**) De Pudicitia. Cap.

Digitized by Google

majoribus, ſive etiam de Epiſcopis, ita concludens *): *Nibil in cauſſis fidei, aut de regulis generalibus definiri poterat absque ſententia Romani Pontificis.* Id certe decernunt plurimæ Pontificum epiſtolæ nullo *Mercatoris* mungonio fucatæ, ut Julii I ad Orientales, Innocentii I ad Victric., Zoſimi ad Epiſc. Gall., Xyſti III ad Illyricos, S. Leonis item ad Epiſc. Illyr., S. Hilarii ad Metropolit. Galliæ, Vigilii ad Auſanium Arelatenſem, Gregorii M. ad Joannem Lariſſæum: quæ ſingula fere a nobis fuſius expoſita toto Coroll. II.

§. 5.

IIItio Singulariter Febronio diſplicet cauſſas Epiſcoporum romanæ Sedi eſſe reſervatas ex Pſeudo-Epiſtolis Xyſti I, Aniceti, Victoris, Zephirini, Marcelli. Verumtamen præter jam allata a nobis exempla ſunt multa alia hic breviſſime commemoranda: S Epiphanius teſtatur de Urſatio, & Valente, etſi Arianis Epiſcopis, eos tamen ſimulata pœnitentia coram Julio ſtetiſſe **): „Urſatius & Valens pœnitentiam agentes unacum libellis „profecti ſunt ad Julium romanum Epiſcopum pro ratione reddenda de „ſuo errore, ac delicto.“ Sozomenus narrat hunc Pontificem ſuæ Sedis authoritate in priſtinum gradum reſtituiſſe Athanaſium Alexandrinum, & Paulum Conſtantinopolitanum ***): „Cum propter Sedis propriæ dignita„tem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis Eccleſiam ſuam reſtituit.“ S. Baſilius Damaſo ſcripſit poſtulans ab eo, ut ſuam cauſſam cognoſcat, & judicet, prout ipſe teſtatur ****): „Viſum eſt conſentaneum ſcribere ad „Epiſcopum romanum, ut videat res noſtras, & judicii ſui decretum in„terponat.“ Idem de ſe etiam præſtitit Athanaſius: item Joannes Chryſoſtomus apud Innocentium I. Sanctus Pontifex Leo judicavit S. Hilarium Arelatenſem, & Chelidonium Veſonſienſem. S. Gregorius, quo teſtante Petro de Marca, *nemo peritior fuit jurium Sedis apoſtolicæ*, cauſſam ſuſcepit Andreæ Epiſcopi Thebani, aliam quoque cujusdam Epiſcopi Epidauriæ, Joannes III ſententiam dixit in cauſſa Salonii Epiſcopi Ebredunenſis, & Sagittarii Veſprienſis, ut eſt apud Gregorium Turonenſem *****). Aliquando etiam Pontifices romani cauſſas epiſcopales aliis Epiſcopis, vel Concilio provinciali *NB. tanquam delegato judici* demandabant. Sic Bonifacius I dicit ſe conſtituiſſe, Maximum Valentinum Epiſcopum in Synodo Provinciæ eſſe judicandum ******): „A deceſſoribus meis provinciali delegata co„gnitione — dilationem quidem dedimus, & decrevimus veſtrum intra „pro-

*) Conc. Lib. 7, Cap. 6.
**) Hæreſ. 68.
***) Hiſt. Lib. 3, Cap. 7.
****) Epiſt. 52 ad Athanaſ.
*****) Hiſt. Lib. 5, Cap. 20.
******) Epiſt. ad Epiſc. Gall.

„provinciam debere eſſe judicium, & congregari Synodum. — Quidquid „autem veſtra Charitas de hac cauſſa decernendum eſſe duxerit, cum ad „nos relatum fuerit, noſtra ut condecet, neceſſe eſt authoritate firmetur.“ Cœleſtinus cauſſam Epiſcopi Maſſilienſis commiſit Epiſcopis Provinciæ Narbonenſis II, & finitimæ Viennenſis, *Veſtro eum audiendum Collegio delegamus* *). Gregorius M. Joannem romanæ Eccleſiæ Defenſorem in Hiſpaniam ablegavit cum ſumma poteſtate judicandi cauſſas Stephani, & Januarii Epiſcoporum in Synodis Provinciæ depoſitorum, ita ut ſolus definitivo decreto cognoſcere poſſet de appellatione, & confirmare eorum depoſitionem, vel eos reſtituere. Hilarius quoque Leontio Arelatenſi Epiſcopo delegavit ſollicitudinem coercendi præſumtionem Mamerti Metropolitani Viennenſis, reſervans tamen Sedi apoſtolicæ judicium, poſtquam Leontii relationem accepiſſet. Infinitus propemodum eſſe deberem, ſi acta omnia romanorum Pontificum in cauſſis Epiſcoporum recenſere vellem. Quam maxime mirandum eſt, Febronium ex tot, tantisque factis oppido notoriis cuncta diſſimulaſſe: tam craſſa ignorantia in iſto viro eſſe vix potuit.

§. 6.

IVto Febronius in illis decretalibus epiſtolis redarguit, quod Pontificibus jus convocandi Concilia contulerint, ita ut ne Provincialia quidem ſine romani Epiſcopi authoritate congregari poſſent ex Pſeudoepiſtola Damaſi ad Stephanum Archiepiſcopum, cum tamen certo conſtet (ipſo quidem aſſerente) priora octo Concilia œcumenica ab Imperatoribus eſſe convocata, *quædam etiam invito Pontifice*. Nos autem jam ſupra Coroll. II demonſtravimus, nunquam in primitiva Eccleſia ſine romani Pontificis conſulto, & authoritate res quascumque graviores aut ſuſceptas, aut executioni datas fuiſſe. Quod ſi ad graviores Eccleſiæ cauſſas provincialis Synodi celebratio pertineat, uti revera nemine dubitante pertinet, tam antiqua diſciplinæ obſervantia, quam ipſius adeo Primatus a Chriſto inſtituti ratio exigunt, ut non ſine Capitis præſcitu, & conſenſu tam magni momenti res ſuſcipiatur. Animadverſione inſuper dignum eſt, quod Febronius de octo prioribus Conciliis œcumenicis ſcripſit, ea convocandi jus non Pontifici, ſed potius Imperatoribus aſſerens, quo ſuo mundi Principibus placendi ſtudio ſatis prodidit, non ſibi animum fuiſſe, ut Eccleſiæ & Epiſcoporum ſacra jura defenderet, ſed tantum ut pontificia jura etiamſi cum præjudicio ipſius Eccleſiæ peſſumdaret. Enimvero Novatorum aſſenſu conceditur,

 Syno-

*) Epiſt. 2 ad Epiſc. Vien. & Narbon.

Digitized by Google

Synodos diœceſanas convocare ad Epiſcopum, Provinciales ad Metropolitanum, Nationales ad Primatem, ſeu Patriarcham jure ordinario pertinere; nonne vel naturalis æquitas concludere deberet, ergo univerſale Concilium convocandi jus ſummo Pontifici proprium eſt? Si operæ pretium foret, levi brachio poſſem evincere, priora octo Concilia ſic ab Imperatoribus fuiſſe convocata, ut non ſine conſenſu, quin & deſiderio ſummorum Pontificum. Cum enim gratia Dei dignos effecit terræ Principes, qui in ſinum ſanctæ Eccleſiæ reciperentur; hi ſuo officio ſe judicarunt obſtrictos, ut qua poſſent ope terreſtri, & externa Dei Eccleſiam adjuvarent, ſalvis ejusdem ſacris, & propriis juribus. Hincmarus Rhemenſis optime id perſpectum habuit, cum ſcriberet *), *Concilia apoſtolicæ Sedis juſſione & imperiali convocatione ſemper olim fieri conſueviſſe.* Deleat vero Febronius, quod atra bile, falſoque ſcripſit, atque etiam Commentario in ſuam Retractationem nondum expunxit, antiquitus Concilia ab Imperatoribus convocata, *quadam etiam invito Pontifice.* Quomodo univerſale ſit Concilium ſanctam Dei Eccleſiam repræſentans, quod ſine conſenſu ſui legitimi, a Chriſto præpoſiti Capitis tantum foret corpus *ἀκεφαλον, και σχισματικον*? —

§. 7.

Vto Febronium offendit Conciliorum confirmatio, quam Romanis Epiſcopis demandari putat per falſas Marcelli, & Julii I epiſtolas: hinc etiam ab Iſidoro deceptos judicat Cardinales Concilii Tridentini Interpretes, qui canonem Seſs. 24 de celebrandis Epiſcoporum Synodis ita declararunt: *Quæ in Conciliis provincialibus conduntur, publicari non debent inconſulto Pontifice.* At profecto priſtina tempora rubore ſuffundunt noſtros Febronianos: tunc enim in Synodis nihil attentatum, quod non ab ipſis Epiſcopis fideliter, ac ſponte ſua ad Apoſtolicam Petri Cathedram fuiſſet relatum. Ita præſertim Africanæ Synodi jam ævo S. Cypriani inſigna ſunt exempla poſterorum memoria, nec non & imitatione digniſſima. Non certe moleſta hodie Epiſcopis foret Synodorum confirmatio Pontifici reſervata, ſi primorum temporum exemplo parati eſſent proprio motu ſua geſta cum ſancta Sede, & Matre Eccleſia communicare. Merito ſuſpecta res eſt, ſi Paſtores particulares, & ſubordinati Capitis ſui, & ſummi Paſtoris conſcientiam metuunt, refugiuntque. Fallebatur autem Febronius, dum epiſtolæ Julii I ad Orientales ſummarium judicavit Iſidori ſpurium fœtum: eſt enim illa certe genuina epiſtola, quam S. Athanaſius Apolog. 2 memorat,

*) Epiſt. 33.

morat, qua julius Euſebianis exprobrat, quod non conſulta prius *NB. ſecundum conſuetudinem* ſanctæ Sedis authoritate in Conciliis definire auſi fuiſſent. Notum eſt in Synodo Sardicenſi id quoque fuiſſe ſtatutum: ſic enim eadem Synodus ad Julium anno 347 ſcripſit: *Hoc optimum, & valde congruentiſſimum judicabitur, ſi ad Caput, id eſt, ad Petri Sedem de ſingulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes.* Hinc antiqua fuit regula Socrate, Sozomeno, & Theodoreto teſtibus, *ne absque ſententia Romani Epiſcopi decreta Eccleſiis ſanciantur.* Nullatenus ergo falſis decretalibus decepti Cardinales, ſed Canones priſcæ Eccleſiæ ſecuti decretum Concilii Tridentini *de Conciliis provincialibus a Papa confirmandis* interpretati ſunt. Generalium etiam Conciliorum confirmationem a ſummo Pontifice ſemper fuiſſe petitam, & obtentam res eſt hiſtoriæ eccleſiaſticæ peritis exploratiſſima, ut adeo obſervante Thomaſſino vel tyronibus pateat, in octo primis œcumenicis Conciliis Authoritatem, Imperiumque ſacrum Romani Pontificis ubique perſonaſſe, ac plene emicuiſſe, *omnia nutu & imperio Romanæ Sedis actitata fuiſſe.* Vide, quæ in ſpecie de Conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi diximus contra Pſeudo-Boſſuetum Appendice ad Partem III.

§. 8.

VIto Febronius ægre fert translationem Epiſcopi ab una Sede ad aliam inter jura Romani Pontificis numerari ex epiſtola, quam Antero P. ſuppoſitam non probat, ſed ſupponit. Verum in hoc multo magis Febronii fides claudicat, cum ait *), ante Innocentium III, hoc eſt, ante duodecimi ſeculi finem nullum adeſſe exemplum translationis Epiſcoporum per Pontificem factæ. Quinto ſeculo Perigenes a Sede Patriæ ad Metropoliticam Corinthiam translatus eſt Bonifacii I authoritate. Prochus antea Epiſcopus Cizicenus translatus eſt ad Eccleſiam Conſtantinopolitanam ex Cœleſtini P. diſpenſatione. Felix III motu proprio juſſit, ut Joannes Talaja Sedem Alexandrinam relinqueret, & ad Nolanam ſe transferret teſte Liberato **). S. Gregorius, qui ultra quinque ſecula Innocentium præceſſerat, prout ex variis ejusdem epiſtolis elucet, plurimas ſtatuit translationes, uti Martini a Tanata in Corſica Savonam, Joannis a Liſſo in Illyrico Scyllacæum in Calabria, Paulini e Taurìſio in Aſia, Lipari in Sicilia, Joannis e Veliterno in Arenatim: & ſic de aliis Sedibus exempla occurrunt. Facta iſta in omnium oculis poſita vel erant Febronio ignota? vel cognita?? Neutrum Febronianis honeſtum.

*) De Stat. Cap. 6, §. 6. **) Breviar. Cap. 18.

Digitized by Google

§. 9.

VIImo Non ſolum Febronius, ſed quotquot poſt Petrum de Marca, Baluzium, Vaneſpenium, aliosque jam numero plurimi ſanctæ Apoſtolicæ Sedis jura iniquius lacerarunt, omnes eo maxime decretales Iſidori epiſtolas infeſtarunt, ut jus appellationum ex univerſo orbe ſuſcipiendarum Romano Pontifici abriperent ſub ſpecioſo prætextu, novum eſſe hoc jus, antiquis canonibus contrarium, & fictis tantum Xyſti, Zephyrini, Fabiani, ac aliorum Pontificum epiſtolis introductum. Nos vero contra hos plerosque jam non catholice ſentientes, uti antea Chriſtianus Lupus contra Marcum Antonium de Dominis, hoc ipſum jus appellationum tamquam in Primatu divinitus inſtituto comprehenſum, hinc a quolibet Catholico neceſſario admittendum, toto Corollario IV vindicavimus, ubi data laborioſiſſima opera, nimirum pro tantæ rei gravitate ex documentis certe authenticis per omnia retro ſecula Orientalis æque, ac Occidentalis Eccleſiæ obſervantiam dedimus manifeſta in luce conſpiciendam. Quo præcipuo totius controverſiæ de Iſidorianis decretalibus puncto rem omnem eſſe confectam credimus, atque evidenter demonſtratum, falſam non ſolum, ſed & ſumme iniquam eſſe catholicæ Eccleſiæ accuſationem, quod fraudibus ſeſe irretiri permiſerit, ſuamque priſtinam & puram regiminis diſciplinam recentiori ævo per fictitias Iſidori epiſtolas immutari, ac vitiari. Attendant junioris noſtri juris eccleſiaſtici Candidati, quo demum prætenſa falſitas Iſidori Decretalium, & tam clamoroſa illarum criminatio tendant, rem ſcilicet non jam inter diſciplinæ variabilis limites contineri, ſed ipſum dogma catholicum de jure, eoque admodum *practico* divinitus inſtituti Primatus in diſcrimen vocari.

§. 10.

VIIIvo Sed & diſpenſationem Pallii, quod Metropolitanis a romanis Pontificibus antiquo more conceditur, improbat Febronius, eumque in finem Pelagii I a. 555 ad apoſtolicam Cathedram evecti decretum tamquam *ex Iſidoriano promtuario* profert, quo Pontifex declarat: „Ut quisquis Metropolitanus „ultra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam, Palliumque ſuſcipiendum ad apoſtolicam Sedem non miſerit, commiſſa ſibi „careat dignitate" *). Noluit hic animadvertere Febronius pœnam intentatam eo potiſſimum tendere, ut Metropolitani ſuam fidem profiterentur. Jam vero ſola Pallii collatio eum offendit. Miſſa quæſtione, an illa præciſe ad Vigi-

*) Epiſt. 1 ad Vigilium.

Digitized by Google

Vigilium epiſtola ſit genuina, hujus Pontificis aliæ extant certe germanæ, nullaque ſuppoſitionis macula fœdatæ epiſtolæ, queis idem Pontifex jure ſuo, & deceſſorum ſuorum exemplo diſpenſaſſe Pallium cognoſcitur. Quomodo id juris Pelagius ſibi vindicaverit ex falſis Iſidori mercibus, qui hunc duobus & amplius ſeculis præceſſit? Ipſe Baluzius confitetur *), a Pelagio honorum Pallii unacum Vicariatu delatum fuiſſe Sepaudo Arelatenſi anno 556 ad ejusdem, & Childeberti Regis Gallorum inſtantiam. Non ergo niſi maligno conviciandi animo aſſeri a Novatoribus poteſt, ambitionibus pruritum Pontificibus dediſſe cauſſam Pallii diſpenſandi. Hac de re eximium habemus monumentum S. Bonifacii Epiſcopi Moguntini, qui a. 742 Concilium germanicum celebravit interventu Carlomanni, & Optimatum Regni Francorum, in quo inter alia hoc ſtatutum legimus **): „Decrevimus „autem in noſtro ſynodali Conventu, & confeſſi ſumus fidem catholicam, „& unitatem, & ſubjectionem romanæ Eccleſiæ finetenus vitæ noſtræ velle „ſervare, ſancto Petro & Vicario ejus velle ſubjici, Synodum per omnes „annos congregare, Metropolitanos pallia ab illa Sede quærere, & per om„nia præcepta Petri canonice ſequi deſiderare, ut inter oves ſibi commen„datas numeremur. Et iſti confeſſioni univerſi conſenſimus, & ſubſcripſi„mus, & ad corpus S. Petri Principis Apoſtolorum direximus." Audiant attente Febroniani, Epiſcopos Germaniæ ſynodaliter congregatos cum S. Bonifacio honoris loco habuiſſe Pallium pro ſuis Metropolitanis a Papa quærere, præcepta Petri ſequi, & inter oves romani Paſtoris adſcribi.

§. 11.

IXno Denique Febronius ſuſtinere non poteſt clauſulam illam Pontificibus familiarem, quippe ipſius judicio ex Pſeudo-Epiſtolis Pii, & Fabiani deſumtam: *Salva in omnibus apoſtolica Sedis authoritate.* At nonne haec eadem, aut ſimilia a ſanctis Pontificibus longe ante tempora Iſidori dicta, & publicata ſunt? nonne in genuinis certe epiſtolis occurrunt apud Cœleſtinum, Leonem, Hilarium, Symmachum, Hormiſdam, Gregorium M., qui pro tuendis pontificiis juribus ſtrenue ſteterunt, neque tamen ad eadem tuenda falſis documentis indiguerunt? Cum Siricius Simplicius Bonifacius, Xyſtus III, Leo, Hormiſda Vicarios ſuos in variis regionibus conſtituerunt, praecipuam ſibi authoritatem ſemper reſervabant, omnia diligenter ad ipſos referri jubebant, cauſſarum difficilium deciſionem apud ſe fieri volebant, alios omnes in partem ſollicitudinis, ſe vero ſolos in plenitudi-

*) Supplem. ad Lib. 5. Pet. de Marca Cap. 38, n. 4.
**) Collect. Labbe. Tom. 8. Col. 281.

tudinem poteſtatis vocatos eſſe, nemine tunc reclamante, ſed unanimi omnium conſenſu profitebantur. Dignum ſt hoc loco ſingulariter rememorari ſolum Gelaſii P. aſſertum *): „Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligati Pontificum Sedes B. Petri Apoſtoli jus „habeat reſolvendi, utpote quae de omni Eccleſia fas habeat judicandi, ne„que cuiquam de ejus liceat judicare judicio: ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerint, ab illa autem nemo ſit ap„pellare permiſſus." Si hoc unicum Seculi V ſupereſſet teſtimonium; cauſſa Febronii, ſuorumque aſſeclarum omnium jam perdita foret.

§. 12.

Haec igitur ſingula ſunt, & omnia criminationum capita adverſus diffamatas adeo noſtra aetate Iſidori epiſtolas. Filii hominum juſta judicate! ſi plane nova forent, & incognita prorſus antiquis haec decreta, juſtumne propterea vel Acharonta moveri? — Quid vero cum ad evidentiam usque demonſtratum ſit, ea pluribus ſeculis, queis ſancta viguit Eccleſiae diſciplina, ante Iſidorum jam extitiſſe, & ſanctis certe viris ſuam originem debere?? Nonne proprio ore adverſus ſe ipſum ſententiam edixit Febronius ita ſcribens **): *Si in hoc erro „fateor me ſcripſiſſe totam errorum congeriem?* Tam monſtroſa errorum congeries jam non ſemel, ſed, ſaepe, & a multis publica in luce detecta, jamque ab ipſis Germaniae Archiepiſcopis ante paucos annos condemnata, ut noſtris diebus tot aſſeclas invenerit, ſanctae apoſtolicae Sedis coviciatores, qui fieri potuiſſe credas, niſi quo ducantur errorum, contentionum, diſſidiorum, & inimicitiarum ſpiritu, qui idem eſt carnis ſpiritus, ſatis manifeſtarent?

§. 13.

Dato etiam, ſeu nimium liberaliter contra rei veritatem adverſariis permiſſo, quod volunt, per decretales Iſidori epiſtolas novam omnino, ac veteribus incognitam regiminis, ſive judiciorum formam in Eccleſia fuiſſe introductam; jamne propterea corruptela foret haec diſciplinae externae, ſeu juris eccleſiaſtici immutatio? Ea diſciplinae natura eſt, qua ſe a divina fidei morumque regula, eaque immutabili diſcernit, ut pro varia temporum, & adjunctorum ratione mutari, ac innovari poſſit. *Vetuſtis Eccleſiae* ſeculis vigebat diſciplina canonibus praeſcripta illi temporì accommodatis: hisce tunc jus vetus conſtabat omnino obſervandum, niſi juſta de cauſſa,

*) Epiſt. 13. ad Epiſc. Dardan.

**) Cap. 8, §. 2.

Digitized by Google

cauſſa, & quod praecipuum, ab authoritate legitima pro temporum viciſſitudine abrogatio, vel immutatio facta fuerit. Quodſi contigerit neceſſitate, vel utilitate publica exigente, poſterius licet, modo tamen a legitima poteſtate praeſcriptum jus, verum firmumque eſt: atque etiam, ſi forſitan apogryphis, falsisve ex documentis originem traxiſſe, non idcirco jus falſum foret; ſuam enim legalem vim & authoritatem non praeciſe ab hiſtorico facto, ſed ab authentica Poteſtatis ſuperioris inſtitutione accepit. Hanc ſi neges veritatem oppido claram, ac pertinaciter pergas erroris graviſſimi, ac corruptelae ad perniciem uſque contagioſae dicam impingere œcumenicis non ſolum Conciliis, verum etiam univerſali per orbem diffuſae Eccleſiae, a quibus haec ipſa decreta, licet forſitan *hiſtorice* falſa, *legalem* authoritatem nacta ſunt; nos quidem tuis dicteriis nec latum unguem ab Eccleſiae Catholicae authoritate dimovebis, tu vero jam palam noſtri in fide catholica fratris titulo, ac juri renuncias.

§. 14.

Non veritatis, ſed contentionis ſtudio a Febronianis repetitur illud Vincentii Lerinenſis aureum dictum, „hoc eſſe catholicum, quod ſemper, „quod ubique ſervatum; antiquitatis religionem novitatis profanitati antepo„nendam.“ De materiis fidei & morum ad immutabile jus divinum pertinentibus generale hoc eſt, firmiſſimumque principium: ſecus ſi de juribus externis pro temporum, locorum, circumſtantiarum varietate mutabilibus. Neque plus roboris habet, quod plerique cum Febronio ad nauſeam uſque oggerunt, „de divinis, non alterandis agi Epiſcoporum juribus, quos „Deus poſuit Eccleſiam regere; nullam ergo Romanis prodeſſe præſcrip„tionem, ceſſionem, conſuetudinem, poſſeſſionem, aut quamcumque homi„num conventionem.“ Falſum eſſe demonſtravimus, ab Iſidoro epiſcopalem fuiſſe reſtrictam poteſtatem, ſed ille dumtaxat intentus erat Metropolitanum exceſſibus reſtringendis ad Epiſcoporum favorem, quibus proin tam accepta fuit hæc ipſa decretalium collectio. Verumtamen & hoc largiamur; idem Dominus N. J. C., qui in Apoſtolis Epiſcopos inſtituit, ut ſuam Eccleſiam regerent, omnibus unum Caput præfecit Petrum, qui regeret univerſos: ea ergo, quæ in Epiſcopis eſt, regendi poteſtas non independens, ſed Petri ſubordinata regimini eſt, vel amplianda ſuo in exercitio, vel coarctanda, prout pro majore fidelium bono expediens videatur ſummo totius gregis Paſtori: *Simon! paſce oves meas.* Quodſi quoad uſum, & exercitium ipſa poteſtatis plenitudo in ſummo Pontifice certos intra limites conſtringi per pacta, & concordata poteſt, uti noſtra Germaniæ

 teſtan-

Digitized by Google

teſtantur; quidni illa Epiſcoporum poſſit, ſua ab origine jam per ipſos Apoſtolos limitata, atque etiamnum certe per Archiepiſcopos reſtricta *)? Si arctiores a ſummo Pontifice nunc poſiti ſunt limites, quam olim, Epiſcoporum poteſtati; quid inde æquo judicio concludas, niſi eam eſſe noſtrorum temporum neceſſitatem, quæ ab illa apoſtolica Petri Cathedra, ceu totius fundamento Eccleſiæ arctiorem exigat dependentiam?

§. 15.

Sed novi hujus juris, ut ajunt, abuſus ſint, qui tantos excitarint clamores. Abuſus quidem, qui hodie defendat, ſcio Catholicorum neminem: *tolerantiam* vero circa ipſos poteſtatis abuſus, ſive melius *patientiam, atque obedientiam* erga Superiores etiam diſcolos præcipit S. Apoſtolus. Semper difficile eſt hominibus ſubeſſe: ea tamen neceſſitas eſt ab illo nobis injuncta, qui homines ſuper capita noſtra impoſuit. Ceterum præſumtio vel in dubiis caſibus ſtat pro legitimo Superiore. Quid, ſi abuſuum prætextu adverſus archi- vel epiſcopales Curias inſurgerent inferiores Clerici, Laicive? — Quis autem in mundo preſſus unquam fuit, cui æquas, & benevolas aures ſancta Mater romana non præbuerit? — Poſſem hic teſtes provocare Acatholicos, Scriptores æquitatis amantes. Quam belle diverſis in locis apud Zalweinium illuſtris Senkenbergius loquitur? nolim talia ad aliorum confuſionem exſcribere. Tu vero, fidei Frater! caveto, ne novum jus, vel ipſum adeo juris abuſum nomines, quod inde a multis ſeculis ſancta Concilia inſtituerunt, & dilecta Chriſti ſponſa, ſemper Virgo intemerabilis (catholicam hanc eſſe novimus Eccleſiam) tot ſeculorum obſervantia venerabile fecit, non temere amplius violandum.

§. 16.

Non poſſum præterire exemplum ad rem peropportunum, quod ex Eccleſia græca, nullis utique Iſidori præſtigiis faſcinata Petrus Ballerinius affert **). Quid in Oriente circa Conſtantinopolitanæ Sedis prærogativam con-

*) Pone epiſcopalem Poteſtatem nullatenus reſtringi poſſe; atque omnem Archiepiſcoporum jurisdictionem, ipſumque exiſtendi jus ſuſtuliſti.
**) Vindiciæ Author. Pontif. Cap. 5. §. 3.

contigerit, ſatis ex hiſtoria notum eſt. Hujus Epiſcopus ante medium Seculi IV ſimplex adhuc fuerat Metropolitæ Heracleenſis Suffraganeus, nulla jurisdictionis authoritate in alium quempiam Antiſtitem præditus. Imo etiam Canones Nicæni caverant, ut Patriarchis, aliisque Sedibus præcipuis ſua jura integra ſervarentur. Nihilominus cum imperialis Sedes Conſtantinopolin eſſet translata, atque idcirco hæc civitas Romanæ æmula *junior Roma* appellari cœpiſſet; a. 381 in Synodo Conſtantinopolitana hujus Epiſcopo decretus fuit honoris Primatus poſt Romanum ſalvis adhuc cujuscunque juribus. Senſim vero concurrentibus ex toto Oriente ad eam urbem, in qua Imperator reſidebat, pluribus Epiſcopis ob varias cauſſas & occaſiones, facile fuit ibidem Epiſcoporum Synodos congregari, in quibus graviores quæſtiones deciderentur, & ordinationes Epiſcoporum cum conſenſu Metropolitani, & Imperatoris ab ejusdem urbis Antiſtite peragerentur. Ita non ſolum Neſtorius, ſed etiam S. Joannes Chryſoſtomus, Atticus, Siſinius, & S. Proculus, Conſtantinopolitani Præſules de Epiſcoporum cauſſis, & appellationibus ex variis orientalibus provinciis ad ſe delatis paſſim judicarunt, & aliquot Epiſcoporum ordinationes feciſſe leguntur. Hæc certe antiquioris juris immutatio fuerat, quæ *NB.* ſub eo juris titulo invaluit, quod juniori Romæ ad inſtar veteris non ſolum honoris, ſed & jurisdictionis prærogativa competeret, prout colligitur ex Concilio Chalcedonenſi Act. 16, ejusdemque Relatione ad S. Leonem *). Et quamvis romani Pontifices, aliique Archiepiſcopi initio contradixiſſent; uſu tamen & conſuetudine ſenſim nova regiminis forma obtinuit contra antiquum jus Archiepiſcoporum, expreſſo licet Canone Nicæno ſuffultum. Poſthac nemo amplius de jure Conſtantinopolitani Patriarchæ etſi recentiore dubitavit, neque in Concilio Florentino ulla de eo mota eſt quæſtio. Num hodie Februniani quæſitum hoc jus Conſtantinopolis Archiepiſcopo ſupra alios Orientis Epiſcopos contentioſum facere, vel adripere auderent? Quomodo auſint ſe opponere contra jus ſummorum Pontificum, qui univerſalis Primatus privilegio ſupra Epiſcopos, & ſupra uſum, atque exercitium epiſcopalium Facultatum divinæ inſtitutionis poteſtatem, & jus certiſſimum obtinent, nec non in ejusdem juris exercitio diuturna plurium ſeculorum conſuetudine, & Conciliorum etiam generalium approbatione fulciuntur??

*) Hinc confunditur commentum Novatorum romanos Pontifices calumniantium, quaſi ſequioribus primum ſeculis dominandi cupidine jurisdictionis in alios Epiſcopos amplitudinem ſibi arrogaſſent.

Quid reſpondebunt huic non meo, ſed doctiſs. Petri Ballerinii argumento?

§. 17.

Enimvero ſi ex Orientalium ceſſione atque conſenſu Conſtantinopolitanæ Sedi nullo per ſe jure in alienis Diœceſibus gaudenti, ſed inde a priſtino ævo alteri Epiſcopo ſubjectæ, ſenſim tamen accreſcere potuit jus quoddam legitimum, quod neque ſummi Pontifices, neque occidentalis Eccleſia in Concilio Florentino congregata cum Græcis orientalibus ad unitatem redeuntibus, propter inveteratam, & tranquillam poſſeſſionem amplius reſcindendum judicarunt; quidni ſaltem pari æquitate utamur erga apoſtolicam Petri Cathedram, univerſali jurisdictionis Primatu a Chriſto donatam, relinguendo illi ex veteri poſſeſſione, aut quod hodie multis placet, ex voluntaria Epiſcoporum ceſſione eadem Privilegia, quæ Patres noſtri a ſeculis agnovere, & juramenti Sacramento ad huncusque diem obfirmata ſunt? His demum accedit (quod vel coram mundi judicio Febronianam cauſſam proſternit) ſi, ut volunt, priſtinorum temporum jus reſtitueretur, eo ipſo patriarchalia romani Epiſcopi jura pleno in vigore reviviſcere debere, quæ Archiepiſcopos Germaniæ, & univerſim ejus Eccleſias pactis publicis recentiorum temporum multum ſublevatas, arctiori forſitan vinculo Patriarchæ romani dominatui, quam nunc Pontificis ſentiunt, in cauſſis ordinationum, confirmanum, appellationum, viſitationum, ac generatim judiciorum obſtringerent, & graviori jugo ſubjicerent. Neque enim Metropolitani noſtri umquam Patriarchæ, hoc eſt, primi ordinis Archiepiſcopi fuerant, ſed inde a ſua origine ſimplices, ſeu ſecundi ordinis tantum Archiepiſcopi, & ad ſummum ſanctæ apoſtolicæ Sedis Legati, ex cujus gratia traxerunt, quidquid privilegii habent, & Authoritatis in alios Epiſcopatus. Quo incautos rapiunt amplificandæ ſuæ Dignitatis ſtudia, ad majorem ſui humiliationem, confuſionem!!

§. 18.

§. 18.

Quod vero unum eſt omnium maximum, quid coram Chriſti judicis tribunali reſpondebunt ex Febronii ſecta Novatores, qui unius Capitis a Domino inſtituti regimen, ſeu *Monarchicum* antiquitus ab Eccleſia pro fidei dogmate agnitum *) negantes, & obedientiam niſi jam verbo, certe manifeſtis actibus recuſantes, dilectæ Chriſti ſponſæ veſtem unitatis pulcherrimam dilacerantes, eamdemque, quantum in ipſis eſt, propudioſe ad hoſtium ſuorum ludibrium denudantes, divinam inſtitutionem Eccleſiæ profanant, numquam tamen ab inferi portis exſuperandæ? Atque hæc vulnera optimæ Matri, his temporum ærumnis jam nimium afflictæ addunt, queis graſſante per Germaniam, & ultra irreligionis, quam *Illuminatiſmum* vocant, pernicioſa peſte, nec ipſis Sanctuarii Intimis jam parcente, ad fideles oves, atque adeo Paſtores in puritate fidei conſervandos ſingularis cura, & ſollicitudo ſummi Paſtoris cum omni poteſtatis plenitudine requireretur; queis morum infra gentilem fere honeſtatem delapſorum ruina in particularibus Eccleſiis longe aliud reformandi ſtudium exigeret, non ſane ad ſuae dignitatis cum pontificiae Sedis ignominia amplificationem, ſed ad publicae pœnitentiae in Clero, populoque humilitatem, ac vitæ emendationem; queis ad ſuſtentandam epiſcopalis authoritatis a Potentibus hujus mundi graviter depreſſæ infirmitatem opus eſſet quam fortiſſimo apoſtolicae Cathedrae fulcro, totiusque Eccleſiae immobili fundamento. His, inquam, difficillimis, prope dicas extremis temporibus, cum ſanctae Dei Eccleſiae miſeriis nihil ad condolendum moti, ſed potius facti audaciores Febroniani nova vulnera romanae Matri ex Sedibus epiſcopalibus feriant; nonne multorum jam ſatis fundatam opinionem confirmant, *Febronianiſmum* nunc eſſe larvam ad contegendum *Illuminatiſmum*? prout illa S. Evangelii regula non fallit, quae ex fructibus dijudicandam aſſerit, & cognoſcendam eſſe arborem. — O Febroniani! certo certius conſtat inter vos eſſe Illuminatos: attamen nondum vos omnes tamen profundo eſtis dolapſi. Quotquot igitur praelucentem adhuc divinae fidei facem aſpicitis, cogitate hoc eſſe indicium, unde ſuos Chriſtus fideles diſcipulos cognoſcat, & cognoſci ab aliis

*) Vide totam hujus libri Partem II.

is voluerit, mutuam inter ſe dilectionem, & animorum concordiam, quam ut eo meliori modo ſtabiliret optimus ſimul, ac ſapientiſſimus Paſtor, unum voluit eſſe omnium gregem ſub uno Paſtore, SUI in terra Vicario, cui ſoli curam totius ovilis cum pleniſſima clavium poteſtate quidquid ſolvendi, ligandive commiſit, UT SIT UNUM OVILE, ET UNUS PASTOR, Amen! Amen! Amen!

INDEX.

A.

Abuſum prætextus. pag. 15.
Acceptatio decretorum Baſileenſium. p. 85 &c. *Ejusdem* inſtrumentum. p. 301 &c.
Advocatiæ jus. p. 337.
Africanæ appellationes. p. 284 &c. & Legationes p. 369.
Afrorum dependentia a Romana. p. 230.
Agapeti P. decretum. p. 253.
Agathonis P. decretum. p. 253.
Alexandrinus Patriarcha ſub Romano. p. 361.
Ancyranæ Synodi Can. IX explicatur. p. 230.
Anſegiſi Exemplum. p. 375.
Antiocheni Can. XIV, & XV. explicantur. p. 264.
Apocriſiarii quales fuerint. p. 363 &c.
Apoſtoli cur Petro ſubordinati. p. 7. — Non omnes honore pares. p. 13. — Omnibus quomodo ligandi poteſtas data? p. 6. &c. — Quomodo inerrantia promiſſa? p. 16. Omnium cœtu ſuperior Petrus. p. 17. Illorum poteſtas cur a Petro non reſtricta? p. 25 &c. Erant Petro obedientes. p. 30. In præſentia Petri tacuerunt. p. 33. Omnes a Petro inſtructi. p. 36.
Apoſtulatus ab Epiſcopatu diſtinguendus. p. 49.
Appellationes a Papa prohibitæ. p. 142, 331 &c. — Ad Papam licitæ. p. 248 &c. 382. Illarum moderatus uſus. p. 315 &c. Intermediæ non neceſſariæ. p. 317 &c.
Archiepiſcopi non reſtringendi. p. 354. Pugnantes contra Pontificem. 395 &c.
Ariſtocratia an cum Monarchia mixta? p. 94 &c.
Aſchaffenburgenſe pactum. p. 305 &c.
Aſiani num juſte Victori P. reſtiterint? p. 169.
Athanaſius ad Papam appellans. p. 261.
Auguſtini doctrina de clavibus cœlorum. p. 4, 83.
Aviti Viennen. ſententia. p. 339.
Aulicum Viennæ Conſilium quam iniquum. p. 401.
Axioma falſum Neocanoniſtarum. p. 97.

B.

Ballerinii de appellationibus. p. 251.
Barthel. fallax Scriptor. p. 94, 209. — Genuina faſſus. p. 309.
Baſileenſis Concilii confeſſio. p. 167, 215. — *Ejusdem* decretum de cauſſis. p. 297 &c. 383. *De eodem* ſententia Gallorum. p. 69.
Baſilidis cauſſa. p. 258.
Bavariæ Epiſcopatus quomodo inſtituti? p. 177. — *Ejusdem* Legati contra Ordinarios. p. 383.
Bellarmini nova doctrina de mixta regiminis forma. p. 97.
Benedicti XIV decretum. p. 315.
Bernardus de appellationibus. p. 254, 321, 335.
Blondelli liber contra Iſidorum. p. 405.
Bonifacii P. I decretum. p. 199, 200, 234. 252, 333, 368.
Bonifacius Germaniæ Apoſtolus. p. 178, 188, 191, 373, 447.
Bonoſi cauſſa. p. 281.
Boſſuetus M. an Defenſionis Author? p. 203 &c.
Boſſuetus Trecenſis Janſeniſta. p. 114.

C.

Cæciliani cauſſa. p. 259.
Canoniſtæ hodierni plerumque Atheologi. p. 2.
Capitulatio Joſephi II. p. 324. — aliorum Cæſarum. p. 393 &c.
Cauſſæ majores ad Papam. p. 192 &c. 298.
Chalcedonenſis Concilii hiſtoria, & geſta. p. 149 &c. 182.
Chryſoſtomus ad Papam appellans. p. 272.
Claves cœlorum quo ſenſu datæ toti Eccleſiæ? p. 4, 83. — quo ſenſu Petro? p. 5.

Clemen

Clementis I Authoritas erga Corynthios. p. 169, 255.
Clericorum inferiorum appellatio ad Papam. p. 289.
Cœleſtini I ſtatutum. p. 172, 236.
Colonienſis Synodi declaratio de Matrimonio p. 245. — Facultatis theologicæ cenſura. p. 353. — Memoriale ad Imperium. p. 378 &c. 388 &c. 392. — Decretum adverſus Nuntiaturas. p. 399. — Nuntiaturæ origo. p. 388. & tranquilla poſſeſſio. p. 389 &c.
Concilia ad quid, & quomodo valeant? p. 41, 108, 364. — Nihil ſine Papæ conſenſu. p. 195, 205, 227, 441 &c. Jeroſolymitanum quale fuerit? p. 39, 43.
Concordata Germaniæ. p. 85 &c. Item p. 300 &c. — Bavarica cum Epiſcopis. p. 402.
Concordatis quam fideles Papæ. p. 210.
Confirmatio quid ſit? p. 46, 128. — Conciliorum ad quem pertineat? p. 175. — Epiſcoporum ad Papam. p. 206 &c.
Confluentiæ Conventus. p. 395.
Conſenſus bene diſtinguendus. p. 128, 155. — univerſalis male exigitur. p. 131 &c.
Conſtantienſe Concilium quo ſenſu ſupra Papam? p. 108 &c. 128, 347. — decretum de cauſſis. p. 295.
Conſtantinopolitana Eccleſia quantum Romæ ſubdita. p. 178 &c. — contra jus antiquum elevata. p. 451 — Concilium I quale fuerit? p. 182. — Conc. II. p. 184. Conc. III. p. 185. — Conc. IV. p. 187, 232.
Cornelius P. quomodo diſpenſaverit? p. 224.
Cyprianus de unitate. p. 46 &c. — quo ſenſu ſcripſerit, omnes Apoſtolos fuiſſe pares? p. 4 &c. — Ejusdem error inexcuſabilis. p. 128, 170, 258.
Cyrillus ad Papam referens. p. 199.

D.

Damaſi P. decretum. p. 229, 252.
Declarationis Gallicanæ vitia. p. 72, 101 &c. Ejusdem defenſionis Author quam malæ fidei. p. 72.
Definitio fidei an conveniat romanæ Eccleſiæ? p. 144.
Diſciplina vetus qualis fuerit? p. 219, 244. — variari poteſt. p. 448.
Diſpenſationes ad quem jura pertineant? p. 219 &c. — Matrimoniales. p. 237 &c. 398 &c.
Dominatum non quemlibet Chriſtus prohibuit. p. 14, 95, 440.
Drogonis exemplum. p. 375.

E.

Eccleſiæ univerſalis profeſſio de romana fide infallibili. p. 110. — diſperſæ, & collectæ diſtinctio. p. 109.
Ekii Commentarius in verba Chriſti pro Petro orantis. p. 15.
Electionum mos vetus. p. 210.
Emſanus Conventus. p. 398. — Punctationis prima propoſitio. p. 23. — De appellationibus. p. 319.
Epheſini Concilii hiſtoria, & geſta. p. 146, 182.
Epikia quomodo a diſpenſatione diſtinguatur? p. 213.
Epiſcopi quo ſenſu poſiti, ut regerent Eccleſiam Dei? p. 10. — nomen Presbyteris commune. ibid. — quomodo Apoſtolorum ſucceſſores? p. 13. — miſſio an cum plenitudine poteſtatis? p. 22, 449. — quare primi in Hierarchia nominantur? p. 25. — jam ab initio limitatæ juriſdictionis. p. 13, 26, 28. — an juriſdictio immediate a Chriſto, vel tantum mediate? p. 45 &c. — non quidem Miniſtri Petri, huic tamen ſubjecti. p. 30, 47. — qualis juriſdictio ex Gallorum doctrina? p. 61 &c. 108, 129. — Illorum conſenſus ad quid valet? p. 117, 189 &c. — depoſitio ad quem ſpectat? p. 181, 442. — confirmatio ad quem? p. 206 &c. — translatio ad quem? p. 445. — non habent jus diſpenſandi. p. 215. — olim diſciplinæ tenaciſſimi. p. 224.
Eubel de Legatis. p. 358.
Eugenii IV indulta. p. 90 &c. 302 &c.
Examen circa Religionem quotuplex? p. 130.

Exem-

Digitized by Google

Exemtio Monaſteriorum p. 193, 134.

F.

Facultates delegatæ jam antiquitus. p. 369.
Falſitas documenti veteris non ſtatim fraus. p. 408 &c.
Fides Petri non deficiens p. 14. — eſt fulcrum Apoſtolorum. p. 15. — quomodo Petra Eccleſiæ? p. 82, 140. *Fidei* cauſſæ ad Papam. p. 204 &c.
Flavianus ad Papam appellans. p. 274. &c.
Fleury Continuator qualis? p. 387.
Florentinum Concilium de Primatu Rom. Pontif. p. 62, 74.
Francofordienſis Conventus. p. 88.
Fundamentum Eccleſiæ Petrus. p. 137. &c.

G.

Galli erga S. Sedem iniqui. p. 2. — quo ſenſu Papam fallibilem dixerint? p. 108.
Gallicanæ ſententiæ de Primatu. p. 61 &c. 216. — libertates quam futiles. p. 75 &c. — Cleri comitia pro Papa p. 102. — Ejusdem ſenſa recentiora. p. 103. 108. — diſciplina circa matrimonii diſpenſationes p. 237 &c. — de appellationibus. p. 249. & judiciis. p. 286 &c. 339.
Gelaſii P. reſcriptum. p. 236, 280, 333, 357, 360, 448.
Germaniæ Epiſcopatus quales ab initio? p. 178, 210, 372, 447. — quam benevoli Pontifices? p. 210. — diſciplina vetus de judiciis. p. 289. — recentior. p. 291 &c.
Græcorum profeſſio de fide Rom. infallibili p. 110.
Gratiani Imperat. lex de judiciis. p. 286.
Gravamina Germanorum. p. 89, 246.
Gregorii M. inſigue ſtatutum. p. 174, 364. — alia facta. p. 443, 445.

H.

Adriani Capitularia. p. 434 &c.
Hieronymi dicta de Pontifice. p. 192. 195.
Hilarii P. decretum. p. 202, 236.
Hincmarus Rhemenſis bonus Criticus p. 414. — ejusdem ſententiæ. p. 205, 335, 405. 433. &c. — violentia. p. 375.
Hiſpaniæ reverentia erga romanam Eccleſiam p. 234.
Hall de Legatis. p. 350.

I.

Janſeniſtæ a Papa appellantes. p. 336. — fraus adverſus Rom. Sedem. p. 112 &c.
Infallibilitas; de ea manis quæſtio. p. 40. — nec non & ſubdola. p. 126.
Innocentii I ſtatutum. p. 172, 198, 208, 235, 252, 367.
Joſephi II reſcriptum. p. 396.
Irenæi teſtimonium de Rom. Eccleſia. p. 192.
Iſidori Mercatoris hiſtoria. p. 403 &c. — Collectionis antiqua authoritas. p. 404. — minus tamen apud Romanos. p. 439. — Non fuit deceptor, ſed ſincerus compilator. p. 410. &c. — decretalium epiſtolarum recenſio. p. 416. &c. 426. &c. — Collectionis ſcopus pro Epiſcopis, non pro Papa. p. 438. — Merces non ſpuriæ, ſed bonæ. p. 440. &c.
Judex Epiſcoporum Papa. p. 195.
Judices in partibus quales? p. 299 &c.
Julii I authoritas in Orientales. p. 173, 195. 251, 259 & 260. — epiſtola genuina p. 444.
Jung. falſus Doctor Moguntiæ. p. 219 &c.
Ivo Carnotenſ. de appellationibus. p. 335. 342.
Juramentum Epiſcoporum erga Papam p. 191 &c.
Juriſdictionis in mediatam, & immediatam falſa diſtinctio. p. 7, 18 &c. 190. 198.

L.

Legati nati quomodo defecerint. p. 380.
Legationum jus. p. 347. &c. *Legatio* ſtabilis. p. 354.
Legiſlativa poteſtas in Pontifice. p. 167 &c.
Leonis M. ſtatutum p. 172, 199, 209, 236, 361.

Mmm *Leonis*

Leonis IV reſcriptum. p. 438.
Liberius P. appellatus. p. 271.
Libertates Gallicanæ quid ſint? p. 75.
— unde habeant originem? p. 71.
— quo jure nitantur? p. 78.
— quantum extendantur? p. 80.
— quid profuerint? p. 80.
Lucii P. decretalis genuina. p. 429.
Lugdunenſe Concilium de Authoritate Rom. Eccleſ. p. 144.

M.

Marcion appellans ad Papam. p. 256.
Martini I ſtatutum. p. 177.
Martini V concordatum cum Germania. p. 296, 333.
Matrimoniales diſpenſationes. p. 237, 398 &c.
Mediata tantum juriſdictio an ſit illa Petri? p. 7.
Memoriale ad Imperium Colonienſe. p. 378 &c. — Salisburgenſe. p. 375 &c.
Metropolitanorum origo. p. 207. — diſtinctio. p. 208.
Miraculis Petrus præ aliis Apoſtolis excellens. p. 33 &c.
Miſſio Epiſcoporum an cum plenitudine poteſtatis? p 23.
Modus rerum mutabilis. p. 253.
Moguntia honoratus Nuntius. p. 392 — Archiepiſcopi literæ. p. 325 &c. 395. — decretum adverſus Nuntiaturas. p. 400.
Moguntinus Levita an Author decretalium? p. 436.
Monacenſis Nuntiaturæ origo. p. 397.
Monarchia optimum medium ad unitatem. p. 58. — quotuplex? p. 60. — ex doctrina gallicana. p. 67. — an ſit mixta cum Ariſtocratia? p. 94.
Monaſteriorum cauſſæ. p. 193.
Monitum electorale ad Joſeph. II. p. 323.

N.

Nicænum Conc. I. p. 181. item II. p. 186.
Nicæni I Can. V. p. 263. Can. VI. p. 359.
— An tantum 20 Can.? p. 370.
Nicolai I reſcriptum. p. 441.
Nicolai V pactum. p. 91, 305.
Nuntiaturæ Viennenſis origo. p. 383 &c.
— Helvetianæ. p. 386.
— Colonienſis. p. 391.
— Monacenſis. p. 397.

O.

Obedientia Papæ debita. p. 133, 167, 190.
Optima regiminis forma qualis? p. 99.
Optati Milevit. ſententia p. 46.
Ordinarius an Papa? p. 190.
Orientalis Eccleſia in cauſſa Photii. p. 178.
— dependentia a Rom. Pontif. p. 200, 253.
Oves Chriſti etiam gentiles. p. 18. &c.

P.

Palatini Electoria reſcriptum. p. 294 & 401.
Pallii conceſſio. p. 446 &c.
Papa quomodo fallibilis? p. 108 &c. — habet jus ferendi leges. p. 167. — eſt Epiſcoporum judex. p. 194, 442. — poteſt diſpenſare. p. 214. — appellationes ſuſcipere. p. 248 &c. — Legatos mittere. p. 348 — ejus conſenſus Conciliis neceſſarius. p. 194, 205, 226, 481 &c.
Patriarchali: dignitas unde? p. 51. & qualis? p. 201, 225, 360, 361.
Pebem de Legatis. p 351.
Pelagius ad Papam appellans. p. 283.
Petræ nomen Simoni datum. p. 4.
Petrus Apoſtolis univerſim præpoſitus. p. 16. — Paſtor univerſalis conſtitutus. p. 18. — inter Apoſtolos ſolus loquitur. p. 31 — ſolus judicat. p. 33. — viſitat univerſos fideles. p. 34 — miraculis præ aliis Apoſtolis excellit. p. 35. — in Concilio Jeroſolymitano prævalet p. 39. — Simonem Magum triumphat. p. 55. — Chriſti Vicarius eſt. p. 56 — fundamentum Eccleſiæ. p. 136. &c. *Petri* juriſdictio ſuprema, & illimitata p. 6, 7 & immediata. p. 8. — fides non deficiens p. 16. — Apoſtolatus excellentior. p. 32, 34. *Petro* data promiſſio. p. 3 &c. — ſubordinati Apoſtoli. p. 8. — ſoli conceſſa privilegia p. 27 &c. — myſterii facta revelatio. p. 36.

Ad

Digitized by Google

Ad *Petrum* Paulus ſe confert. p. 38. Pro Petro ſingulariter orant fideles. p. 37.
Photii cauſſa. p. 178.
Pii I decretalis genuina. p. 427.
Pii II ſtatutum. p. 334.
Pii IV reſcriptum. p. 246, 313.
Pii VI reſcriptum. p. 369, 377.
Pœnitentiæ lex qualis ſub Cypriano? p. 224.
Pontificum decreta. p. 172.
Presbyteri olim externa juriſdictione præditi. p. 12, 51. — adverſus Epiſcopos. p. 218.
Provinciales Synodi quam ſubjectæ! p. 252, 259, 287. — tantum a Pontifice delegatæ. p. 448.

R.

Reformationes tempore quales Ordinarii fuerint? p. 283.
Relationes ad Papam antiquiſſimæ. p. 193 &c. 444.
Reſervatio caſuum conſcientiæ. p. 202.
Romanæ Eccleſiæ prorogativæ. p. 54. & infallibilitas. p. 110.
Rudolphi Habsburgici promiſſio. p. 381.

S.

Salisburgenſe Memoriale ad Imperium. p. 375 &c. 385, 393,
Sardicenſis Concilii Can. III, IV, V. p. 167, 358, 369. — aliud ſtatutum. p. 369.
Schlettwein de Monaſteriis. p. 294, 298.
Schmidt Canon. de Legatis. p. 349.
Schott Bamberg. de Legatis. p. 350, 356, 377.
Siricii P. ſtatutum. p. 171, 152, 219.
Socrates, & *Sozomenus* græci teſtes pontificiæ Authoritatis. p. 195, 196.
Spirenſis litis hiſtoria. p. 322 &c.
Spitler de Concordatis German. p. 306.
Symmachi cauſſa. p. 337.
Superioritas Conciliorum ſupra Papam quo ſenſu? p. 108 &c. 128.
— quam recenter excogitata. p. 339, 340 &c.

T.

Thomaſſinus de uſu diſpenſationum. p. 217.
— de Authoritate Pontif. p. 337, 347.
— de Nicænis Canonibus. p. 369.
Trevirenſe documentum de matrimonio. p. 243.
— Archiepiſcopi mandatum. p. 313.
— decretum adverſus Nuntios. p. 399.
Tridentinum Concilium quam favorabile Epiſcopis. p. 219, 313.
— de matrim. diſpenſat. p. 245.
— de Author. Pontif. p. 250.
— de Legatis. p. 379.

V.

Valentiniani Imperat lex de judiciis. p. 288.
Vaneſpenius de veteri diſciplina. p. 224.
Victoris I authoritas. p. 255.
Vigilii P. decretum. p. 202, 253.
Unitas qualis a Chriſto inſtituta? p. 98.
Univerſalis Paſtor an Papa? p. 441.
Wirceburgenſis differentia cum Nuntio. p. 391.

X.

Xyſti III ſtatutum. p. 173, 368.

Z.

Zachariæ P. decretum, p. 210, 290.
Zalwein Scriptor fallax. p. 204, 262.
— de appellation. p. 250.
— de Legatis. p. 350.
Zoſimi P. ſtatutum p. 172, 173, 199, 283, 371.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google